Nova acta physico-medica academiae caesareae Leopoldino-Carolinae naturae curiosorum. Appendices Vol. 2.

Contributors

Deutsche Akademie der Naturforscher Leopoldina.

Publication/Creation

[Nuremberg] : [publisher not identified], 1758]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/kzrprck4

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

62368/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

DEUTSCHE AKADEMIE DER NATUR-
FORSCHER (LEOPOLDINA)

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30519858

U7

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

CLASSES CONCHYLIORVM.

AVCTORE

CAROLO AVGVSTO DE BERGEN

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD. IN VNIVERSITATE

VIADRINA,

ACADEMIAE IMPERIALIS NATVRAE CVRIOSORVM

ET

REGIAE SCIENTIARVM BEROLINENSIS

SOCIO,

HAEREDITARIO IN ROSENGARTHEN.

Императорское Русское Историческое Общество

PRAEFATIO.

Nihil comtius, nihil magis utile et neceſſarium in omnibus hiſtoriae naturalis articulis recentiorum opera excogitatum eſt, quam ſyſtematica ubique methodus, qua discentes, ſive plantas, ſive animalia, ſive lapidea et metallica rimantur concreta, ad cuiusvis ſpeciei, imo individui cognitionem recto ducuntur tramite. Botanici, immenſo vegetabilium numero circumſepti, quocunque circumſpiciant, ſine ordine tali ſyſtematico vix ac ne vix confuſionem evitant, vix impediunt, quo minus memoriae vires obruantur. Primi ergo cogitarunt de methodo ordinandi plantas, horumque veſtigia iam ſenſim magis magisque legunt qui ceteris hiſtoriae naturalis partibus docendis operam navant; probe ponderantes, quanti ſit emolumenti pro iuvanda memoria numeroſiſſima naturae producta ordine, ipſis rebus competente, colligere et recenſere. Nullum vero ex triplici naturae regno tot diſſimilium creatu-

rarum ferax eſt ipſo animalium regno; inſecta enim et reptilia remotiora quaſi mihi videntur ab animalibus perfectis, quam quivis fungus, mucor, muscusve a perfecta planta. Ingens haec diſſimilitudo effecit, vt ſyſtema animalium iterum ſuas partitiones ſeu ſyſtemata particularia commode admiſerit, quorum, cum non infima ſint, quae eruditi pro ordinandis teſtaceis et conchyliis litteris prodiderunt, haec autem non in unico libro exhibeantur, ſed potius per integram ſcriptorum Bibliothecam diſſeminata proſtent, e commodo lectorum fore iudicaui, omnes huius ſpecialis ordinis methodos in compendioſa hacce tractatione exhibere: quas alias per tot volumina diffuſas non ſine magnis ſumtibus temporisque dispendio familiares ſibi reddere poſſunt diſcentes. Non tamen inficior, omnia haec conchyliorum ſyſtemata quoad perfectionem cedere ſyſtematibus perfectiorum animalium, imo et plantarum, cum in illis ſola teſtae figura cognitionis paginam abſolvat, contenti autem animalis ſtructura negligatur; in his vero a membris animalium et plantarum, ungulis, dentibur, mammis, calice, petalis, ſtaminibus, fructu, characteres deſumantur, ſicque magis vera generum et ſpecierum ratio habeatur. Sed forſan hic defectus ſubſequentium ſeculorum felicitate ſupplebitur, ſicuti et ego praeſentis tractationis ſupplementa iis relinquo, qui pretioſiori theſauro litterario ſunt inſtructi. Vix enim ac ne vix poſſibile eſt, me omnes ſcriptores ſyſtematicos vidiſſe atque recenſuiſſe.

Claſſes

Classes Conchyliorum.

Methodi Universales.

1.	A. C. N. 334 — 327.	ARISTOTELIS.
2.	A. C. 70 — 80.	C. PLINII.
3.	A. C. 1560.	C. GESNERI.
4.	- - 1625.	U. ALDROVANDI.
5.	- - 1650.	I. IONSTONI.
6.	- - 1668.	G. CHARLETONI.
7.	- - 1675.	I. D. MAIORIS.
8.	- - 1684.	R. SIBBALDI.
9.	- - 1684.	PH. BONANNI.
10.	- - 1700.	I. P. TOVRNEFORT.
11.	- - 1705.	G. E. RVMPHII.
12.	- - 1722.	C. N. LANGII.
13.	- - 1726.	I. C. KVNDMANNI.
14.	- - 1726.	FR. VALENTINI.
15.	- - 1728.	I. E. HEBENSTREIT.
16.	- - 1732.	I. P. BREYNII.
17.	- - 1735.	C. LINNAEI.
18.	- - 1742.	D' ARGENVILLE.
19.	- - 1742.	N. GVALTIERI.
20.	- - 1748.	ANON. *Naturalien-Cabinet.*
21.	- - 1748.	F. C. LESSERI.
22.	- - 1748.	C. LINNAEI.
23.	- - 1752.	I. T. KLEINII.
24.	- - 1756.	P. BROVNE.

Methodi particulares.

1.	- - 1678.	LISTERI Cochleæ terreſtres & fluviatiles.
2.	- - 1678.	EIVSDEM Cochleæ marineæ.
3.	- - 1728.	HEBENSTREIT Turbinata.
4.	- - 1731.	KLEINII Tubuli marini.
5.	- - 1732.	BREYNII Polythalamia.
6.	- - 1732.	EIVSD. Echini.
7.	- - 1734.	KLEINII Echinodermata. duplex Methodus.
8.	- - 1734.	EIVSDEM Echinorum Aculei.
9.	- - 1742.	D' ARGENVILLE Cochleæ fluviatiles,
10.	- - 1742.	EIVSDEM Cochleæ terreſtres.
11.	- - 1755	ANONYMI Cochleæ.

I.

Aristotelis Methodus Teſtaceorum.

1. Aristoteles *a*) primus hiſtoriæ naturalis conditor magno ingenio magnaque induſtria nec infelici ſucceſſu, quod aſſeclarum eius in hunc usque diem cohors evincit, hanc de Teſtaceis doctrinam eo digeſſit ordine, ut, qui commodiorem magis multis retro ſeculis elapſis docuerit, habeamus neminem.

2. Ex claſſibus, quas inſtruxit, patet; eum tum animalis, quod conchyliis ineſt, quam ipſius teſtæ rationem habuiſſe. Ita enim ille *b*): αὐτὰ δὲ πρὸς ἑαυτὰ διαφορὰς ἔχει πολλὰς, καὶ κατὰ τὰ ὄστρακα, καὶ κατὰ τὴν σαρκα τὴν ἐντὸς. Utinam recentiores incluti huius viri preſſiſſent veſtigia; forſan non amplius agerentur querelæ de methodo conchyliorum nimis ſuperficiali, ſolas duntaxat teſtas, non vero naturam & diſcrimina horum reptilium declarante.

3. Ex umbilicis τοῖς κόχλοις videtur Aristoteles peculiare conchyliorum genus perperam conſtituiſſe, ſunt enim proprie opercula quorundam Turbinatorum, quæ certo anni tempore foribus cochlearum quaſi inſtar clauſtri agglutinata inveniuntur quæque poſtea decidunt, & nullius amplius uſus ſunt pro ipſo animalculo.

4. Quale conchyliorum genus per Cocalia intelligit philoſophus, non adeo perſpicuum eſt. Græcis enim κωκάλια omnis generis animalia teſtis incluſa dicuntur.

Oſtra-

a) *Opera omnia ex editione du* Vall. *Paris. 1654. Tom. II. hiſtor. animal.*

b) *ibid. Cap. IV. p. 269. lit. D.*

Ostracodermata.

Classes

I. Μονόθυρα Univalvia

Τὰ στρομβωδέα Turbinata

- Κοχλίαι limaces
- Κωκάλια cocalia, præter caput conspicuum nil carnis habentia
- Πορφύραι purpuræ } præter caput nihil con-
- Κήρυκες buccina } spicuum habent
- Κόχλοι umbilici
- Τήθυα tethya verticula quorum caro tota ambitur testa

Minus Turbinata

- Λεπάς fera, auris marina
- Νηρῖται neritæ, testa lævis, forma orbicularis, similitudo cum buccina
- Σκυλλαρος scyllarus
- Ἀπορρᾴϊδες aporrhaïdes, quæ saxis adhærent reclinato integumento: per muricces reddit Buddaevs
- Ἔχινος echinus
  - spatagi
  - brissi
  - Ἄσαρκοι
  - esculenti
- Ἐχινομῆτραι echinometra, matrices echinorum.

II. Δίθυρα Bivalvia

I. Ἀνάπτυχα apertilia
- Κτένες pectines
- Μῦες musculi

Συμπεφυκόλα utrinque clausa
- Σῶλῆνες solenes

II. Λειόστρακα leviter testata
- a. Γάλαδες galades
- b. Μῦες musculi
- c. Σωλῆνες

III. Αὐλινόστρακα testacea lacustrea

asperæ
- Ῥάβδωκα virgata
- Κτένας pectines

læves
- Ἀῤῥάβδωκα non virgata
- Πίννα pinnæ.

II.

C. S. Plinii. *c*) Methodus.

1. Hic autor species Testaceorum confuse recenset, & videntur eius temporis eruditi de generibus constituendis non admodum fuisse solliciti, quorum dispositionem ex scriptis Aristotelis discere potuisset.

2. Interim, ubi librorum IX. C. 33. agit de pectinibus, murice, & Concharum generibus, quorum animalium XXXIII. recenset differentias, descriptis iam superius cochleis & echinis, facile videre est, ipsum tot quasi genera constituisse, quot figurarum dissimilitudines sunt, in quibus recensendis eius commentatorem C. G. Fischervm *d*) secuturus sum

Genus	1.	Concha plana.	ut *pectines, ostreæ planæ*
	2.	- - concava	ut *pectunculi, ostrea echinata*
	3.	- - longa.	ut *solenes*
	4.	- - lunata.	ut *chamæ squamatæ*
	5.	- - in orbem circumacta.	ut *chamæ litteratæ*
	6.	- - dimidio orbe cæsa.	ut *chamæ striatæ, quadratæ, pectines virginei*
	7.	- - in dorsum elata.	ut *pectunculi granosi. Cassides omnes*
	8.	- - lævis.	ut *chamæ lævis, porcellaneæ*
	9.	- - rugata.	ut *chamæ asperæ*
	10.	- - denticulata	ut *chamæ asperæ*
	11.	- - striata	ut *chamæ striatæ* & *pectines*
	12.	- - vertice muricatim intorta	ut *pseudo purpuræ, turbo caudatus, volutæ aculeatæ.*
	13.	- - margine in mucronem emisso	ut *pentadactyli, heptadactyli.*
	14.	- - margine foris effuso.	ut *cassides majores*
	15.	- - margine intus replicato.	ut *porcellaneæ*
	16.	- - distinctione virgulata.	ut *letter schulpen, lettre horntches.*
	17.	- - distinctione crinita.	ut *feine letter schulpen.*
	18.	- - distinctione crispa.	ut *Arabische Lettre Horntches.*
	19.	- - undata canaliculata.	ut omnes *pectines.*
	20.	- - undata pectinatim.	ut *chamæ* species, *die Tieger-Zungen.*
	21.	- - undata imbricatim.	ut
	22.	- - expansa in obliquum.	ut { *pecten virgineus, tellinæ*
	23.	- - - - -	ut {
	24.	- - expansa in rectum.	ut *ostreæ.*
	25.	- - densata	ut *Pimpeltches.*
	26.	- - porrecta	ut *Babylons thorn*
	27.	- - sinuata	ut
	28.	- - brevi nodo ligata	ut *Alykruiken.*
	29.	- - toto latere connexa.	ut *solenes, tellinæ, pinnæ.*
	30.	- - ad plausum aperta	ut
	31.	- - ad buccinum recurva.	ut *buccinæ*
	32.	- - navigans & velificans.	ut *venereæ, neritæ, nautili*
	33.	- - saliens ex aquis & seipsam carinans.	ut *pectines.*

c) *Hist. Nat. ex Edit.* Hardvini.

d) *Act. Erud. Lipsi.* 1733. *p.* 487.

III.

C. GESNERI *e*) Methodus Testaceorum.

1) Auctor, in historia naturali promovenda suo tempore occupatissimus quoad maximam partem mutatis mutandis magnum sequitur ARISTOTELEM.

2) Peculiarem classem anomalorum condidit, ad quam, ut mihi videtur, male retulit stellas marinas, quae potius crustaceis animalibus marinis sunt adnumerandae. Idem valet de Capite Medusae.

Classis I. Univalvia.	Genera.	*Lepas.*
		Auris marina.
Classis II. Bivalvia.	Genera.	*Ostrea.*
		Spondyli.
		Musculi.
		Mytuli.
		Conchae.
		Pholades.
		Tellinae.
		Chamae.
		Pectines.
		Pectunculi.
		Conchae margaritiferae.
		Concha cordiformes.
		Pinnae.
		Ungues.
		Solenes.
Classis III. Turbinata.	Genera.	*Strombi.*
		Purpurae.
		Murices.
		Buccinum.
		Turbo.
		Trochus.
		Nerites.
		Cochleae.
		Umbilici.
		Porcellanae.
Classis IV. Anomala.	Genera.	*Balani.*
		Penicilla marinae.
		Tubuli marini.
		Echini.
		Stellae marinae.
		Caput Medusae.

IV. Me-

e) *Nomenclator aquatilium animantium Tigur. fol. 1560. p. 221.*

IV.

Methodus Vlyss. Aldrovandi *f*).

I. Aldrovandvs dispositionem Gesneri sequitur, nisi quod classium locum inverterit et ultimam Conchyliorum anomalam omiserit.

Classis I.		
Turbinata.	Genera.	*Nautilus.*
		Purpura.
		Buccinum.
		Murex.
		Turbines.
		Trochi.
		Nerites.
		Cochleæ.
		Echini.
Classis II.		
Bivalvia.	Genera.	*Concha margaritifera.*
		Conchæ.
		Chamæ.
		Ostreæ.
		Pectines.
		Musculi.
		Mytuli.
		Tellinæ.
		Balani.
		Pholades.
		Solenes.
		Pinnæ.
		Byssus.
		Concha anatifera.
Classis III.		
Univalvia.	Genera.	*Lepades.*
		Patellæ.
		Auris marina.
		Concha venerea.
		Concha Persica.
		Penicillus marinus.

V. Me-

f) *de mollibus Crustaceis, Testaceis fol. Francof. ad Moen. 1623.*

V.

Methodus Joh. Jonstoni g).

1. Auctor pressius Aldrovandi sequitur dispositionem, prima duntaxat classe curatius paullo subdivisa.

Classis I. Turbinata.	a in anfractum torta.	Genera.	*Nautilus.*
			Purpura.
			Buccinum.
			Murex.
			Conchylium.
			Blattæ Byzantinæ.
	b in orbem circumacta.	Genera.	*Turbines.*
			Trochi.
			Nerites.
			Cochleæ.
			Echini.
Classis II. Bivalvia	- -	Genera.	*Conchæ.*
			Chamæ.
			Ostreæ.
			Pectines.
			Musculi.
			Mytuli.
			Tellinæ.
			Balani.
			Pholades.
			Solenes.
			Pinnæ.
Classis III. Univalvia	- -	Genera.	*Lepas* seu *Patella.*
			Concha venereæ.

g) *de exsanguibus aquatilibus, Franc. ad Moenum 1650. fol.*

VI.

Gvil. Charletoni Methodus *b*).

1. Conſueta ſummorum generum enumeratione nomenclaturas magis quam differentias teſtarum ſcrutatus, atque vix ultra Aldrovandi cognitionem aſcendit.

- Claſſis I. Turbinata.
  - Ordo primus. Helicem in teſta habentia.
    - Genera. *Nautilus.*
    - *Purpura.*
    - *Buccinum.*
    - *Murex.*
    - *Blattae Byzantinae.*
  - Ordo ſecundus. Sphærica ſeu in globum circumacta,
    - Genera. *Turbo.*
    - *Trochus.*
    - *Nerites.*
    - *Cochleae.*
    - *Echinus.*
- Claſſis II. Univalvia.
  - Genera. *Lepades.*
  - *Concha Veneris.*
  - *Concha Perſica.*
  - *Penicilli.*
  - *Tubuli teſtacei.*
  - *Balani.*
  - *Conchae anatiferae.*
  - *Dentalia.*
  - *Entalia.*
  - *Auris marina.*
- Claſſis III. Bivalvia.
  - Ordo primus. Conchæ aſperæ.
    - Genera. *Margaritifera.*
    - *Imbricata.*
    - *Striata.*
    - *Echinata.*
    - *Squamoſa.*
    - *Longa.*
    - *Pictorum.*
    - *Corallina.*
    - *Rugata.*
    - *Rhomboides.*
  - Ordo ſecundus. Conchæ læves.
    - Genera. *Galades.* - - - nigra. fasciata. craſſa. tenuis.
    - *Chamae.*
    - *Oſtreae.*
    - *Pectines.*
    - *Muſculi.*
    - *Tellinae.*
    - *Solen.*
    - *Pholades.*
    - *Pinnae.*

b) *Onomaſticum Zoicum Lond. 1668. 4to p. 178.*

VII.

I. D. Maioris *i*) Methodus Testaceorum.

1. Novam dispositionem Conchyliorum adorsus est auctor, duas scilicet classes sive genera summa stabiliens, sed deficit in rebus, abundat in terminis, & revera Ramistico dichotomiæ studio abreptus præter necessitatem Conchyliorum distributionem confusam reddidit. Omissis ergo terminis ordinum subdivisiones tradentibus in generalioribus duntaxat subsisto.

Classis I. Univalvia.	Ordines.	I. Orificii libere patentis in longitudinem.	Genera. *Penicilli marini.*
			Pyramidaliter dentata.
		II. Orificii libere patentis in latitudinem.	*Lepades* vel *Patellæ.*
			Aures marinæ.
			Conchæ natatiles.
		III. Orificii strictioris sine turbine.	*Concha venerea.*
		IV. Orificii strictioris cum turbine aut voluta spirali, quae sunt:	
		α) ventre carentia.	
		β) ventricosa.	*Nautilus.*
		γ) turbinis manifesti in alterutro testæ latere, quæ sunt:	
		a) protuberantia in apices.	*Murices.*
		b) verrucosa et rugosa.	
		δ) ventris oblongioris & elongati, figura conica.	*Turbo.*
			Turbines terrestres.
			Buccina.
		ε) turbine non prominente, figura cylindrica.	*Conchæ natatiles.*
Classis II. Plurivalvia.	Ordines.	I. Bivalvia.	*Conchæ striatæ.*
			Conchæ verrucosæ.
			Conchæ rugosæ.
			Pectines.
			Ostreæ.
			Conchæ anomiæ.
		II. Plurivalvia.	*Conchæ anatiferæ.*
			Balani aut *Glandes.*

i) Fabii Columnæ *opusculum de Purpura oper ac studio* J. D. Maior. *Kiliae* 1675. 4.

VIII.

Methodus R. Sibbaldi *l*).

1. Claſſes a loco natali deſumſit ideoque Conchylia dividit in terreſtria, aquatica, & marina; qua diviſione, utut regulis ſyſtematis adverſa, in definiendis ordinibus tolerabiliorem ſe geſſit, non tamen plura præſtitit.

Claſſis I. Cochleæ terreſtres, quarum animalia ad inſecta apoda reducit.

Claſſis II. Cochleæ aquatiles.

- a. Fluviatiles.
  - α) Turbinatæ. Genera. *Buccina.*
  - β) Bivalves. - - - - *Muſculi aquæ dulcis.*
  - γ) Univalves. - - - *Patellæ.*
- b. Marinæ.
  - I. Turbinatæ.
    - a) anfractuoſæ. Genera. *Buccina roſtrata.*
    - b) lævis.
    - c) ſtriatæ.
    - d) intortæ apertura plana.
      - 1) figura productiore.
      - 2) figura cochleæformi.
      - 3) umbone minimo. *Neritæ.*
      - 4) baſi lata, figura conoide.
      - 5) apertura in rimam formata. - *Concha Veneris.*
    - 6) orbes non habens. *Echinus.*
  - II. Bivalves.
    - 1. ex omni parte clauſiles.
      - ſtriatæ, minus ſtriatæ. *Oſtrea.*
      - figura rhomboide. *Mytuli. Concha margaritifera.*
      - ſtriatæ auritæ. *Pectines.*
      - non auritæ. *Pectunculi.*
    - 2. hiantes. - - - *Solenes.*
  - III. Univalves.
    - 1. loco mobiles vertice integro. - - - *Pholades. Patellæ.*
    - 2. loco fixo vertice aperto. *Balani.*

Incertæ claſſis. Concha anatifera.

l) Rob. Sibbaldi *Scotia illuſtrata. Edimburg. 1684. fol. Part. II. Lib. III. p. 26.*

IX.

Methodus Ph. Bvonnanni *m*).

1. Hic A. tres condidit conchyliorum classes: univalvium, non turbinatorum, bivalvium, & non turbinatorum, sed partim aliena immiscuit, partim necessaria omisit. Sic in prima classe merito desiderantur penicilli marini, & porcellaneæ, quas perperam ad turbinatas refert. Sic malo consilio aurem marinam & nautilum huic primæ sociavit classi, cum manifeste ex turbinatorum gente sint.

2. Qui malacostreis propriam adserunt dispositionem methodicam echinometra, pariter huc relata, ex classibus conchyliorum expungunt. Balani quoque huc non pertinent.

3. Secundæ classi male pholades conchasque anatiferas admiscet, & in tertia vago & incerto ordine turbines & buccina recenset,

	Genera.	Species.
I. Univalvia unica testa circumtecta.	Testa undique circumtecta: Echini.	
	Tegumento unico, foramine, fronte duobus vel quatuor corniculis armata: Turbinata.	Testæ Purpurarum.
II. Bivalvia binis valvis circumtecta.	Binis valvis in aliquibus perfecte clausilibus, in aliquibus ore aliquantulum hiantibus: Balani, Tellinæ, Dactyli, Pectunculi, Concha margaritifera.	

X. Me-

X.

Methodus Teſtaceorum I. P. Tournefort *n*). unacum definitionibus generum & ſpecierum denominatione.

1. I. P. Tournefort vir ad hiſtoriæ naturalis incrementum natus egregium hoc ſyſtema in manuſcripto reliquit, &, cujus proprie anni proles ſit, non determino; cum nullibi, niſi in ſplendido Gvaltieri opere occurrat, multaque prorſus nova contineat: verbotenus illud deſcribere & in his tabulis delineare non vereor.

2. Præter novos terminos accuratis generum definitionibus omnes præcedentes auctores longe poſt ſe reliquit.

3. Quæ huic ſuæ diſpoſitioni methodicæ generalia præmiſit monita, pariter hic præmitto,,

Teſtacea appello quorundam animalium integumenta, quæ teſtæ ſeu lateris duritiem habent & in quibus tanquam in teſta animalia vivunt, quæ a græcis ob eam cauſam ὀστρακόδερμα dicebantur.

Ex quibus patet, teſtudinem inter animalia teſtacea non recenſendam, cum hujus contextus ad cornu potius, quam ad teſtam accedat: teſta enim neſcio quid lapidei fragilis potius, quam ductilis ſignificat, ut in fictilibus obſervare eſt.

Teſtacea autem omnia, quæ hucusque in Muſæis Curioſorum adſervari & congeri ſolent, ad tres claſſes facile revocari poſſunt: hæc enim vel ſunt *monotoma*, vel *ditoma*, vel *polytoma*.

Monotoma appello, quorum teſta indiviſa eſt; *ditoma*, quæ geminis conſtant teſtis ad cardinem connexis, *polytoma* vero, quæ ex plurimis ſimul adnexis compinguntur.

Claſſis I. Teſtacea Monotoma.	Monotoma ſunt vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fiſtuloſa.	Familia I. Teſtaceorum univalvium, quorum teſta ſimplex in os amplius effunditur: hujus genera ſunt: Lepas & Eruca.	Genera. 1. *Lepas*, Eſt teſtacei univalvis genus cujus os, quod latum eſt, ſenſim in conum anguſtatur Cotylidonis forma: hujus ſpecies ſunt:

Species.
a. Lepas (Rondeletii p. 4.) quæ lepas ſeu patella maris mediterranei dici poteſt: hujus maris ſcopulis adhæret omnibus.
b. Lepas, ſeu patella Cypria major, ſtriata. (Ionstoni.)
c. Lepas Indica, ſtriata, candicans, lituris ſpadiceis, imbricatim poſitis ornata, cum apice ſpadiceo.
d. Lepas Indica ſtriata & aculeata.
e. Lepas Indica ſulcata & tuberoſa.
f. Lepas ſtellata minor, candicans, lituris nigris variegata.
g. Lepas ſtriata minor apice perforato.

2 *Eruca*, teſtacei univalvis genus ſulcatum, coſta ſic prominente, labiisque eo modo undulatis, ut Erucam terreſtrem ſe contrahentem non male referat.

X. Me-

n) *Introductio ejus ex codice ms. a* Nic. Gvaltieri *in indice teſtarum conchyliorum exhibita, Florentiae* 1742. *fol. maj.*

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis I. Testacea Monotoma.

Monotoma sunt vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fistulosa.

Familia II, Testaceorum spiralium, quorum pars inferior in spiram contorquetur: horum autem spiræ seu helices exterius patent & simpliciter spiralia dicuntur; vel eorum spira intus reconditur & convoluta dicuntur.

Monotoma simpliciter spiralia, seu quorum spira exterior est, plura genera sunt, quorum

Genera.

1. Murex, testacei simpliciter spiralis genus est, ore angusto seu longiori, helice vero, seu parte inferiori, quæ in cochleam intorquetur, breviori:

ex Muricibus vero, alius est alatus, alius aporrhais, seu hamatus, alius pyramidalis:

a) Murex alatus, cujus labium sinistrum in alas explicatur: hujus sunt

Species.

α) Murex marmoreus. (Rondelet. 76.)
β) Murex Americanus, crassissimæ testæ.
γ) Murex Americanus alter testæ mediæ.
δ) Murex lacteus. (Rondelet. 78.)
ε) Murex aculeatus. (Jonstoni.)

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis I. Testacea Monotoma.

Monotoma sunt vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fistulosa.

Familia II. Testaceorum spiralium, quorum pars inferior in spiram contorquetur: horum autem spiræ seu helices exterius patent & simpliciter spiralia dicuntur; vel eorum spira intus reconditur & convoluta dicuntur.

Monotoma simpliciter spiralia, seu quorum spira exterior est, plura genera sunt, quorum

Genera.	Species.
b) Murex aporrhais, seu hamatus differt ab alato, quod labium ejus sinistrum in pinnas tenuetur sulcatas, acutas & quandoque hamatas: hujus sunt	α) Aporrhais (Rondel. p. 79.) β) Murex hamatus variegatus araneum referens.
c) Murex venereus, rima sua seu ore angustiore conchæ venereæ fissuram æmulatur: hujus sunt	α) Murex triangularis (Rondelet. 77.) β) Murex Americanus maximus Cassedam referens.
d) Murex Pyramidalis a forma nomen suum desumpsit; pyramidem enim seu conum repræsentat, neque recte a Rondeletio præstantissimo viro Cochlea Cylindroides adpellari videtur: hujus sunt	Cochlea Cylindroides (Rondel. 99.) cujus innumeræ sunt varietates a colore petendæ.

X. Me-

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis I. Testacea Monotoma.

Monotoma sunt, vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fistulosa.

Familia II. Monotoma simpliciter spiralia, seu quorum spira exterior est; plura genera sunt, quorum

Genera.	Species.
2.) *Buccinum*, Testacei simpliciter spiralis genus est, quod os rotundius habet, quam murex; cochleam vero longiorem: hujus sunt species	a.) Buccinum. (Rondelet. 81.) b.) Buccinum Orientale, testa crassiore. c.) Buccinum Americanum luteo pallore decolor. d.) Buccinum Americanum ex albo & spadiceo variegatum. e.) Buccinum variegatum exoticum. (Colvmn. 16.) f.) Buccinum hirsutum. (Colvmn. 12.) g.) Buccinum tenuissimæ testæ candicans & tuberculis notatum.
3.) *Buccino-murex*, ore suo muricem, helice vero buccinum æmulatur: hujus sunt	a.) Buccino-murex spadiceus, vitta ex ruffo candicante insignitus. b.) Buccino-murex spadiceus, ore anguloso, helice undulata, vitta ex candido ruffescente notata. c.) Buccino-murex aculeis horridis ex nigro & albo sordescens.
4.) *Purpura*, est testacei simpliciter spiralis genus, cochleam terrestrem æmulans, sed in rostrum sulcatum & longum abiens: hujus sunt	a.) Purpura. (Rondelet. 64.) b.) Purpura echinata. c.) Purpura echinata cinerea. d.) Purpura tuberosa mire variegata.

X.

Methodus Teſtaceorum I. P. Tournefort.

Claſſis I. Teſtacea Monotoma.

Monotoma ſunt vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fiſtuloſa.

Familia II. Teſtaceorum ſpiralium, quorum pars inferior in ſpiram contorquetur: horum autem ſpiræ ſeu helices exterius patent, & ſimpliciter ſpiralia dicuntur; vel eorum ſpira intus recondita & convoluta dicuntur.

Monotoma ſimpliciter ſpiralia, ſeu quorum ſpira exterior eſt; plura genera ſunt, quorum

Genera.

5.) *Buccino-purpura*, eſt teſtacei ſimpliciter ſpiralis genus parte ſuperna purpuram, inferna buccinum exhibens: hujus ſunt

Species.

a.) Buccino-purpura ore dentato, roſtro tenui rufeſcente.
b.) Buccino-purpura roſtro breviore acuminato.
c.) Buccino-purpura, tuberoſa & ſtriata.

6.) *Peribolus*, eſt teſtacei ſimpliciter ſpiralis genus, ore minimo, helice vero longiſſima & tenuiſſima: hujus ſunt

a.) Peribolus candicans, ſtriatus.
b.) Peribolus ſtria ſulcata in helicem contorta inſignitus.
c.) Peribolus tuberoſus & aculeatus.
d.) Peribolus ſpadiceus, helice candida, hamis concoloribus armata.
e.) Peribolus helice in vittam compreſſa ex albo & purpuraſcente inſignitus.
f.) Peribolus candidus, helice in vittam compreſſa, teſſellis amplioribus notatus.

7.) *Turbo*, teſtacei ſimpliciter ſpiralis genus, totum pene in cochleam, turbinibus ligneis, quibus pueri ludere ſolent, ſimillimum abiens: hujus os ſeu baſis lata & compreſſa eſt, quaſi ſeſſilis: hujus ſunt

a.) Turbo, maximus, Perſicus. (Colvmn. 60.)
b.) Turbo, marmoreus, ſanguineis lituris, variegatus.
c.) Turbo argenteus, ore aurito.
d.) Turbo aculeatus, helice glauca.
e.) Turbo radiatus, aureus.
f.) Turbo radiatus, argenteus.

X. Me-

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis I. Testacea Monotoma.

Monotoma sunt, vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fistulosa.

Familia II. Monotoma simpliciter spiralia, seu quorum spira exterior est, plura genera sunt, quorum

Genera.	Species.
8.) *Verticillus*, a Turbine vulgari differt, quod habet in basi umbilicum in spiram contortum.	
9.) *Cochlea*, testacei simpliciter spiralis genus, ambitu subrotundo, nunc compresso, nunc sphærico. Cochlea alia est terrestris, alia marina, seu in mari degens:	
α.) Cochlea terrestris nemini ignota, tenuioris est testæ, quam maritima, nitoreque illo argenteo caret, quo marina fulgere solet; hujus sunt	a.) Cochlea cinerea, edulis, maxima. (Lister. 112.) b.) Cochlea vulgaris, major, falla, maculata & fasciata, hortensis. (Lister. 113.) c.) Cochlea citrina, aut leucophæa. (Lister. 116.)

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis I. Testacea Monotoma.

Monotoma sunt vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fistulosa.

Familia II. Testaceorum spiralium, quorum pars inferior in spiram contorquetur: horum autem spiræ seu helices exterius patent, & simpliciter spiralia dicuntur; vel eorum spira intus recondita & convoluta dicuntur.

Monotoma simpliciter spiralia, seu quorum spira exterior est, plura genera sunt, quorum

Genera.	Species.
6.) Ceratites, cochleæ terrestris genus, cornu Ammonis modo intortum: hujus sunt	a.) Cochlea purpuram fundens. (Lister. 143.) b.) Cochlea quædam terrestris, compressa, de qua consule Gesnervm.
7.) Cochlea marina terrestrem crassitie testæ superat, fulget argenteo splendore, os & umbilicum habet distinctum: hujus sunt	a.) Cochlea marina, argenteo nitore fulgens, nigris maculis notata. b.) Cochlea marina maxima, tota argentea. c.) Cochlea marina, maxima, testa externe virescente. d.) Cochlea marina, nigerrima, argenteis guttis insignita.
10.) *Nerita*, testacei simpliciter spiralis genus, cochleæ adfine, dorso convexo, ore semicirculari, utplurimum dentato: hujus sunt	a.) Nerita dorso striato ex albo & nigro variegata. b.) Nerita dorso striato ex albo & purpureo variegata. c.) Nerita dorso lævi mire variegata.
11.) *Auris Marina*, testacei simpliciter spiralis genus, quod auris humanæ partem exteriorem repræsentat: hujus sunt	a.) Auris marina, testa variegata. b.) Auris marina, testa echinata. c.) Auris marina testa candidissima.

X. Me-

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis I. Testacea Monotoma.

Monotoma sunt, vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fistulosa.

Familia II.

Monotoma spiralia convoluta, seu quæ cochleam interiorem habent vix conspicuam: horum sunt

Genera.	Species.
1.) *Concha venerea*, testacei spiralis convoluti genus, cujus os pudendi muliebris fissuram exhibet, labiis sese introrsum sic convolventibus, ut spira sit interior: hujus sunt	a.) Concha venerea. b.) Concha fasciata. (Rondelet. 103.) c.) Conchæ venereæ quarta species. (Rondelet. 103.) d.) Concha venerea, basi sessili, testæ solidioris spadiceæ cum guttis dilutioribus. e.) Concha vencrea oculata.
2.) *Concha Persica*, testacei spiralis genus, cujus os amplissimum est, spira vero adeo parva, ut vix adpareat: hujus sunt	a.) Concha Persica major. (Ionstoni.) b.) Concha maxima Neritoides, exotica seu candida. (Colvmn. 69.) c.) Concha Neritoides altera minor variegata (Colvmn.)
3.) *Nautilus*, testacei spiralis convoluti genus, Cymbium forma sua referens, cujus puppis in arcum convolvitur: hujus sunt	a.) Nautilus argenteus, testæ crassioris. b.) Cochlea olearia antiquorum. (Rondelet. 69.) c.) Nautilus umbilicatus. d.) Nautilus testæ lævioris testacei polypi prima species. (Rondelet. 317.)

X. Me-

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis I. Testacea Monotoma.

Monotoma sunt, vel Univalvia, vel Spiralia, vel Fistulosa.

Familia II

Monotoma spiralia convoluta, seu quæ cochleam interiorem habent vix conspicuam: horum sunt:

4.) *Conchylium*, testacei spiralis convoluti genus, cujus os longum, spira interior, basis vero terebrata: hujus sunt

a.) Concha Persica terebrata Anglorum.

b.) Concha utroque latere se colligens.

Familia III. Testaceorum Fistulosorum seu Tubulosorum, quæ, ut ex nomine patet, fistulæ in modum tenuantur.

Monotoma Fistulosa, fistulæ in modum tenuata, horum sunt.

1.) *Dentale*, testacei fistulosi genus, cornu acutum, seu aprideutem repræsentans.

2.) *Entale*, testacei fistulosi genus, cornu obtusum seu truncatum exhibens.

3.) *Tubuli Marini*, testacei fistulosi genus, tubulos serpentium more inflexos æmulans.

X. Me-

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

		Genera.	Species.
Classis II. Testacea Ditoma. Ditoma habent duas testas vel arcte clausas, vel utrinque hiantes.	Familia I. Testaceorum Ditomorum, quæ ex duabus testis ad cardinem articulatis compinguntur & arcte undique clauduntur: hujus sunt	1.) *Concha* testacei ditomi genus ex duabus testis subrotundis arcte se claudentibus & articulatis constans, quorum cardines mediam semper partem occupant: hujus sunt	a.) Concha imbricata marmorea maxima. b.) Concha imbricata variegata minor. c.) Concha striata. (Rondel. 32.) d.) Concha echinata. (Rondel. 22.) e.) Concha corallina. (Rondel. 25.) f.) Concha rugata. (Rondel. 25.) g.) Concha nigra. (Rondel.) h.) Concha fasciata. (Rondel. 32.) i.) Concha crassæ testæ. (Rondel.)
		2.) *Concula*, testacei ditomi genus a concha diversum, quod ex duabus testis oblongis, cardine in extremo posito conflatur: hujus sunt	a.) Concha longa. (Rondel. 23.) b.) Concha longa altera. (Rondel. 23.) c.) Concha longa Oceanica. d.) Concha rhomboides. (Rondel. 27.)
		3.) *Ostreum* testacei ditomi genus, testæ crassioris orbiculatæ, compressæ, cardine medium occupante: hujus sunt	a.) Ostrea. (Rondel. 37.) b.) Ostrea sylvestria. (Rondel. 40.) c.) Concha margaritifera.

X.

Methodus Teſtaceorum I. P. Tournefort.

Claſſis II. Teſtacea Ditoma.

Ditoma habent duas teſtas vel arcte clauſas, vel utrinque hiantes.

Familia I.

Genera.

4.) *Mytulus* teſtacei ditomi genus, cujus teſtæ una parte acutæ, altera ſubrotundæ ſunt, angulo obtuſo medium occupante, cartilagine non cardine connexæ, ab angulo acuto ad obtuſum protenſæ: hujus ſunt

Species.

a.) Mytulus. (Rondel. 46.)
b.) Mytulus. (Rondel. 48.)
c.) Mytulus teſta viridente.
d.) Mytulus teſta Janthina.

5.) *Pinna*, quæ ſola magnitudine a Mytulo differt: hujus ſunt

a.) Pinna magna. (Rondel. 50.)
b.) Pinna parva. (Rondel. 53.)

6.) *Perna* a cæteris ſuæ ſortis maxime differt, quod dactyli figuram habeat, & in ſaxo niduletur.

X. Me-

X.

Methodus Testaceorum I. P. Tournefort.

Classis II. Testacea Ditoma. — Ditoma habent duas testas, vel arcte clausas, vel utrinque hiantes.

Familia I. Genera. — Species.

7.) *Pholas*, testacei ditomi genus, cujus testæ ad cardinem duabus auribus ornantur: hujus sunt
- a.) Pecten. (Rondel. 15.)
- b.) Pecten alter. (Rondel. 17.)
- c.) Pecten testa variegata tuberosa.
- d.) Pecten testa rubra.
- e.) Pecten testa nigra.

8.) *Pectunculus* a pectine differt, quod aures habet inæquales, majorem unam, alteram minorem, vel quandoque unam tantum: hujus sunt
- a.) Pectunculus. (Rondel. 18.)
- b.) Pectunculus candidissimus.
- c.) Pectunculus flavescens.
- d.) Pectunculus variegatus granulatus.

Familia II. Testaceorum Ditomorum, quæ semper hiant: hujus sunt

1.) *Chamæ*, testacei ditomi genus subrotundum, lateribus ita sinuatis, ut, etiam si claudantur, semper hient: harum sunt
- a.) Chamæ.
- b.) Chama nigra. (Rondel. 14.)
- c.) Chama Glycimeris. (Rondel. 13.)

2.) *Solen* testacei ditomi genus, novaculæ manubrium referens, anterius clausum, ad latera hians: hujus sunt
- a.) Solen mas. (Rondel. 43.)
- b.) Solen femina. (Rondel 44.)
- c.) Solen testa maxima candida.
- d.) Solen testa minori nigricante.

X.

Methodus Teſtaceorum I. P. Tournefort.

Claſſis III. Teſtacea Polytoma.

Polytoma ſunt, quorum teſtæ ex pluribus partibus vel articulatæ, vel per cartilaginem connexæ ſunt.

Familia I. Polytomorum Teſtaceorum, quorum teſtæ ex pluribus partibus articulatis compinguntur: hujus eſt	*Echinus*, teſtacei Polytomi genus, cujus partes per ſuturam articulantur & aculeis muniuntur: huius ſunt	a.) Echinus. (Rondel. 578.) b.) Echinometra. (Rondel. 581.)
Familia II. Polytomorum Teſtaceorum, quorum teſtæ per cartilaginem connectuntur: hujus eſt	*Balanus*, teſtacei polytomi genus, cujus partes per harmoniam articulantur: hujus ſunt	a.) Balanus. (Rondel. 29.) b.) Balanus minimus. (Rondel. 30.)

XI. Me-

XI.

Methodus Testaceorum Georg. Eb. Rumpfii (o) vel potius D. D. Sipmanni; quæ in insula Amboina reperiuntur.

1. Instructissimus Conchyliorum Collector, magis mercator quam litteratus, diu in patria Conchyliorum exoticorum vivens perfectum sibi apparatum conquisivit, cujus dispositionem non tam ipsi, quam ejus amico D. D. Sipmanno, ut ex ipso opere patet, tribuo.

2. Ipsa collectio sua mole laborat ad perficiendos classium & generum ordines, nec non specierum differentias, ceteroquin aptissima, si intelligentem habuisset dispensatorem.

Classis I. Univalvia, Turbinata.

Genera.	Species.
1.) *Nautilus*	a.) Nautilus major seu crassus.
	b.) Nautilus tenuis, major & minor.
	c.) Cornu Hammonis.
	d.) Carina Holothuriorum.
2.) *Cochlea lunata.*	a.) Cochlea lunaris, major, auris Gigantum.
	b.) Cochlea lunaris, minor, cum quatuor varietatibus.
	c.) Cochlea laciniata, Lobbetjes.
	d.) Calcar.
	e.) Trochus.
	f.) Trochus granulatus.
	g.) Trochus longævus seu papuanus.
3.) *Cochleæ valvatæ læves* & *striatæ.*	a.) Vitellus. Dooyer.
	b.) Vitellus compressus.
	c.) Vitellus pallidus.
	d.) Albula.
	e.) Tenuis.
	f.) Gothica.
	g.) Fluviatilis seu rubella.
	a.) Alpina.
	b.) Valvata secunda seu fasciata.
	c.) Valvata undulata.
	d.) Valvata granulata.
	e.) Valvata sulcata, nigra.
	f.) Valvata sulcata, alba.
	g.) Valvata compressa.
	h.) Valvata spinosa.

(o) Georg. Eberh. Rumpfii *d'Amboinsche Rarityt-Kamer. Amsterdam* 1705. *p.* 167.

XI.

Methodus Teſtaceorum Georg. Eb. Rumpfii.

- Claſſis I. Univalvia Turbinata.
  - Genera.
    - 4.) *Caſſides.*
      - Ordines.
        - A. Tuberoſæ.
          - Species.
            - a.) Tuberoſa, Cornuta.
            - b. Caſſis rubra.
            - c.) — pennata.
            - d.) — aſpera.
        - B. Verrucoſæ.
          - a.) Verrucoſa, Ceramica.
          - b. c. d.) Wydmondige Pimpeltje.
          - e.) Kleine geelmonden.
          - f.) Buccinum piloſum.
          - g. h.) Ranula.
          - i.) Knoddekens.
        - C. Læves.
          - a.) Groote Wydmonders.
          - b.) Caſſis Cinerea, lævis.
          - c.) Areola.
          - d. e.) Fimbriata, ſtriata.
          - f.) Fimbriata, lævis.
        - D. Murex.
          - g.) Murex, Blatta Byzantina.
          - h.) Murex ſaxatilis.
          - i.) Murex minor.
          - l.) Schorpiœntje.
          - m.) Gedroogde peeren.
          - n.) Hauſtellum.
          - o.) Tribulus.
    - 5.) *Cochleæ globoſæ.*
      - a.) Cochlea ſtriata, ſeu olearia.
      - b.) Cochlea pennata.
      - c.) Cochlea patula.
      - d.) Rapa.
      - e.) Bulla.
      - f.) Cochlea imbrium.
      - g.) Ficus.
      - h.) Umbilicata.
      - i.) Araularia maior & minor.
      - l.) Serpentuli.
      - m.) Cochlea terreſtris.
      - n.) Cochlea lutaria.

XI. Me-

XI.

Methodus Testaceorum G. E. Rumphii.

Classis I. Univalvia Turbinata.

Genera.	Species.
	a.) Buccina Auruana.
	b.) Buccinum Tritonis.
	c.) Buccina tuberosa.
	d.) Buccinum tuberosum, rufum.
	e.) Pseudopurpura *seu Fusus.*
	f.) Fusus.
	g.) Fusus brevis.
	h.) Buccinum pilosum, primum & crassum.
	i.) Buccinum pilosum, tenue.
	k.) Mitra Papalis.
	l.) Mitra Episcopi.
6.) *Turbines.*	m.) Turris Babylonica.
Buccina.	n) Buccinum granulatum, planum.
	o) Buccinum granulatum, rotundum.
	p) Buccinum aculeatum.
	q.) Buccinum undosum.
	r.) Buccinum lineatum.
	s.) Digitellus.
	t.) Turricula.
	v.) Turricula plicata.
	w) Turricula granulata.
	x.) Turricula filis cincta.
	y.) Buccinum angulosum.
	z.) Buccinum scalare.
	aa.) Buccinum spirale.
	bb.) Buccinum foliorum.

XI.

Methodus Teſtaceorum G. E. Rumpfii.

Claſſis I. Univalvia Turbinata.

- Genera.
  - 7.) *Strombi.*
    - Ordines. Simplices.
      - Species.
        - a.) Strombus primus ſeu fubula.
        - b. c. d. e. f.) Strombus dentatus.
        - g. h.) Lanceatus.
        - i.) Granulatus.
        - l.) Chalybeus.
        - m.) Strombus caudatus, albus.
        - n.) Strombus caudatus, granulatus.
        - o.) Strombus Tympanorum.
    - Ordines. Tuberoſi.
      - Species.
        - a.) Strombus tuberoſus.
        - b.) Strombus anguloſus.
        - c.) Strombus fluviatilis.
        - d.) Strombus paluſtris, ſeu lævis.
        - e.) Terebellum.
        - f.) Strombus Mangiorum.
  - 8.) *Volutæ.*
    - a.) Cymbium.
    - b.) Meta Butyri.
    - c.) Voluta Muſicalis.
    - d.) Cereola.
    - e.) Voluta Tigerina.
    - f.) Nubeculæ.
    - g.) Veſpertilio.
    - h.) Harpa.
    - i.) Voluta marmorata.
    - l.) Voluta pennata.
    - m.) Voluta maculoſa.
    - n.) Voluta cinerea.
    - o.) Voluta ſpectrorum.
    - p.) Voluta maculoſa, granulata.
    - q.) Voluta filis cincta.
    - r.) Voluta filoſa.
    - s.) Voluta faſciata.
    - t.) Voluta arenata.
    - u.) Muſica ruſticorum.
    - v.) Grauwe Munnicken.
    - w.) Terebellum granulatum.
    - x.) Voluta fluviatilis.
  - 9.) *Alatæ.*
    - a.) Harpago.
    - b.) Cornuta. Heptadactyli.
    - c.) Cornuta decumana.
    - d.) Cornuta millepeda.
    - e.) Cornuta nodoſa.
    - f.) Alata lata.
    - g.) Epidromis.
    - h.) Epidromis gibboſa.
    - i.) Epidromis minima.
    - l.) Lentiginoſa.
    - m.) Pugiles.
    - n.) Luhuana.
    - o.) Canarium.
    - p.) Canarium latum.

XI. Me-

ad Append. pag. 332.

ad Observ LXXXIII. pag 330.

ad Append. pag: 335.

J. M. Stock sculps.

XI.

Methodus Testaceorum G. E. Rumpfii.

Genera.	Species.	
Classis I. Univalvia, Turbinata.		
10.) *Porcellanæ.*	a.) Porcellana guttata.	h.) Talpa.
	b.) Porcellana montosa.	i.) Carneola.
	c.) Concha testudinaria.	l.) Porcellana salita.
	d.) Argus.	m.) Porcellana litterata.
	e.) Groote schlange koppen.	n.) Porcellana lentiginosa.
	f.) Kleine schlangen koppen.	o.) Variolæ.
	g.) Witte Jambœzen.	p.) Ovum.
11.) *Porcellanæ minores.*	a.) Thoracicum oculatum.	
	b.) — — stellatum.	
	c.) — — vulgare seu	Cauricium, *ist die Muschel zur Indianischen Scheide-Münze.*
	d.) — — quartum.	
	e.) Casuaris *Eyers.*	
	f.) Dracæna.	
	g.) Blauwruggen.	
	h.) Isabella.	
	i.) Kleine argus.	
	l.) Nussatellana granulata.	
	m. Globuli.	
	n.) Aselli.	
	o.) Pediculus.	
12.) *Cylindri.*	a.) Cylinder porphyraceus.	g.) Kamelotjes.
	b.) — — niger.	h.) Blauwe droppen.
	c.) — — tertius.	i.) Groote Glimmetjes.
	d.) — — quartus.	k.) Kleine Glimmetjes.
	e.) — — quintus.	l.) Achaatjes.
	f.) Grauwe Monnicken.	m.) Cylinder lutarius.
Classis II. Conchæ Univalviæ.		
1.) *Conchæ.*	a.) Lepas. Patella.	e.) Opercula Callorum.
	b.) Auris marina.	f.) Noote doppen.
	c.) Balani.	g.) Orlamjes.
	d.) Verruca testudinaria.	
2.) *Solenes.*	a.) Solen arenarius.	d.) Denticuli Elephantis.
	b.) — lignorum.	e.) Solen Petrarum.
	c.) — anguinus.	

XI.

Methodus Teſtaceorum Georg. Eb. Rumpfii.

Claſſis III. Teſtacea bivalvia.

Genera.	Species.
1.) *Chamæ ſtriatæ.*	a.) Chama aſpera ſquamata
	b.) — — litterata.
	c.) — — ſtriata.
	d.) Cardiſſæ.
	e.) Quadrans.
2.) *Chamæ læves.*	a.) Chama lævis.
	b.) — — lutaria.
	c.) — — optica.
	d.) — — circinata.
	e.) — — virgata.
	f.) — — litterata oblonga.
	g.) — — litterata rotunda.
	h.) — — pectinata.
	i.) — — ſcobinata.
	l.) Favus.
	m.) Lingua Tigerina.
	n.) Chama granoſa.
	o.) Remies.
	p.) Kapua.
3.) *Pectines. Pectunculi.*	a.) Pecten primus ſ. Jacobs ſchulpen.
	b.) Pecten ſecundus.
	c.) Pecten tenuis.
	d.) Annuſium.
	e.) Radula.
	f.) Pectunculus vulgaris.
	g.) Fragum.
	h.) Fragum album.
	i.) Pecten virgineus.
	l.) — — granoſus.
	m.) — — ſaxatilis.
	n.) — — bullatus.
	o.) Teſtæ.
	p.) Teſta pectinata.

XI.

Methodus Testaceorum G. E. Rumpfii.

Classis III. Testacea bivalvia.

Genera.	Species.
4.) *Tellinæ.*	a.) Tellina arenosa. b.) — — saxatilis. c.) — — Gari. d.) — — violacea. e.) — — cultriformis. f.) Lingua felis. g.) Tellina virgata. h.) — — lævis, alba, rotunda. i.) Folium. l.) Petasunculus. m.) — — striatus. n.) Vulsella.
Solenes bivalvii.	a.) Ungues, Dactyli, Vaginæ. b.) Rostrum Anatis. c.) Bia Catsjo.
5.) *Musculi. Mituli.*	a.) Musculus anasarcus. b.) Mitulus vulgaris major. c.) Mitellus saxatilis. d.) Musculus arenarius. e.) Pholas. f.) Avicula. g.) Pholas lignorum.
6.) *Pinnæ.*	a.) Pinna oblonga. b.) — lata. c.) — alba.
7.) *Ostreæ.*	a.) Ostreum radicum, seu lignorum. b.) — — palorum. c.) — — saxatile. d.) — — placentiforme, seu ephippium. e.) — — plicatum. f.) Ostreum echinatum. g.) — — Perlarum. h.) — — divisum. i.) — — tortuosum. l.) — — electrinum. m.) Mitella. n.) Langhalsen.

XII.

Methodus Teſtaceorum Car. Nic. Langii (p).

1. Hunc ante virum neminem invenimus, qui conchylia per inferiora genera tam accurate ex valvarum numero, turbinum varietate, & ſuperficierum conditione digeſſit.

2. Ejus tamen in ordinandis teſtaceis methodus, longe abeſt, ut omnium palato arriſerit, ut potius acerrimos cenſores invenerit. *Celeberr.* D. Fischeri (q) ſequens eſt de hac methodo judicium: Langius Tournefortii methodum botanicam imitatus videri poterat accuratior, ſed in definiendo, examinando & diſponendo valde eſt proletarius, differentiis obſcuris, negativis longe petitis utitur, conchas anatiferas male cochleis annumerat, ex umbilicis marinis Buonanni incaute cornua Ammonis facit. Taceo miram ſpecierum confuſionem, quæ inutilem Langii laborem demonſtrabit, ſecundum ejus conſilia theſaurum teſtaceorum diſpoſituro.

3. Acrem nimis ego hanc judico eſſe cenſuram. Licet enim erraverit in diſponendis conchis anatiferis & umbilicis marinis, imo male fecerit, nautilum & cornua Ammonis ex turbinatis excludere: negari tamen nequit, ipſum multa præſtitiſſe in anteceſſorum methodis nondum enucleata, neque cenſorem exiſtimo humani aliquid a ſe alienum reputaſſe.

4. Diſtinxit totam methodum in tres generales partes, quarum unaquæque ſuas recondit claſſes, ſectiones & genera; generum definitiones ubique ſuppeditavit.

		Sectiones.	Genera.
Pars I. Teſtacea marina Univalvia non turbinata.	Claſſis I. Teſtacea marina univalvia non turbinata & in ſe non contorta.	A. nullo modo contorta, vel ſolummodo in ſummo apice tantillum incurvata.	1.) Valva ſuperius convexa ac frequentius clauſa ſubtus concava & aperta mobili. *Patella.* 2. Valva ſuperius aperta & concava inferius clauſa & immobili. *Balani.*

XII. Me-

(p) Car. Nic. Langii *methodus nova teſtatea marina in ſuas claſſes, genera & ſpecies diſtribuendi. Lucern* 1722. 4. (q) *Erudit. Lipſ.* 1733. *p.* 490.

XII.

Methodus Testaceorum Car. Nic. Langii.

Pars I. Testacea marina Univalvia non turbinata.

Classis I. Testacea marina univalvia non turbinata & in se non contorta.

Sectiones.

Genera.

B. in se contorta & tubuli instar concava. Tubuli marini.

1.) Tubuli marini in una tantum extremitate leviter incurvati ex altera parte recti. *Penicilla.*

2.) Tubuli marini instar dentium leviter tantum arcuatim incurvati, & versus unam extremitatem acuminati. *Dentales.*

3.) Tubuli marini notabiliter incurvati & radicum in modum varie inflexi. *Tubuli radiciformes.*

4.) Tubuli marini incurvati vermium in modum formati & intorti. *Tubuli vermiculares.*

Classis II. Testacea marina univalvia, non turbinata in se contorta, ita, ut eorum spiræ non promineant.

A. in se transversim vel oblique secundum longitudinem contorta.

1.) Transversim contorta circumvolutionibus nulla ex parte prominentibus. *Nautili.*

2.) Oblique secundum longitudinem contorta, circumvolutionibus nullo modo prominentibus. *Nuces marinæ.*

B. ita secundum longitudinem contorta, ut circumvolutiones non appareant, sed adsit rima angusta dentata vel striata, vel lævi. Porcellanæ.

1.) Nec spiralia, nec fimbriata, nec thoracica, sed integra. *Porcellanæ vulgares.*

2.) Basi fimbriata, extremitate densior. *Porcellanæ fimbriatæ.*

3.) Interna spira exterius tantillum apparente. *Porcellanæ spirales.*

4.) Basi prominente tumida leviter tuberosa. *Porcellanæ thoracicæ.*

5.) Rima angusta nec striata, nec dentata, in utraque extremitate clausa. *Porcellanæ minores integræ.*

XII.

Methodus Teſtaceorum Car. Nic. Langii.

Pars I. Teſtacea marina, univalvia, non turbinata.

Claſſis II. Teſtacea marina, univalvia, non turbinata, in ſe contorta, ita, ut eorum ſpiræ non promineant.

Sectiones.

C. Serpentum more ita in ſe contorta, ut eorum circumvolutiones nulla ex parte promineant, & tamen in utroque latere appareant. Cornua Ammonis.

Genera.

Cornua Ammonis unita.

1.) Orbis externi amplitudine & craſſitie reliquis interioribus proportionata. *Cornua Ammonis unita proportionata.*

2.) Orbis externi amplitudine improportionata. *Cornua Ammonis anomalæ.*

Cornua Ammonis diviſa.

1.) Simpliciter diviſa orbi exteriori ſeparato. *Cornua Ammonis ſimpliciter diviſa.*

2.) Omnibus orbibus a ſe invicem ſeparatis. *Cornua Ammonis integre diviſa.*

Pars II. Cochleæ Marinæ.

Claſſis I. Cochleæ marinæ longæ.

A. Cochleæ marinæ longæ, ore, labiis rectis.

1.) Cochleæ marinæ a baſi in acumen deſinentes. *Cochleæ pyramidales.*

2.) Ore pyramidalium magis dilatato æqualiter fere craſſæ & latæ. *Cochleæ cylindroideæ.*

B. Cochleæ longæ, pyriformes.

a. minores.

1.) Circa baſin leviter ventricoſæ & in acumen deſinentes. *Cochleæ longæ pyriformes minores vulgares.*

2.) Labio ſiniſtro rugoſo & intorto circa medium leviter ventricoſæ acumine obtuſo integro. *Cochleæ longæ pyriformes minores intortæ integræ.*

3.) Omnia prioris ſummitas ſulco notata. *Cochleæ longæ pyriformes majores intortæ & ſulcatæ.*

XII. Me-

XII.

Methodus Testaceorum C. N. Langii.

Pars II. Cochleæ Marinæ.

Classis I. Cochl. marinæ longæ.

Classis II. Cochleæ Canaliculatæ.

Sectiones.	Genera.
B. Cochleæ longæ, pyriformes.	b.) majores. 1.) Basi leviter ventricosa acumine tenuiori. *Cochleæ longæ pyriformes majores, vulgares.* 2.) Basi leviter ventricosa acumine obtuso integro. *Cochleæ longæ pyriformes majores, intortæ integræ.* 3.) Basi leviter ventricosa, sulco donatæ, æqualiter crassæ. *Cochleæ longæ pyriformes majores intortæ cylindroideæ.*
A. Cochleæ canaliculatæ rectæ.	1.) Ore elongato angustiore. *Cochleæ canaliculatæ rectæ tenuiores.* 2.) Ore elongato ampliore. *Cochleæ canaliculatæ rectæ crassiores vulgares.* 3.) Ore ex latere sinistro labioso e pluribus laminis sibi impositis. *Purpuræ rectirostræ.*
B. Cochleæ canaliculatæ incurvatæ.	1.) Canaliculo introrsum incurvato. *Cochleæ canaliculatæ introrsum incurvatæ.* 2.) Canaliculo extrorsum incurvato. *Cochleæ canaliculatæ extrorsum incurvatæ vulgares.* 3.) Extrorsum incurvatæ prope summitatem sulcatæ & auritæ. *Murices.* 4.) Aure magis expansa crispa & concava aut in appendices canaliculatas ungulorum instar abeunte. *Cochleæ muriciformes insigniter crispatæ vel ungulatæ.* 5.) Ore in latere sinistro labioso, striato, rugoso, e pluribus laminis formato. *Purpuræ curvirostræ.* 6.) Canaliculo sinistrorsum reflexo ac depresso, dextro oris labio fimbriato dentato, sinistro labioso striato, testa pone labium sinistrum fimbria & pericoclio instructa. *Cochleæ cassidæformes umbilicatæ.* 7.) Umbilicato umbonatæ oris sinistro labio tenuissime labiato. *Cassidæ.*

XII. Me-

XII.

Methodus Teſtaceorum C. N. Langii.

Pars II. Cochleæ Marinæ.

Claſſis III. Cochleæ marinæ ore & mucrone ſimul elongatis, prima ſpira notabiliter ventricoſa. Buccina.

Sectiones.

A. Buccina parva.

Genera.

a. Ore ſuperius aperto acuminato. *Buccina parva pruniformia acuminata.*

b.) Ore aperto in canaliculum abeunte. *Buccina parva pruniformia canaliculata.*

c.) Ore canaliculato incurvato. *Buccina parva curviroſtra.*

d.) Ore aperto ſulcato. *Buccina parva ſulcata.*

e.) Ore aperto ſulcato & canaliculato. *Buccina parva ſulcata & canaliculata.*

f.) Ore perpendiculari & integro. *Buccina parva integra ore perpendiculari.*

g.) Ore obliquo. *Buccina parva integra ore obliquo.*

B. Buccina majora.

a.) Ore ſimplici in canaliculum roſtratum abeunte. *Buccina majora canaliculata roſtrata ore ſimplici.*

b.) Ore labioſo. *Buccina majora canaliculata roſtrata ore labioſo.*

c.) Ore labioſo. *Buccina majora canaliculata roſtrata ore labioſo ſimbriata.*

d.) Ore ad plauſum aperto canaliculato ſulcato. *Buccina majora canaliculata & ſulcata.*

XII.

Methodus Testaceorum C. N. Langii.

Pars II. Cochleæ Marinæ.

Classis IV. Cochleæ marinæ ore & mucrone elongatis, prima spira notabiliter angustiori quam in Buccinis. Strombi.

Sectiones.	Genera.
A. Strombi ore superius aperto.	a.) Strombi ore superius aperto. *Strombi canaliculati acuminati.*
	b.) — — — — *Strombi canaliculati rostrati ore simplici.*
	c.) — — — — *Strombi canaliculati rostrati ore angulosо.*
	d.) — — — — *Strombi canaliculati rostrati ore labiosо.*
	e.) — — — — *Strombi sulcati vulgares.*
	f.) — — — — *Strombi sulcati labiosо ore.*
B. Strombi integri.	a.) Strombi integri. *Strombi integri vulgares seu ore simplici.*
	b.) — — — *Strombi integri ore labiosо.*
	c.) — — — *Strombi integri ore fimbriato & dentato.*

Classis V. Cochleæ marinæ ore admodum brevi mucrone insigniter elongato. Turbines. Trochi.

A. Turbines aperti.	a.) Ore superius lato. *Turbines aperti, lati.*
	b.) Ore oblongo aperto acuminato. *Turbines aperti, acuminati.*
	c.) Ore in canaliculum rectum elongatum abeunte. *Turbines aperti, canaliculati recti rostri.*
	d.) Ore obliquo canaliculo oblique sinistrorsum incurvato. *Turbines aperti, canaliculati oblique incurvati.*
	e.) Ore aperto sulcato. *Turbines aperti sulcati.*
B. Turbines integri.	a.) Ore clauso integro. *Turbines integri.*
	b.) Ore integro acuminato. *Turbines integri acuminati.*
	c.) Ore integro fimbriato. *Turbines integri fimbriati.*
C. Cochleæ ore brevi, basi lata in mucronem rectilineum conoideum abeunte.	a.) Ore angusto & horizontaliter compresso. *Trochi ore angusto & horizontaliter compresso.*
	b.) Ore ampliore & subrotundo. *Trochi ore ampliore & subrotundo.*

XII.

Methodus Teſtaceorum C. N. Langii.

Pars II. Cochleæ Marinæ.

Claſſis VI. Cochleæ marinæ breviores ore & mucrone contractis.

Sectiones.		Genera.
A. Cochleæ breviores ore & mucrone proportionatis.	a.)	Ore & mucrone proportionatis. *Cochleæ trochiformes.*
	b.)	— — — — *Cochleæ marinæ terreſtriformes.*
	c.)	— — — — *Cochleæ depreſſæ.*
B. Cochleæ breviores perpendiculariter anomalæ.	a.)	Perpendiculariter anomalæ. *Neritæ.*
	b.)	— — — — *Cochleæ umbilicatæ foramine ſpirarum ſemicirculari.*
	c.)	— — — — *Cochleæ umbilicatæ foramine ſpirarum rotundo.*
C. Cochleæ breviores horizontaliter anomalæ.	a.)	Horizontaliter anomalæ, *Cochleæ planæ.*
	b.)	— — — *Aures marinæ.*
D. Cochleæ priorum cochlearum opercula.	a.)	Opercula cochlearum minimarum ſubrotunda.
	b.)	Opercula cochlearum minimarum oblonga. *Ungues marini.*

XII. Me-

XII.

Methodus Testaceorum C. N. Langii.

Pars III. Conchæ Marinæ.

Classis I. Conchæ æquilateræ.

Sectiones.	Genera.
A. Conchæ marinæ valvis æqualibus æquilateræ, cardine notabili umbone donato & recta incurvato.	a.) Subrotundæ vulgares incurvatæ. b.) Subrotundæ cordiformes umbone cardinum diducto. *Bucardia.* c.) Cordiformes æquilateræ umbone cardinum unito.
B. Conchæ marinæ valvis æqualibus æquilateræ mediocriter vel leviter umbonatæ & recta incurvatæ.	a.) Subrotundæ cardine denticulatim unito, ora testæ crenata. *Conchæ crassæ.* b.) Cardine aurito testa striata rugosa. *Pectines tenues.* c.) Testa elongata auribus inæqualibus striis tenuioribus. *Pectunculi.* d.) Striis crassioribus, testa interne canaliculata. *Conchæ pectiniformes æquilateræ subrotundæ.* e.) A cardine ad oram magis contractæ.
C. Conchæ marinæ valvis æqualibus æquilateræ notabiliter umbonatæ & oblique incurvatæ.	a.) Subrotundæ vulgares. b.) Umbone eminentiore fossulam cordiformem sua curvatura formante. *Chamæ æquilateræ.*
D. Conchæ marinæ valvis æqualibus æquilateræ mediocriter vel leviter umbonatæ & oblique incurvatæ.	a.) Subrotundulæ. b.) Compressæ testa tenuiore cardine magis contracto. *Tellinæ æquilateræ.*
E. Conchæ marinæ valvis æqualibus æquilateræ cardine umbone destituto.	a.) Testa tenuissima cardine per harmoniam unito. *Pinnæ rectæ.* b.) — — — — — — — — *Pinnæ incurvatæ.*

XII.
Methodus Teſtaceorum C. N. Langii.

Pars III. Conchæ Marinæ.

Claſſis II. Conchæ inæquilateræ.

Sectiones.	Genera.
A. Conchæ marinæ valvis æqualibus inæquilateræ, notabiliter umbonatæ & recta incurvatæ.	a.) Subrotundæ vulgares. b.) Cordiformes umbone cardinum ducto. *Conchæ cordiformes.* c.) Umbone cardinum unito. *Conchæ cordiformes.*
B. Conchæ marinæ valvis æqualibus inæquilateræ, mediocriter vel leviter umbonatæ & recta incurvatæ.	a.) Subrotundæ. *Concha margaritifera.*
C. Conchæ marinæ valvis æqualibus inæquilateræ notabiliter umbonatæ & oblique incurvatæ.	a.) Subrotundæ triangulares vulgares. b.) — — — — *Chamæ inæquilateræ.* c.) Quadrilateræ ventricoſæ. *Conchæ rhomboidales.*
D. Conchæ marinæ valvis æqualibus inæquilateræ, notabiliter umbonatæ & oblique incurvatæ.	a.) Subrotundæ. b.) Conchæ pectiniformes inæquilateræ triangulares. c.) — — — — — — — *Tellinæ inæquilateræ.* d.) Inſigniter ventricoſi triangulares. *Conchæ Tellinæformes.* e.) A cardine ad oram anguſtiores. *Muſculi.* f.) Cardine in extremitate unius lateris ſito ad oram anguſtiores. *Conchæ longæ.* g.) A cardine ad oram admodum anguſtæ, inæquilateræ, extremitate hiantes. *Conchæ ſoleneformes.* h.) Rugoſæ, ventricoſæ a cardine acuminato ad oram ſubrotundam & latam productæ. *Mytuli.*

XII. Me-

XII.

Methodus Testaceorum C. N. Langii

Pars III. Conchæ Marinæ.

Classis II. Conchæ inæquilateræ.

Sectiones.	Genera.
E. Conchæ marinæ valvis æqualibus inæquilateræ mediocriter vel leviter umbonatæ & oblique incurvatæ, structura & striis peculiaribus,	a.) Triangulares rugosæ striis densissimis & laminis imbricatim positis. *Conchæ imbricatæ.*
	b.) Admodum elongatæ cardine e latere longiore per harmoniam unito, altero brevissimo aperto, testa dupliciter extrorsum replicata & cellulosa. *Pholades.*
	c.) Ventricosæ striis testæ filamentis longis donatis. *Dactyli.*
	d.) Striis transversis in aculeos abeuntibus cardine per gynglimum unito. *Hysteroconchæ.*
	e.) Instar alæ expansæ. *Conchæ Aliformes.*
	f.) Figuræ quadratæ. *Conchæ quadratæ.*
F. Conchæ marinæ inæquilateræ non umbonatæ cardine umbone destituto.	a.) A cardine tantillum profundiori ad oram angustissimæ uno latere elongato, altero brevissimo. *Solenes.*
	b.) Structura peculiari.

Classis III. Conchæ anomalæ s. valvis inæqualibus.

A. Conchæ marinæ anomalæ umbonatæ & auritæ.	a.) Testa valida insigniter ventricosa striis latissimis. *Pectines anomali.*
	b.) Testa crassiore umbone cardinis interne validissimo. *Spondyli.*
B. Conchæ marinæ vix aut irregulariter tantum umbonatæ rugosæ.	a.) Cardine per simplicem gynglimum unito. *Ostrea vulgaria.*
	b.) Cardine per denticulos simul unito. *Ostrea denticulata seu crenata.*
	c.) Cardine intus apophysi rugosa instructo. *Ostrea rostrata.*
	d.) Structura vel striis peculiaria. *Ostrea peculiaria.*

XIII.

Methodus Teſtaceorum Joh. Chr. Kundmanni. (r)

1. Clariſſimus Auctor compendioſam exhibet methodum ſed in ſubdiviſione generum quorundam nimis prolixus eſt, & in claſſe ſecunda bivalvia cum univalvibus perperam conjungit.

2. Definitiones generum ſatis accuratæ ſunt, in definiendis ſpeciebus brevem nimis ſe geſſit.

Clavis methodi.

Claſſis I. Teſtacea univalvia non turbinata.

		Species.
Genus.	I. Def. Teſtacea marina univalvia valde ventricoſa & ita in ſe transverſim contorta, ut eorum circumvolutiones nulla ex parte promineant, & nullo modo vel vix appareant.	1. *Nautili.* *Schiffküttel.*
Genus.	II. Def. Teſtacea univalvia marina in formam coni faſtigiata non turbinata & in ſe non contorta, nullo modo vel ſolummodo in apice tantillum incurvata valva ſuperius convexa ac frequentius clauſa ſubtus vero concava & aperta mobili.	2. *Patellæ.* *Schüſſel-Muſchel.* 3. *Spondyli.* *Stein-Auſtern.* 4. *Aures marinæ.* 5. *Umbilici marini.*

XIII. Me-

(r) Joh. Christ. Kundmann. *Promptuarium rerum naturalium & artificialium &c. Wratislav.* 1726. 4to.

XIII.

Methodus Testaceorum J. C. KUNDMANNI.

Classis I. Testacea univalvia non turbinata.	Genus.	III.	
	Ordo.	1. Testacea canaliculata recta, brevia, structuræ tenuis ore frequenter angustiore adnata super saxa & ostreorum testas.	6. *Balanorum testæ seu calyces.* *Zahn-Muschel.*
		II. Testacea univalvia intus cava vermium in modum formata varie incurvata inflexa ac intorta.	7. *Tubuli vermiculares.* *Wurmformichte Meer-Röhrchen.*
Classis II. Testacea Bivalvia.	Genus.	I.	
	Ordo.	1. Testacea valvis æqualibus æquilateris mediocriter vel leviter umbonatis & incurvatis cardine denticulatim unito testa crassiore.	*Conchæ.* *Meer-Muscheln.*
		2. Testacea bivalvia cardine per simplicem ginglymum unito.	*Ostreæ.* *Austern.*
		3. Testacea bivalvia valvis æqualibus inæquilatera leviter umbonata, rugosa & ventricosa a cardine sensim contracto & acuminato ad oram subrotundam & latam longe productæ.	*Mytuli.* *Mieß-Muscheln.*

XIII. Me-

XIII.

Methodus Teſtaceorum J. C. KUNDMANNI.

Claſſis II. Teſtacea Bivalvia.

Genus.	Ordo.	I. 4. Teſtacea bivalvia ſeu conchæ marinæ valvis æqualibus æquilateræ cardine umbone deſtituto.	*Pinnæ. Steck - Muſcheln.*
		5. Teſtacea marina univalvia in ſe non contorta nec incurvata valva ſuperius aperta & concava, inferius vero clauſa & immobili.	*Balani. Meer - Eicheln.*
		6. Teſtacea marina ſeu conchæ marinæ valvis æqualibus inæquilateræ, non umbonatæ, rectæ, a cardine tantillum profundiore ad oram anguſtiſſimæ, atque uno latere maxime elongato, altero vero breviſſimo, utroque autem in ſua extremitate incluſili ſeu aperto ac hiante.	*Solenes. Nagel - Muſcheln.*
Genus.		II. Conchæ auritæ valvis diſſimilibus una plana altera concava mediocriter vel leviter umbonatæ, magis vel minus rugoſæ ſtriis canaliculatis latioribus ac compreſſis ſeu quaſi undulatis conſpicuæ.	*Pectines. Jacobs-Muſcheln.*
Genus.		III. Conchæ tenuioris teſtæ minus concavæ, figura ab una cardinis parte longiore ab altera breviore, figura fere rhomboidea, læves aliæ, aliæ ſtriatæ.	*Tellinæ. Tell-Muſcheln.*

XIII. Me-

XIII.

Methodus Testaceorum J. C. Kundmanni.

Classis III. Testacea Univalvia Turbinata.

Genus	I. Testacea marina univalvia turbinata, figura sua cochlearum in modum intorta ita, ut intima eorum spira aliquo saltem modo promineat & producatur,	*Cochleæ. Meerschnecken.*
Genus	II. Cochleæ marinæ ore admodum parvo superius mucrone omnium longissimo.	*Turbines. Schraub-Hörner.*
Genus	III. Cochleæ marinæ ore & mucrone simul longe elongatis & prima spira notabiliter angustiore quam in Buccinis.	*Strombi. Schraub-Schnecken.*
Genus	IV. Cochleæ pyramidales basi volutarum ad instar Jonicarum vel Corinthiacarum in spiras convolutæ ore longissimo.	*Cylindri. Cylinder-Schnecken.*
Genus	V. Cochleæ æquali crassitie in longum productæ ore longissimo in basi vero mucronem turbinatum referentes.	*Turbines cylindroides. Cylindrische Schrauben-Hörner.*
Genus	VI. Cochleæ marinæ ore & mucrone simul elongatis prima spira notabiliter ventricosa.	*Buccina. Kinckhörner.*

XIII.

Methodus Teſtaceorum J. C. KUNDMANNI.

Claſſis III. Teſtacea Univalvia Turbinata.

Genus	VII. Cochleæ canaliculatæ extrorſum incurvatæ, mucronatæ vel tuberoſæ prope ſummitatem & latere dextro ſulcatæ & auritæ.	*Murices. Stachel-Schnecken.*
Genus	VIII. Cochleæ canaliculatæ craſſiores ore ex latere ſiniſtro labioſo e pluribus laminis ſibi invicem impoſitis, cochleatæ, ſtriatæ & rugoſæ.	*Purpuræ. Purpur-Schnecken.*
Genus	IX. Teſtacea marina univalvia non turbinata ſed ita in ſe ſecundum longitudinem contorta ut eorum circumvolutiones nulla ex parte promineant apertura rimæ inſtar anguſta dentata vel ſtriata quandoque etiam lævi ac per baſin extenſa.	*Porcellanæ ſ. Venereæ. Porcellan-Schnecken.*
Genus	X. Cochleæ marinæ breviores perpendiculariter anomalæ paucis ſpiris & mucrone vel umbone parum aut nihil eminentibus, ore falcato.	*Neritæ. Fiſch-Mäuler.*

XIV. Me-

XIV.

Methodus Testaceorum Franc. Valentin (s) quondam verbi div. Præconis in Insula Amboina.

1. In figuris Auctor exquisito labore confectis Rumphio ad latus ponitur merito, sed in quærenda dispositione conchyliorum sollicitus non fuit, dum totus methodum Buonnanni IX. sequitur.

(s) *Oud en nuww Oostindien P. III. Tom. 2. Amst. 1726. fol.*

XV.

Methodus Teſtaceorum JOH. ERN. HEBENSTREIT (t).

§. 1. Cl. Auctor diſtinguit inter *teſtacea* & *conchylia*, & notionem generaliorem tribuit prioribus, quia & malacoſtria & oſtracodermata; conchylia vero ſola oſtracodermata ſub ſeſe comprehendunt, ſed non magni momenti mihi videtur hæc diſtinctio, ſi viciſſim conſidero & perpendo ſub notione teſtæ & duram & mollem teſtam intelligi poſſe.

§. 2. Porro echinometra ex conchyliis excludit 1) quia eorum cruſta eſt pars animalis, quam deponere neſcit; 2) quia motu gaudet greſſili, cum ſerpant conchylia pedibus deſtituta.

Claſſis I. Univalvia, irregularia.

- Gen. I. Globoſa. — *Balani.*
- Gen. II. Tortuoſa. — *Vermiculi.*

Claſſis II. Univalvia regularia, quæ ſpira carent.

- A. longiora
  - α. parum incurvata — *Dentalia.*
  - β. recta — *Penicilli*
- B. latiora — *Patellæque.*

ſunt: α. vertice perforato

β. vertice integro

a. vertice obtuſo

1. margine æquali
2. margine inæquali
   1) figuræ ſtellatæ
   2) figuræ incertæ

b. vertice acuminato

1. recto
2. inflexo

C. rotunda

- α. rima laxa non dentata — *Bullæ.*
- β. rima anguſta & dentata — *Venereæ* ſeu *Porcellanæ.*
  - a. minores
    1. unicolores
    2. ſtriatæ
    3. maculatæ
  - b. mediocres
  - c. majores

XV. Me-

(t) Jo. ERNST. HEBENSTREIT *diſſ. de ordinibus Conchyliorum methodica ratione inſtituendis. Lipſ.* 1728. 4to.

XV.

Methodus Testaceorum J. E. Hebenstreit.

Classis III. Univalvia regularia, quæ spira gaudent magis turbinata, turbine per totum excurrente.

- A. ore minus patulo
  - α. figuræ conicæ
    - a. elatioris — *Trochi.*
    - b. depressioris umbilicatæ — *Helices* seu *Labyrinthi.*
  - β. figuræ rotundæ — *Cochleæ turbinatæ, Cornua Hammonis.*
  - γ. figuræ longioris — *Strombi.*
  - δ. figuræ longissimæ, — *Tubus, Telescopium, Fistula.*
- B. ore magis patulo
  - α. longiora seu — *Buccina.*
    - a. minora
    - b. mediocria
    - c. majora
  - β. globosa
    - a. minus globosa — *Neritæ, Cochleæ globosæ, valvatæ.*
    - b. magis globosa.
      - 1. turbinibus extus apparentibus
        - 1) fortius turbinata — *Serpentuli.*
        - 2) levius turbinata seu — *Cochleæ.*
          - a. vertice obtuso
          - b. vertice acuminato
            - 1. majores
            - 2. minores.
      - 2. turbinibus intus latentibus, — *Nautilæ.*
        - a. opaci — *Nautilus argenteus.*
        - b. pellucidi — *Nautilus papyraceus.*

XV.

Methodus Teſtaceorum J. E. Hebenstreit.

Claſſis IV. De vertice tantum Turbinata, ore per totum hiante, turbinibus oblique flexis.

- *Caſſides.*
  - A. Aſperæ
    - a. muricatæ
      - α. non caudatæ
        - 1. ramoſæ
        - 2. tuberoſæ
      - β. caudatæ
        - 1. ſpinoſæ
        - 2. verrucoſæ
        - 3. tuberoſæ
    - b. alatæ
      - α. vertice extra alam prominente
        - 1. ala ad tergum reclinata
          - 1) acuminata
          - 2) obtuſa
            - a. læviores
            - b. aſperiores
              - α. per totum
              - β. vertice tantum
                - 1. verrucoſo
                - 2. echinato.
        - 2. ala cum baſi continua
          - 1) ala diviſa
          - 2) ala integra
            - a. vertice verrucoſo
            - b. vertice echinato.
      - β. vertice inter alas delitescente, nodoſæ ſeu cornutæ.
        - 1. nodis longioribus, mares
        - 2. brevioribus, fœminæ
    - c. ſulcatæ
      - α. margine dentato & integro
      - β. margine dentato fimbriato
      - γ. margine non dentato æquali.

XV. Me-

XV.

Methodus Testaceorum J. E. Hebenstreit.

Classis IV. De vertice tantum Turbinata, ore per totum hiante, turbinibus oblique flexis.

- d. cancellatæ
- e. granulatæ
- f. spinosæ
- g. caudatæ
- h. verrucosæ
- i. tuberosæ.

B. Læves
- a. per totum læves
- b. ventre tantum lævis vertice aspero
  - α. minores
  - β. majores.

Classis. V. Univalvia vertice tantum Turbinata, ore per totum hiante, spiris circa centrum flexis.

A. Figuræ conicæ, Volutæ conicæ
- a. vertice plano æquabili, *Literatæ.*
- b. vertice prominentiore, *Metæ butyri.*
- c. vertice rostrato, *Musicæ, Vespertilion.*

B. Figuræ cylindraceæ
- a. ventre amplo
  - α. vertice depresso, corpore lævis.
    1. vertice coronato *Cymbium.*
    2. vertice non coronato *Rhombi*, List. *Harpæ.*
  - β. vertice prominente,
- b. ventre compresso
  - α. majores
    1. tigerinæ
    2. pennatæ
    3. squammatæ & variegatæ.
  - β. minores, Cylindri proprie sic dicti
    1. non dentati
    2. dentati, margine plicato.

Classis VI. Minus turbinata spira unica brevi.

Aures marinæ

A. Foraminibus pertusis
- a. in verticem desinentibus
- b. planis

B. Foraminibus obliteratis

XV.

Methodus Teſtaceorum J. E. Hebenstreit.

Claſſis VII. Bivalvia valvis per ginglymum connexis.

A. Corpore craſſo
- α. rotundiores, — *Chamæ.*
- β. longiores, — *Mytuli.*

B. Corpore tenuiori
- α. rotundiores, — *Tellinæ.*
  - 1. margine non dentato
  - 2. margine ſerrato.
- β. longiores
  - 1. latiores, — *Pinnæ.*
  - 2. anguſtiores, — *Solenes.*
- γ. inæquales, — *Mitella, Vomer, &c.*

Claſſis VIII. Bivalvia per ginglymum cohærentia.

Valvis ſupra cardinem recurvis.

A. Cavitate ſphærica
- a. valvis arcte clauſis, — *Pectunculi.*
  - α. aſperi
  - β. læves.
- b. valvis in rimam hiantibus, — *Conchæ.*
  - α. læves, — *Bucardium.*
  - β. aſperæ, — *Venereæ.*

B. Cavitate compreſſa
- a. rotunda, — *Corculum, Fragum.*
- b. naviçulari, — *Naviculæ.*

A. Articulatione extus apparente ſeu auriti
- a. teſtis diſſimilibus, — *Pectines eremitarum.*
- b. teſtis ſimilibus, — *Pectines minores.*
  - α. auribus æqualibus.
  - β. auribus inæqualibus.

B. Articulatione plana, ſed tecta, — *Oſtreæ.*
- a. rugoſæ.
- b. aculeatæ,
- c. læves.

XVI. Me-

XVI.

Methodus Testaceorum Joh. Phil. Breynii (u).

§. 1. Cl. Auctor jure quidem ex conchyliorum ordine derivat Belemnites, sed quia hæc petrefacta conchylia hactenus frustra quæsita sunt inter testacea marina quæ littora maris tegunt, pelagia potius & in abysso maris latitare videntur, quorum structura an ex petrefactis speciminibus tam clare explicari possit, valde dubito : idem fere dixerim de Orthoceratitibus.

Testacea

I. tubulosa, quæ tubuli in modum excavata sunt

A. Monothalamia, quæ unicam tantum habent cavitatem continuam, seu thalamum, quem occupat totum animalis portio mollis, ut *Tubulus*, *Cochlidium*.

B. Polythalamia, quorum cavitas in varias cavitates, seu thalamos, mediantibus diaphragmatibus pariter testaceis dividitur; extimo thalamo animali receptaculum præbente, ceteris vacuis, sed siphunculo sensim gracilescente ad apicem usque perviis.

II. vasculosa, quæ vas, vel vasculum quoddam repræsentant, plus minus excavatum.

A. Simplicia, quæ unica Testa continua constant, ut *Lepas*.

B. Composita, quæ ex pluribus una portionibus componuntur, ut *Concha*, *Conchoides*, *Balanus* & *Echinus*.

(u) Joh. Phil. Breynii *diss. physica de Polythalamiis, nova testaceorum classe; Gedani* 1732. 4to.

XVI.

Methodus Teſtaceorum J. P. Breynii.

Genera ſumma ſeu
Claſſes. I. Tubulus, Teſta tubuloſa monothalamia, vel in lineam rectam extenſa, vel incurva vel contorta, vel aliquando ad ſpiram ſed irregulariter accedens.

Genera ſubalterna.

a. *Dentalia*
b. *Entalia*
c. *Solenes univalves*
d. *Belemnitæ Pruſſici.* Tubuli marino terreſtres, conici, in baſi cavitate inſtructi conica, in tenuem ſiphunculum ad apicem usque excurrentem terminante.

Species

α. Belemnites conicus, cavitate in baſi conica, ad medium circiter excurrente
β. Belemnites conicus quidem ad medium usque, ſed deinde baſin verſus ſenſim contractior, cavitate tertiam fere ſui partem occupante.

II. Cochlidium, Teſta tubuloſa, monothalamia, conica in ſpiram conſtanter regularem convoluta.

Genera

a. *Nautili tenues*
b. *Aures marinæ*
c. *Neritæ*
d. *Cochleæ*
e. *Buccinæ*
f. *Murices*
g. *Caſſides*
h. *Cylindri*
i. *Volutæ*
l. *Porcellanæ* &c.

XVI. Me-

XVI.

Methodus Testaceorum J. P. Breynii.

Classes. III. Polythalamium, Testa tubulosa, polythalamia, conica, recta, vel in spiram rectam convoluta, cum siphunculo thalamos transeunte.

Genera subalterna

a. Orthoceras. *Polythalamium in lineam rectam, vel proxime ad rectam accedentem extensum.*

Species

α. *Orthoceratites siphunculo axem transeunte graciliori, lentissime decrescens; thalamis olim, nunc articulis ampliori-bus.*

β. *Orthoceratites siphunculo axem transeunte graciliori, subito decrescens; thalamis olim, nunc articulis strictioribus aliquantulum.*

γ. *Orthoceratites siphunculo axem transeunte graciliori, subito decrescens; thalamis olim, nunc articulis angustissimis, minusque convexis.*

δ. *Orthoceratites siphunculo inter centrum & peripheriam posito, aliquantulum crassiori, subito decrescens; thalamis olim, nunc articulis strictioribus.*

ε. *Orthoceratites siphunculo inter centrum & peripheriam sito graciliori, subito decrescens, externe sulcatus; thalamis olim, nunc articulis strictioribus.*

ζ. *Orthoceratites siphone ad peripheriam posito crassiori, lente decrescens; thalamis olim, nunc articulis latioribus.*

η. *Orthoceratites siphone ad peripheriam posito crassiore, lente decrescens; thalamis olim, nunc articulis angustioribus.*

θ. *Orthoceratites siphone ad peripheriam posito crassiore compresso, lente decrescens; thalamis olim, nunc articulis latioribus.*

XVI. Methodus Teſtaceorum J. P. Breynii.

Claſſes. III. *Species*

a. *Orthoceratites ſiphone ad peripheriam locato ampliſſimo & annularibus eminentiis inſignito, lente decreſcens.*

Genera ſubalterna

b. Lituus. *Polythalamium a baſi primo in lineam fere rectam extenſum, deinde vero in ſpiram externe apparentem in plano horizontali convolutum.*

c. Ammonia. *Polythalamium in ſpiram externe utrinque apparentem in plano horizontali convolutum.*

Species

α. *Cornu Ammonis. Poſt-hoorentje Rumphii.*

d. Nautilus. *Polythalamium in ſpiram interne latentem in plano horizontali convolutum.*

Ordines

α. *Nautilus diaphragmatibus convexo concavis, ſemilunaribus.*

β. *Nautilus diaphragmatibus multifariam ſinuoſis.*

Species 1. *Nautilites articulis multifariam ſinuoſis, ſtriis verſus dorſum trifidis.*

2. *Nautilites articulis multifariam ſinuoſis, minor, valde compreſſus, leniter ſtriatus, dorſo acuto.*

3. *Similis, ſed quadruplo major.*

IV. Lepas, Teſta vaſculoſa, ſimplex, referens vaſculum magis minusve concavum, orificio multum patente.

Genera ſubalterna: I. *Patella.* II. *Lepades.*

V. Concha, Teſta vaſculoſa, compoſita, bivalvis i. e. quæ ex duabus componitur valvis, ſive vaſculis magis minusve concavis, in cardine articulatione quadam inter ſe junctis, ut aperiri & claudi queant.

Genera: I. *Chamæ.* II. *Mituli.* III. *Tellinæ.* IV. *Pinnæ.* V. *Oſtreæ.* VI. *Pectines.* VII. *Anomiæ.*

VI. Conchoides, Teſta vaſculoſa, compoſita, bivalvis; ſed quæ præterea ex aliquot minoribus portiunculis teſtaceis componitur.

Genera: I. *Pholades.* II. *Anatiferæ.*

VII. Balanus, Teſta vaſculoſa, compoſita, quæ præter unicam majorem teſtam, alias portiones minores habet, ex quibus componitur.

Genera: I. *Balanus* vulgo dictus.

VIII. Echinus, Teſta vaſculoſa, compoſita, undique clauſa, magis minusve concava, duobus tantum foraminibus, ſeu aperturis pro ore & ano perforata; externe aculeis, vel claviculis, mobilibus, teſtaceis armata. Genera: α. *Echinometra.* β. *Echinoconus.* γ. *Echinocorys.* δ. *Echinanthus.* ε. *Echinospatagus.* ζ. *Echinobriſſus.* η. *Echinodiſcus.*

XVII.

XVII. Methodus Testaceorum Car. Linnæi. (v)

1. Hæc methodus Celeb. Auctoris nimis concinna, & ad species sese non extendens in sequentibus Systematis Naturæ editionibus multum aucta & emendata exstat.

Clavis classium.

Classis I. Testa univalvis spiralis unilocularis Cochlea.	Genera.	Classis V. Testa univalvis concava simplex Patella.	*Patella*
	Helix		
	Labyrinthus		
	Voluta		
	Cochlea varia		
	Buccinum	Classis VI. Testa univalvis teres simplex Dentalium.	*Dentalium*
	Lyra		*Entalium*
	Turbo		*Tubus Vermicularis*
	Cassida		
	Strombus		
	Fistula	Classis VII. Testa bivalvis Concha.	*Mytulus*
	Terebellum		*Vulva marina*
	Murex		*Pholas*
	Purpura		*Bucardium*
	Aporrhais		*Perna*
	Nerita		*Chama*
	Trochus		*Solen*
Classis II. Testa univalvis spiralis multilocularis Nautilus.	*Nautilus*		*Tellina*
	Orthoceros		*Pinna*
	Lithuus		*Ostrea*
			Pecten
Classis III. Testa univalvis convoluta rima longitudinali Cyprea.	*Concha Veneris*		*Mitella.* Vomer
	Porcellana	Classis VIII. Testa multivalvis Valvulæ duabus plures Lepas	*Concha anatifera*
Classis IV. Testa univalvis patula leviter concava perforata ad angulum spiralis Haliotis	*Auris marina*		*Verruca testudinis*
			Balanus marinus.

(v) Caroli Linnæi *Systema Naturæ Lugd. Bat.* 1735. *fol. regal.*

XVIII.

Methodus Teſtaceorum D. D'Argentville. (w)

1. Auctor in recenſendis ſpeciebus dives varietates ſigno peculiari diſtinxit, reliquas arte politas aſteriſco.
2. Ut mihi videtur, uti male facit quasdam veras ſpecies varietatibus adnumeraſſe, ita viciſſim meras varietates veris ſpeciebus immiſcuit.
3. Neque disquiro an pollicipedes, quas in Claſſ. III. ad peculiarem familiam traxit, ſint rudimenta, chamarum, mytulorum, oſtrearum &c.

Claſſis I. Conchæ Univalves.

	Species.	Varietates.
Familia I. *Lepades ſ. patellæ.* Lepas eſt concha univalvis, gibboſa, alicui corpori duro ſemper adhærens, vertice obtuſo, acuto, depreſſo, recurvo l. perforato.	1. Lepas vertice acuto.	1. — 5.
	2. Lepas vertice depreſſo.	2. — 10.
	3. Lepas intus concamerata.	3. — 7.
	4. Lepas ſeptenis coſtis e vertice effluentibus in circuitu extremo ſeptem aculeos formantibus ſtellæ inſtar radiata, alias dicta aſtrolepas.	
	5. Lepas vertice recurvo.	5. — 3.
	6. Lepas vertice incurvato ad limbum deſinente, quod repræſentat pectinem profunde ſtriatum, alias dicta concho-lepas.	6. — 1.
	7. Lepas vertice perforato.	7. — 6.
Familia II. *Aures marinæ.* Auris marina eſt concha univalvis plana ad aurem humanam multum accedens apertura ſua omnium patentiſſima.	1. Auris marina ſex foraminibus.	1. — 1.
	2. Auris marina margaritifera ſeptem foraminibus.	2. — 5.
	3. Auris marina oblonga.	3. — 3.
	4. Auris marina foraminibus carens, ſpira interna admodum a circuitu diſtincta & nullo modo intus ſplendida.	

(w) *L'Hiſtoire naturelle éclaircie dans deux de ſes parties principales la Lithologie & la Conchiologie. à Paris.* 4. 1742.

XVIII.

Methodus Testaceorum D. D'Argentville.

Classis I. Conchæ Univalves.

	Species.	Varietates.
Familia III. *Conchæ canales* s. *Tubuli marini.* Tubulus marinus est concha univalvis figura oblonga in apicem desinente cornu modice inflexo, recta.	1. Canales dentales striati.	1. — 1.
	2. Canales dentales recti.	
	3. Canales cornu modice inflexo similes.	3. — 8.
	4. Penicillus marinus s. Alveolus ex insula Amboina.	
	5. Canales dentales antales dicti.	5. — 2.
Familia IV. *Naviculæ* s. *Nautili.* Nautilus est Concha univalvis, oblonga, & rotunda, tenuis, crassa, aurita, inaurita, lævis & canaliculata, naviculam exhibens.	1. Nautilus maximus crassus & lævis.	1. — 2.
	2. Variis partitionibus concameratus.	
	3. Canaliculatus, vacuus & integer, nullo diaphragmate disjunctus.	
	4. Papiraceus, depressus & tenuis.	
	5. Auritus & latiore carina.	5. — 3.
Familia V. *Cochleæ lunares.* Coclea lunaris est univalvis, ore rotundo, umbilicata, clavicula depressa, elata, superficie striata, laciniata, canaliculata, tuberosa, lævi.	1. Coclea lunaris fasciata & tuberosa.	1. — 4.
	2. Coclea olearia & umbilicata.	
	3. Coclea apice exerto.	3. — 5.
	4. Coclea apice depresso.	4. — 2.
	5. Coclea, oculus Hirci.	5. — 3.
	6. Coclea canaliculata & aspera, os aureum dicta.	
	7. Coclea canaliculata & aspera, os argenteum dicta.	
	8. Delphinus.	
	9. Coclea granulata & umbilicata.	
	10. Coclea depressa, tuberibus ex utraque parte circumdata.	
	11. Coclea calcar aculeis in duos ordines dispositis.	

XVIII.

Methodus Teſtaceorum D. D'Argentville.

Claſſis I. Conchæ Univalves.

	Species.	Varietates.
Familia VI. *Cocleæ valvatæ ſ. ſemilunares.* Coclea ſemi-lunaris eſt univalvis, compactili corpore, ore plano & dentato, ex parte columellæ edentula, quædam apice paulum exerto, quædam compreſſo,	1. Nerita dentata.	1. — 5.
	2. Nerita canaliculata.	
	3. Nerita ſulcata.	3. — 2.
	4. Nerita edentula.	4. — 10.
	5. Coclea umbilicata.	5. — 5.
	6. Coclea umbonata.	6. — 3.
Familia VII. *Cocleæ ore depreſſo.* Coclea ore depreſſo, eſt univalvis, lata, baſi conoide, apice exerto, depreſſo, plano, ore dentato, edentulo, umbilicata, unionum ſplendore diſtincta.	1. Trochus, apice exerto.	1. — 5.
	2. Trochus nodoſus.	2. — 4.
	3. Trochus apice minus exerto, ore ampliore & ſubrotundo, umbilicatus.	3. — 4.
	4. Trochus aculeis & tuberibus circumdatus.	4. — 4.
	5. Trochus globoſus thoracis interioris, pelle equina, ore dentato.	
	6. Trochus calcar aculeis cuique circulo diſpoſitis.	6. — 3.
	7. Trochus apice depreſſo & plano.	7. — 3.
	8. Trochus, cornu ſancti Huberti, labro plicato.	8. — 3.
	9. Trochus ſcalæ, ſeu ſolarium, ore depreſſo.	9. — 2.

XVIII.

Methodus Testaceorum D. D'Argentville.

Classis I. Conchæ Univalves.

Familia	Species.	Varietates.
Familia VIII. *Buccina.* Buccinum est Concha univalvis tubæformis, ventre extenso, ore lato & elongato, cauda longa & distincta, brevi, clavicula in longum erecta, minus erecta, contabulata, rostro recurvo.	1. Buccinum cauda longa & distincta, ore elongato.	1. — 14.
	2. Buccinum cauda brevi, ore expanso.	2. — 14.
	3. Buccinum clavicula in longum erecta.	3. — 12.
	4. Buccinum clavicula minus erecta, rostro recurvo.	4. — 12.
Familia IX. *Turbines seu Strombi.* Turbo seu Strombus est Concha univalvis, ore longo, largo, depresso, rotundo, dentato, edentulo, versus basim angustiore, aurita, in longum & acutissimum mucronem definens.	1. Turbo ore longo, edentulo, columella rugosa.	1. — 7.
	2. Turbo ore dentato, columella rugosa.	2. — 2.
	3. Turbo pyramidalis, ore depresso.	3. — 5.
	4. Turbo ore in longum erecto.	4. — 4.
	5. Turbo ore plano, figura productiore.	5. — 2.
	6. Turbo ore largo & ovali.	6. — 3.
	7. Turbo ore rotundo.	7. — 6.
	8. Turbo scalaris Rumphii albis filis ligatus.	
	9. Turbo auritus Rondeletii.	
Familia X. *Volutæ* seu *Cuculli.* Voluta seu Cucullus est Concha univalvis, a figura sic nominata, ore semper oblongo, clavicula erecta, depressa, aliquando coronata.	1. Voluta clavicula exerta.	1. — 18.
	2. Voluta clavicula depressa.	2. — 13.
	3. Voluta clavicula coronata.	3 — 5.

XVIII.

Methodus Teſtaceorum D. D'Argentville.

Classis I. Conchæ Univalves.

Familia	Species.	Varietates.
Familia XI. *Rhombi* ſeu *Cylindri.* Rhombus ſeu Cylindrus eſt Concha univalvis, a figura ſic appellata, ore ſemper oblongo, aliquando clavicula circulo diſtincta, coronata, columella lævi, rugoſa.	1. Rhombus, clavicula corpori unita.	1. — 12.
	2. Rhombus clavicula circulo diſtincta.	2. — 3.
	3. Rhombus clavicula coronata.	3. — 5.
	4. Rhombus columella rugoſa.	4. — 10.
Familia XII. *Murices.* Murex eſt Concha univalvis, tuberculis & aculeis horrida, clavicula aſpera prope ſummitatem, exerta, compreſſa, ore ſemper expanſo, dentato, edentulo, labro digitato, alato, plicato, laciniato, columella rugoſa, lævi.	1. Murex tuberculis & aculeis horridus.	1. — 18.
	2. Murex lævis, clavicula pauliſper aſpera, roſtro recurvo.	2. — 9.
	3. Murex labro digitato.	3. — 14.
	4. Murex labro alato & laciniato.	4. — 18.
	5. Murex unicus, ore a dextra ad ſiniſtram inclinato.	
Familia XIII. *Purpuræ.* Purpura eſt Concha univalvis, a capite usque ad baſin tuberculis, ſtriis, umbonibus & ſpinis laciniata, ore tenui fere rotundo, cauda brevi, pleræque baſi in longum roſtrum erecta.	1. Purpura ramoſa, cauda brevi.	1. — 7.
	2. Purpura ſpinoſa, cauda longa.	2. — 3.
	3. Purpura tuberoſa, longo roſtro & cauda longa.	3. — 3.
	4. Purpura craſſa, coſtata, roſtro recurvo.	4. — 2.
	5. Purpura piloſa, clavicula elongata.	5. — 2.
	6. Purpura tenuis, aculeata, clavicula compreſſa, brevi roſtro.	6. — 2.

XVIII.

Methodus Testaceorum D. D'Argentville.

		Species.	Varietates.
Classis I. Conchæ Univalves.	Familia XIV. *Conchæ Globosæ.* Concha globosa est univalvis, ventre instar globi subrotundo, apertura laxiore, dentata, edentula, clavicula mediocriter umbonata, depressa, columella aspera, lævi.	1. Dolium rotundum & umbilicatum	1. — 6.
		2. Dolium oblongum & læve.	2. — 6.
		3. Dolium oblongum costatum, umbonatum.	3. — 8.
		4. Dolium cauda elongata & arcuata.	4. — 5.
		5. Dolium Bulla dictum.	5. — 7.
		6. Dolium, concha sphærica fasciata, cœrulea, intus flavida, Vitta cœrulea appellata, rarissima.	6. — 1.
	Familia XV. *Porcellanæ* seu *Venereæ.* Porcellana seu Venerea est Concha univalvis, a rimula sic nominata, ore dentato ex utraque parte, conglobata, oblonga, gibbosa, umbonata.	1. Porcellana conglobata & crassa.	1. — 17.
		2. Porcellana pyriformis & tenuis.	2. — 4.
		3. Porcellana figura oblonga & crassa.	3. — 16.
		4. Porcellana in aliqua parte gibbosa.	4. — 5.
Classis II. Conchæ Bivalves.	Familia I. *Ostrea.* Ostreum est Concha bivalvis, testis extus sordidis, luto obductis, e crustis multis seu laminis compositis, lævis, aculeis, striis, tuberibus instructa, plana, plicata, globosa, valva inferiori elatiore quam superiore.	1. Ostreum planum & læve.	1. — 15.
		2. Ostreum plicatum læve.	2. — 6.
		3. Ostreum globosum & spinosum.	3. — 10.
		4. Ostreum globosum, laminis eminentibus laciniatum.	4. — 2.
		5. Ostreum globosum, foliaceum.	5. — 4.
		6. Ostreum oblongum & umbonatum.	6. — 5.

XVIII.

Methodus Teſtaceorum D. D'Argentville.

Claſſis II. Conchæ Bivalves.

Familia	Species.	Varietates.
Familia II. *Chamæ.* Chama eſt Concha bivalvis, lævis, aliquantulum rugoſa, ſpinoſa, valvis æqualibus elatis, convexis, ore patulo & hiante.	1. Chama oblonga, plana, transverſe ſtriata.	1. — 4.
	2. Chama oblonga, elata, ab apice ſtriata.	2. — 6.
	3. Chama rotunda æquilateralis.	3. — 25.
	4. Chama Venerea, inæquilateralis.	4. — 15.
	5. Chama ſtriis diverſimode exaratis.	5. — 1.
Familia III. *Muſculi* ſeu *Mytuli.* Muſculus ſeu Mytulus eſt Concha bivalvis, oblonga, in acumen deſinens æqualibus extremitatibus, lævis, aſpera, plana, elata, aliquando roſtro pauliſper elato.	1. Muſculus planus in acumen deſinens.	1. — 21.
	2. Muſculus elatus, æquilateralis.	2. — 8.
	3. Tellina oblonga, plana, æqualibus extremitatibus.	3. — 11.
	4. Tellina oblonga, diſſimilibus extremitatibus.	4. — 10.
	5. Tellina mutilata.	5. — 3.
Familia IV. *Cordiformes.* Concha Cordiformis eſt bivalvis, globoſa, elata, canaliculata, inaurita, ſpinoſa vel imbricata.	1. Bucardium globoſum.	1. — 7.
	2. Cordiforme triangulare.	2. — 6.
	3. Cordiforme, Cor hominis, ſeu Veneris.	3. — 3.
	4. Cordiforme imbricatum.	4. — 4.
	5. Cordiforme, Archa Noëmi.	5. — 2.
	6. Concha exotica margine in mucronem emiſſo, intus fiſtuloſa, tota candida & tenuis F. Columnæ.	
Familia V. *Pectines.* Pecten eſt Concha bivalvis, ex omni parte cluſilis & ſtriata in formam Pectinis, quo capilli pectuntur, plana, elata, aurita, ſemiaurita, inaurita.	1. Pecten utrinque auritus.	1. — 17.
	2. Pecten ſemiauritus.	2. — 6.
	3. Pecten inauritus.	3. — 7.

XVIII.

Methodus Testaceorum D. D'Argentville.

Classis II. Conchæ Bivalves.	Familia VI. *Solenes* sive *Ungues.* Solen est Concha bivalvis, corpore longo, ex utraque extremitate patente, recto vel arcuato.	Species.	Varietates.
		1. Solen corpore recto.	1. — 12.
		2. Solen corpore arcuato, seu curvus.	2. — 2.
Classis III. Conchæ Multivalves seu Polyvalves.	Familia I. *Echini.* Echinus marinus est Concha multivalvis, orbicularis, ovalis, angulosa, irregularis, plana, aculeis, tuberculis insignita, aliquando spinis denudata.	1. Echinus orbicularis.	1. — 9.
		2. Echinus ovalis.	2. — 2.
		3. Echinus angulosus.	3. — 3.
		4. Echinus irregularis.	4. — 9.
		5. Echinus planus, stellatus.	5. — 2.
	Familia II. *Vermiculi marini.* Vermiculi marini sunt Conchæ multivalves, canaliformes, subrotundæ, rugosæ, incurvatæ, rectæ, intortæ.	1. Vermiculi directe dispositi.	1. — 5.
		2. Vermiculi incurvati.	2. — 4.
		3. Vermiculi circulariter dispositi.	3. — 9.
	Familia III. *Balani.* Balanus est Concha multivalvis, glandiformis, duodecim laminas continens, ore ampliore, angustiore.	1. Balanus ore ampliore, major latus.	1. — 6.
		2. Balanus ore angustiore, striatus parvus, seu minor.	2. — 4.

XVIII.

Methodus Teſtaceorum D. D'Argentville.

Classis III. Conchæ Multivalves ſeu Polyvalves.

	Species.	Varietates.
Familia IV. *Pollicipedes.* Pollicipedes ſunt Conchæ multivalves, planæ, triangulares, multis laminis in acumen deſinentibus conſtantes, pediculo inhærentes, multis cirris inſignitæ.	1. Pollicipedum congeries.	
Familia V. *Conchæ Anatiferæ.* Concha Anatifera eſt multivalvis, plana, triangularis, e quinque teſtis compoſita, longo pediculo ligatis, quatuordecim cirris conſpicua.	1. Concha Anatifera, adhærens pediculo oblongo & craſſo.	1. — 2.
	2. Concha Anatifera, pediculata, pediculo exiguo Amygdalæformis.	
	3. Concha Anatifera ramoſa ſeu arboreſcens, elongatior & acutior.	
Familia VI. *Pholades.* Pholas eſt Concha multivalvis, oblonga, duabus aut quinque teſtis diſtincta, lævis, aſpera, reticulata, accurate clauſa, non perfecte clauſa.	1. Pholas oblonga & rotunda, duabus valvis conſtans.	1. — 6.
	2. Pholas oblonga, irregularis, duabus valvis conſtans.	2. — 2.
	3. Pholas oblonga, irregularis, quinque valvis conſtans.	3. — 1.

XVIIII.

Methodus Testaceorum Clar. Nic. Gualtieri. (x)

1. Splendidi Operis Auctor totus in eo est, ut emendatam Langii methodum (XII.) exhibeat, an vero ea correxit, quæ huic methodo exprobrantur, hic non disquiro, comparatio utriusque cuivis intelligenti lectori hac in re faciet satis.

			Genera.
Pars I. Testæ Exothalassiæ.	Classis I. Cochleæ.	Sectio I. Vulgares umbilicatæ depressæ.	
		II. Mucrone elongato.	*Turbines terrestres.*
	Classis II. Fluviatiles Testæ.	I. Non Turbinatæ.	*Patellæ.*
		II. Turbinatæ.	*Cochlea depressa, Nerita, Buccinum, Turbo.*
		III. Conchæ.	*Musculus.*
Pars II. Testæ marinæ integræ non Turbinatæ.	Classf. I. Simplices.	I. Vasculosæ.	*Patellæ.*
		II. Tubulosæ.	*Tubuli.*
	Classf. II. Quæ internam fabricam occultant.	I. Vasculosæ.	*Cymbium, Mus marinus, Porcellana.*
		II. Tubulosæ polythalamiæ.	*Nautilus, Ammonia, Orthoceras.*
Pars III. Cochleæ marinæ.	Classf. I. Cochleæ longæ.	I. Ore labiisque rectis.	
		II. Piriformes.	
	Classf. II. Canaliculatæ.	I. Rectæ.	*Purpura.*
		II. Incurvatæ.	*Murex, Aporrhais, Purpura, Cassida.*
	Classf. III. Buccina.	I. Parva.	
		II. Majora.	
	Classf. IV. Strombi.	I. Ore superius aperto.	
		II. Integri.	

XVIIII.

(x) *Index Testarum Conchyliorum quæ adservantur in musæo* Nic. Gualtieri *& methodice distributæ exhibentur Tab. CX. Florent.* 1742. *fol. maj.*

XVIIII.

Methodus Testaceorum Clar. N. Gualtieri.

Genera.

Pars III. Cochleæ marinæ.

- Class. V. Cochleæ ore brevi mucrone insigniter elongato.
  - Sectio I. Turbines aperti.
  - II. Turbines integri.
  - III. Trochi.
- Class. VI. Cochl. breviores.
  - I. Proportionatæ.
  - II. Non proportionatæ. *Nerita umbilicata, Auris marina.*

Pars IV. Conchæ marinæ.

- Class. I. Valvis æqualibus æquilateræ.
  - I. Notabiliter umbonatæ, & recta incurvatæ. *Cordiformes.*
  - II. Mediocriter umbonatæ & recta incurvatæ, *Pectines, Pectunculi.*
  - III. Notabiliter umbonatæ & oblique incurvatæ.
  - IV. Mediocriter umbonatæ & oblique incurvatæ.
  - V. Non umbonatæ. *Pinnæ.*
- Class. II. Valvis æqualibus inæquilateræ.
  - I. Notabiliter umbonatæ & recta incurvatæ. *Cordiformes* quædam.
  - II. Leviter umbonatæ & recta incurvatæ.
  - III. Notabiliter umbonatæ & oblique incurvatæ.
  - IV. Leviter umbonatæ & oblique incurvatæ. *Tellina inæquil. Musculus, Mytulus.*
  - V. Structura & striis peculiaribus.
  - VI. Non umbonatæ. *Solen, Terebratula longa, bracteata.*

XVIIII.

Methodus Testaceorum Clar. N. Gualtieri.

			Genera.
Pars IV. Conchæ marinæ.	Class. III. Valvis inæqualibus.	Sectio I. Umbonatæ.	*Concha pectinata, Spondylus, Gryphoides.*
		II. Non, vel irregulariter umbonatæ sine ullo cardinis indicio.	*Ostreum.*
Pars V. Testæ marinæ polytomæ.	Classis. Multivalvia.	I. Quarum portiones connectuntur per articulationem cartilagineam.	*Pholas, Tellina cancellifera.*
		II. Quarum portiones connectuntur per suturam squamosam.	*Balani.*
		III. Quarum portiones connectuntur per suturam propriam.	*Echinus, Echinometra, Echinospatagus, Echinautus, Echinodiscus.*

XX.

Methodus Teſtaceorum *Anonymi*, quæ in *Catalogo rerum natural. Lipſ. 1743. publica auctionis lege venditarum*, proſtat. (y)

Claſſis I. Conchylia Univalvia.

Genera.	Species.
I. *Nautili.*	a. Nautilus tenuis. b. Nautilus craſſus. c. Cornu Ammonis. d. Papyraceus.
II. *Cochleæ.*	a. Cochlea lunaris. b. Cochlea umbilicata. c. Cochlea petholata. d. Cochlea laciniata.
III. *Trochi.*	a. Buccino-Trochus. b. Trochus maculoſus. c. Trochus Papuanus. d. Trochus eburneus. e. Trochili.
IV. *Valvatæ.*	a. Vitellum. b. Neritæ. c. Valvata. d. Pennata.
V. *Caſſides.*	a. Caſſis tuberoſa. b. Caſſis rubra. c. Caſſis faſciata. d. Caſſis ſpinoſa. e. Caſſis verrucoſa.
VI. *Murices.*	a. Tribulus. b. Murex major. c. Murex ramoſus. d. Murex ſaxatilis. e. Hauſtellum.

XX. Me-

(y) *Verzeichniſs eines Naturalien-Cabinets, ſo 1743. in Leipzig verauctionirt worden.*

XX.

Methodus Testaceorum *Anonymi*, quæ in *Catalogo rerum natural. Lipsi.* 1743. *publica auctionis lege venditarum*, prostat.

Classis I. Conchylia Univalvia.

Genera.	Species.
VII. *Cochleæ* globosæ seu ovariæ & umbilicatæ.	a. Cochlea alearia parva. b. Cochlea nodosa. c. Cochlea globosa. d. Cochlea pectinata. e. Ovum ibicis. f. Cochlea umbilicata.
VIII. *Buccinum.*	a. Buccinum Tritonis. b. Buccinum tuberosum. c. Buccinum lineatum. d. Buccinum fasciatum. e. Corona papalis. f. Fusus longus. g. Buccinum undosum. h. Buccinum verrucosum.
IX. *Strombi.* *Pfriemenhörner.*	a. Subula crassa. b. Strombus caudatus, lævis. c. Strombus fasciatus. d. Turris Babylonica. e. Tympanotonus.
X. *Volutæ.* *Walzen.*	a. Cymbium coronatum. b. Voluta maxima alba. c. Voluta musicalis Rumphii. d. Voluta marmorea. e. Voluta spectrorum. f. Voluta pinnata. g. Rapa. h. Auricula Midæ. i.) Harpa. l.) Vespertilio.

XX.

Methodus Testaceorum *Anonymi*, quæ in *Catalogo rerum natural. Lipsiæ* 1743. *publica auctionis lege venditarum*, prostat.

Classis I. Conchylia Univalvia.

Genera.	Species.
XI. *Cylindri. Rollen.*	a. Cylinder niger.
	b. Cylinder cœruleis guttis.
	c. Cylinder achatinus.
XII. *Alatæ. Flügelhörner.*	a. Cornuta millepeda.
	b. Cornuta.
	c. Alata lata.
	d. Alata epidromis.
	e. Alata nodosa.
	f. Alata cana.
XIII. *Porcellanæ.*	a. Porcellana guttata.
	b. Porcellana litterata.
	c. Porcellana talpa.
	d. Porcellana salita.
	e. Porcellana ovum.
	f. Argus minor.
	g. Porcellanæ aselli.
	h. Entalia.
XIV. *Aures marinæ. Patellæ.*	a. Auris marina vulgaris.
	b. Patella lævis. *Matrosen-Mützen.*
XV. *Vermiculi marini. Balani.*	a. Dentalia viridia.
	b. Vermiculi.
	c. Balani.
	d. Balanus mitralis.

XX.

Methodus Testaceorum *Anonymi*, quæ in *Catalogo rerum natural. Lipsi.* 1743. *publica auctionis lege venditarum*, prostat.

Classis II. Conchylia Bivalvia.

Genera.	Species.
I. *Chamæ.*	a. Chama circinata. b. Chama oblonga. c. Græcum Alpha. d. Ferrum equinum.
II. *Tellinæ.*	a. Tellina virgata. b. Tellina radiata, aspera. c. Tellina litterata. d. Tellina serrata. e. Tellina rosea, alba.
III. *Musculi.*	a. Musculus violaceus & albus. b. Chama Noachina.
IV. *Pectunculi.*	a. Amusium. b. Concha Veneris. c. Pectunculi læves. d. Pectunculi asperi.
V. *Ostreæ.*	a. Pinna. b. Ostrea unionum. c. Ostrea aculeata. d. Malleus Polonicus.

Cl. III. Partes Animalium Marinorum.

a. Echinus mammillaris.
b. Echini esculenti.
c. Echinus saxatilis.
d. Echinobrissus.
e. Stellæ marinæ.
f. Clypeus Testudinum marinarum.
g. Dentes Hippopotami.
h. Lapis manati.
i. Cupriscus.
l. Dens rosmari.

XXI.

Methodus Teſtaceorum Frid. Christian. Lesseri. (z).

1. Cl. Auctor in definitione generum laconizat quidem; interim genera, ut mihi videtur, nimis extendit, nec ſatis a ſpeciebus & varietatibus diſtinxit.

- Claſſis Suprema.
  - I. Teſtacea Tubuloſa.
    - A. Tubuli.
      - a. Recti.
        - α. *Penicilla marina.*
        - β. *Tubuli coralliorum.*
        - γ. *Solenes.*
      - b. Modice incurvati.
        - α. *Tubulus dentalis, lævis.*
        - β. *Solen phalloides.*
      - c. Fortius incurvati.
        - α. Regulariter incurvati.
          - 1. *Solen unguinus.*
        - β. Irregulariter incurvati.
          - 2. *Tubulus radiciformes.*
          - 3. *Tubuli vermiculares.*
          - 4. *Tubuli cancellati & non cancellati.*
    - B. Cochlidæ. (Quarum ſpiræ ſe invicem contingunt.)
      - α. Diſciformes.
        - a. *Cornu Ammonis.*
      - β. Semidiſciformes.
        - a. *Nautilus.*
        - b. *Nautilus papyraceus.*
      - γ. In medio paulum depreſſæ.
        - a. *Cochlea umbilicata.*
        - b. *Cochleæ hemiſphæricæ.*
        - c. *Nerita coronata.*
      - δ. In medio paulum elevatæ.
        - a. *Nautilus alter* Aldrov.
        - b. *Calcar majus.*
        - c. *Cochlea ſolis.*

XXI.

(z) Frid. Christ. Lesseri *Teſtaceo-Theologia p.* 106. *Lipſ.* 1748. 8.

XXI.

Methodus Testaceorum F. C. Lesseri.

I. Testacea Tubulosa.

B. Cochlidæ. — Quarum spiræ se invicem contingunt.

ι. Sphæricæ.
- a. *Cochleæ terrestres.*
- b. *Cochlea vinearum.*
- c. *Cochlea olearia.*
- d. *Neritæ.*
- e. *Valvatæ.*
- f. *Cochleæ semilunares.*
- g. *Cochleæ semilunares umbilicatæ.*
- h. *Vitellus.*

ϛ. Semiellipticæ.
- a. *Conchæ venereæ.*
- b. *Entalia.*
- c. *Ovum.*
- d. *Porcellana litterata.*
- e. *Porcellana guttata.*
- f. *Ova marina.*

ν. Ellipticæ.
- a. *Cylindri.*
- b. *Terebellum.*

θ. Styliformes.
- a. *Buccina.*
- b. *Strombi.*
- c. *Turbines* Lang.

ο. Coniformes.
- a. *Volutæ.*

ρ. *Sturmhauben.*
- a. *Cassides.*

λ. Trochiformes.
- a. *Trochi.*

μ. Ficiformes.
- a. *Ficus marinæ.*
- b. *Buccina ampullata.*

XXI.

Methodus Testaceorum F. C. Lesseri.

I. Testacea Tubulosa.

B. Cochlidæ. — Quarum spiræ se invicem contingunt.

ν. Pyriformes.
- a. *Rhombi* quidam Listeri.
- b. *Cochlea pennatæ.*
- c. *Perdix.*
- d. *Cymbium.*
- e. *Buccinæ* quædam Rondelet.
- f. *Harpa.*
- g. *Vespertilio.*
- h. *Cassides verrucosæ* quædam.

ο. Ventricosæ.
- a. *Buccina.*
- b. *Turbines & murices & purpuræ quædam* Buonanni.
- c. *Fusi* seu *buccina canaliculata.*
- d. *Buccina aculeata.*
- e. *Purpuræ* ita dictæ *echinatæ, aculeatæ, cornutæ.*
- f. *Murices.*
- g. *Strombi.*
- h. *Turriculæ.*
- i. *Cochleæ alatæ.*
- l. *Murices alatæ.*

α. *Cornua Ammonis* simpliciter divisa Lang.

II. Testacea Vasculosa. Conchæ.

A. Simplices Univalves Μονόθυραι.
- α. Patellæ.
- β. Aures marinæ.

XXI. Methodus Testaceorum F. C. Lesseri.

II. Testacea Vasculosa. Conchæ.

- B. Compositæ.
  - α. Bivalves δίθυραι.
    - α. Aequilateres fere planæ.
      - 1. *Mytuli aculeati.*
      - 2. *Pinnæ.*
    - β. Aequilateres tumentes.
      - *a.* Rostro æquali.
        - a. *Conchæ crassæ.*
        - b. *Pectunculi.*
        - c. *Pectines.*
        - d. *Pectines tenues.*
        - e. *Cordiformes.*
      - *b.* Rostro inæquali.
        - a. *Tellinæ.*
        - b. *Chamæ* quædam.
      - *c.* Rostro æquali.
        - a. *Conchæ rugatæ.*
        - b. *Cor Veneris.*
        - c. *Bucardites.*
        - d. *Conchæ bucardiæ.*
      - *d.* Rostro inæquali.
        - a. *Chamæ.*
        - b. *Chamæ æquilateræ.*
        - c. *Tellinæ quædam* Lister.
    - γ. Laterum inæqualium.
      1. *Solenes.*
      2. *Ostrea.*
      3. *Mater perlarum.*
      4. *Tellinæ* quædam Buonan. Rumph.
      5. *Chamæ striatæ.*
      6. *Musculi fluviatiles.*
      7. *Pholas lignorum.*
      8. *Mytuli.*
      9. *Chamæ squamatæ.*
      10. *Dactylus.*
      11. *Concha venerea.*
      12. *Conchæ aliformes.*
      13. *Conchæ quadratæ.*
      14. *Conchæ rhomboideæ.*
    - δ. Valvis dissimilibus.
      1. *Pectines anomali.*
      2. *Conchæ palliatæ.*
      3. *Spondyli.*
      4. *Ostrea echinata.*
      5. *Ostrea tortuosa.*
      6. *Ostrea plicata.*
  - β. Plurivalves πολύθυραι.
    1. *Balani glandiformes.*
    2. *Mitellæ.*
    3. *Conchæ anatiferæ.*

XXII.

Methodus Teſtaceorum Car. Linnæi (aa).

1. Intuitu totius ſyſtematis naturæ numeris majoribus ſeriem generum, minoribus ſpecierum teſtaceorum exhibet Cel. Auctor. Toto cœlo differt Cl. Klein in methodo oſtracologica (XXIII.), qui ex ſpeciebus Linnæi totidem & plures format claſſes. O quam inconſtans ſyſtematis notio in viris ceteroquin ad revelanda naturæ arcana natis!

2. Ut mihi ergo videtur nec ſpecies nec claſſes eſſe poſſunt Teſtacea memorata, ſed genera, quod plerique veterum æque ac recentiorum ſcriptorum oſtracologicorum ſuo comprobant calculo.

3. Qua ratione Microcosmum Teſtaceis adnumerat, nec hic, nec in *Fauna* ſua explicat. Ipſe confitetur, ſe hoc animal non vidiſſe, & ex ſynonymis patet cognitionem ejus de hoc animali mancam imo nullam eſſe. Microcoſmus Rhedi eſt animalculum marinum ἀπόδες, & monſtrum ſingulare Paulini eſt Bellua marina pedibus & antennis inſtructa omnium maxima, quam noviſſime *Cl.* Pontoppidanus in *hiſt. nat. Norwagiæ* deſcripſit: diverſiſſima itaque animalia ſub uno copulat nomine generico, quod legibus methodi ab ipſo datæ e diametro contrarium eſt.

4. Suo cæteroquin merito non defraudandus eſt Auctor, quod animalium teſtis inhabitantium nomina addiderit.

Tegmen corporis teſta lapidea.

Genera.

I. Teſta univalvis concava æqualis. *Patella.* Animal Limax.

Species.

a. Patella vulgaris.
b. Patella conchacea.
c. Patella mucronata.
d. Patella Chinenſis.

(aa) Car. Linnæi *Syſtema naturæ edit. ſext. Stockholm.* 1748.

XXII.

Methodus Testaceorum C. Linnæi.

Tegmen Corporis testa lapidea.

Genera.	Species.
II. Testa univalvis spiralis unilocularis. *Cochlea.* Animal Limax.	a. Pomatia. b. Cochlea. c. Helix. d. Bulla. e. Labyrinthus. f. Voluta. g. Buccinum. h. Lyra Davidis. i. Turbo. l. Strombus. m. Turris Babylonica. n. Fistula. o. Murex. p. Purpura. q. Aporrhais. r. Nerita.
III. Testa univalvis ovato-convoluta: apertura longitudinali. Animal Limax. *Cyprea.*	a. Concha veneres. b. Moneta Guineensis.
IV. Testa univalvis patens subspiralis: disco perforato. *Haleotis.* Animal Limax.	a. Auris marina.
V. Testa univalvis subcylindrica: animal Nereis. *Dentalium.*	a. Entalium. b. Dentalis. c. Tubus vermicularis. d. Penicillus. e. Penis Veneris. f. Teredo navalis. g. Vermiculus algæ.

XXII.

Methodus Teſtaceorum C. Linnæi.

Tegmen Corporis teſta lapidea.

Genera.		Species.
VI. Teſta univalvis ſpiralis multilocularis. Animal Sepia. *Nautilus.*		a. Nautilus. b. Cornu Hammonis. c. Orthoceras. d. Lituus.
VII. Teſta bivalvis. Animal Tethys. *Concha.*		a. Oſtreum teſta inferiori elatiore. b. Nummus Brattenburgenſis. c. Chama teſtis æqualibus convexis hiantibus. d. Cunnus marinus. e. Mutilus teſtis oblongis clauſis, extremitatibus æqualibus. f. Perna. g. Bucardium teſtis ſubcordatis gibbis. h. Cor bovis. i. Arca Noæ. l. Cor Veneris. m. Pecten teſtis pectinato ſtriatis. n. Solen teſtis æqualibus linearibus utrinque patulis.
VIII. Teſta multilocularis. Animal Triton. *Lepas.*		a. Balanus marinus. b. Verruca teſtudinaria. c. Concha anatifera.
IX. Tegmen ex heterogeneis compilatis. Animal *Microcoſmus.*		a. Microcoſmus marinus.

XXIII.

	c. *Buccina.*	α. Flavidum sex spiris. β. Quinque spiris. γ. Sex spiris, colore castaneo. δ. Trochilus septem spiris. ε. Decem spiris ore a dextro sinistrorsum.
	d. *Turbines.*	Nulla.
	e. *Globosæ.*	α. Alata. β. Oblonga.

(m) *L'histoire naturelle éclaircie &c. p.* 377.

XI.

Methodus Concharum terreſtrium D. d'ARGENVILLE.

Claſſes.	Genera.	Species.
II. Animalia viventia nuda.	a. *Limaces.*	. Oblonga flavida.
		2. Exigua cinerea.
		. Paululum cinerea, nigricans.
		. Colore ſuccineo cum maculis albidis.
		. Brevis & compreſſa, colore flavido.
		. Serpens Cellaria dicta.

XII.

Methodus Cochlearum Anonymi. (n)

A. Cochleæ nudæ.

I. Terreſtres.
- a. *Feldſchnecke.*
- b. *Wieſenſchnecke.*
- c. *Waldſchnecke.*

B. Cochleæ Teſtaceæ.

I. Terreſtres.
- a. *Erdſchnecke.*
- b. *Weinbergsſchnecke.*
- c. *Thurmſchnecke.*
- d. *Tellerſchnecke.*
- e. *Laubſchnecke.*

II. Fluviatiles.
- a. *Teichſchnecke.*
- b. *Flußſchnecke.*
- c. *Deckelſchnecke.*
- d. *Tellerſchnecke.*
- e. *Schirmſchnecke.*

(n) *Oeconomiſch Phyſicaliſcher Abhandlungen VIII. Theil. Leipz. 1755. 8. p. 769.*

Appen-

Appendicis loco hic ſubjungam Conchas & Cochleas tam Terreſtres, quam Lacuſtres Marchiae noſtrae & Viadri, quas mecum benevole communicavit Clar. RICHTERUS V. D. Min. Rampizenſis Diſtrictus: quas ipſis Auctoris verbis hic publici juris facio.

Sammlungen

einiger Schnecken und Muſcheln hieſigen Ortes und an der Oder.

Schnecken: 1. *Die ganz kleine Garben-Schnecke, iſt nicht gröſſer als ein Mohn-Korn, meiſt unter dem Saamen der Garten-Garbe.*

2. *Die bunten Hain- und Haſel-Schnecken; deren hier*

a. *Die rothe, welche ſelten.*
b. *Die gelbe, welche ſehr zart.*
c. *Die buntgeſtreifte.*
d. *Die marmorirte.*
e. *Mit einem ſchwarzen Reiffen.*
f. *Die gelbe, mit drey oder vier Reiffen.*

Dieſe Schnecken findet man nur im April unter Haſel- und Erlen-Sträuchern, beym erſten Graſe und Blumen; daher ſie auch Blumen-Schnecken heiſſen; verliehren ſich darauf das ganze Jahr in die Erde.

3. *Die kleine plattgedruckte Pfuhl-Schnecke.*
4. *Die Ammons-Hörner.*
5. *Die Poſt-Hörner.*
6. *De gedreheten Dieten-Schnecken.*
7. *Die groſſe Garten-Schnecke.*

Muſcheln: 1. *Die ganz kleine Kamm-Muſcheln.*
2. *Das Hüttchen; iſt nur am Möden-See.*
3. *Die Molde; eben in gedachter See.*
4. *Die ſehr dünnſchäligte Ohr-Muſchel.*
5. *Die ſchwarze dickſchäligte Ohr-Muſchel.*
6. *Die Kieß- und Sand-Muſchel.*

In dieſen Muſcheln iſt zuweilen, doch ſehr ſelten eine Perle: am Queiße aber häufiger. Sie unterſcheiden ſich, daß ſie knorplich und gewunden ſind. An der Oder giebts ſehr viele Arten groſſe und kleine, ſpitzig und rund oder keulig; ſchlecht und geſtreift, ſchwarz, gelb, grün &c.

7. *Die große Pfuhl-Muſchel, von hochglänzenden Farben, allhier im Lubans-Graben öfters zu einem halben Fuß lang.*

IN

VARIOLARVM INOCVLATIONEM

DISSERTATIO EPISTOLARIS

FRANCISCI RONCALLI, *PAROLINI*,

S. R. I. COMITIS, MEDICI BRIXIANI, CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM REGIÆQVE BEROLINENSIS ACADEMIÆ SCIENTIARVM, ET INSTITVTI BONONIENSIS SODALIS.

DISSERTATIO
EPISTOLARIS
FRANCISCI RONCALLI,

Vniverſis & ſingulis
Cæſareæ Leopoldino - Carolinæ Academiæ Viris Clariſſimis
ejusdemque
PRÆSIDI CELEBERRIMO
ANDREÆ ELIÆ BÜCHNERO,
Sacri Romani Imperii Nobili, Conſiliario, Archiatro & Comiti Palatino Cæſareo, Potentiſſimi Boruſſiæ Regis Conſiliario intimo,
FRANCISCVS COMES RONCALLI,
PAROLINVS.

Heu vigiles properate, Profeſſores clariſſimi, ſapientiſſimi, & expergefacti capita veſtra erigite. Ad arma, ad arma! In Turcico Imperio oborta, in Britannico regno connutrita, in Monarchico Gallicano ſolo ab aliquibus protecta advenit artificialis inoculatoria variolarum peſtis: jamque in pulcherrimis regionibus noſtris, Germania, & Italia, radices agere incipit. Quid ergo? Et futura æva ſcire debebunt, orbem totum medicum, litterarium, & ſi fas eſt dicere, theologicum, a vafra Theſſalica avariſſima muliercula deceptos fuiſſe, illamque ipſam nos omnes cœcos inconſulto & temere in foveam transduxiſſe? Non ita, ornatiſſimi Sodales; ſi ſuperi aderunt, ſi Vos omnes magis illuminati vigilabitis, ſi Præſes noſter immortalis famæ Vir, BÜCHNERVS, qui glorioſe eminet & docet, argumentum ſumet, tractabit, ſuum faciet.

Interim

Interim ego, quid ſenſerim, Vobis huic epiſtolæ additum, Diſſertationem nempe epiſtolarem noſtram, humillime transmitto, veſtrosque ſenſus graviſſimos in reſponſoria ſcriptione expectabo. Libere ex corde loquor. Non adeo viles debetis eſſe, ut aliorum, in aliis regnis commorantium, opiniones expectetis. Abjectiſſimus hic cogitandi mos Germanos, ingenuarum diſciplinarum cultores, inſtitutores, non decet. Vos ſententiam pandite, quæ lata & inabrogabilis vadat ad univerſos. Velint, nolint, vaticinor, obſervata venerabuntur. Nullus quippe Iudex competens, niſi Medicus Practicus. Valete. Socios meos dilectiſſimos Regiæ Berolinenſis Academiæ, (a cujus Secretario incomparabili, Dn. Formey, amico noſtro, nuper non ſine animi dolore intellexi, inſitionem variolarum adhuc in Pruſſico regno vigere,) pro literario bello ſuſcipiendo, in auxilium vocate, &, humaniſſimis meis ſupplicationibus indulgendo, inoculationis exilium quam citiſſime promulgate, circumferte, ſuſtinete.

Brixiæ Venetorum VIto Maji, MDCCLIX.

Nobili

Nobili & ſapienti
VIRO
D. SYLVESTRO ANTONIO PONTICELLI,

Comiti Farnetæ & Guſſiolæ, Bononienſis Scientiarum inſtituti Academico, Regiæ Vniverſitatis Monſpelienſis Profeſſori & Socio, Regiæ Scientiarum Academiæ Correſpondenti, Auguſti Hiſpaniarum Infantis DD. PHILIPPI, & Auguſtæ DD. ALOYSIÆ ELISABETHÆ, Chriſtianiſſimi Regis Primo-natæ, totiusque Auguſtæ Prolis Archiatro, atque ſupremi Medicorum Magiſtratus Præſidi perpetuo, &c.

FRANCISCVS COMES RONCALLI, PAROLINVS.

VIrges, & peculiari epiſtola, Salæ, in Regio Palatio, nuper elapſo menſe data, & ad nos transmiſſa prope vim facis, PONTICELLI ornatiſſime, ut ipſe pandam quæ legerim, viderim, aut ſentiam de inoculatione variolarum, pluribus abhinc annis apud aliquas Gentes inſtituta: idque agis juſſu Viri omniſcii, & toto orbe celeberrimi, Domini *de la* CONDAMINE, nunc in magna Metropoli Pariſiorum Lutetia florentis & optantis ſcire, quid ſignanter in Longobardico Trans. padano hoc Italiæ tractu, locisque finitimis uſu veniat, quaque ſorte & exitu inſitio illa peragatur.

Quamvis ipſe nihil ſumens, & mediocritatis meæ probe conſcius, ille ideo non ſim, qui expectationibus veſtris poſſit ſatisfacere: quamvis Venetæ Roſſianæ, cuſæque *a*) Ephemerides elapſa hebdomade me multum terreant (admonent quippe,

a) Num. 46.: per il di 18. Novembre 1758.

pe, & ubique terrarum ac gentium apud Literatos omnes hanc quæſtionem obſtrepere, & erectum in Franciæ Vniverſitate Tribunal, ſedentibus Epiſcopis & Theologiæ Doctoribus, mox in magni momenti hac re ſententiam pronunciaturis), ideoque perquam caute, ne dicam trepidanter ante tantos Viros opinio proferenda ſit; quæ ſi ante deciſionem in Gallicanas pervenit regiones, licet ceteris longe inferior atque poſtrema, poteſt tamen eſſe granum illud in bilancis latere præponderans, tollensque æquilibrium: nihilo tamen minus, cum hæc prima juſſio ſit, quam humanitati Tuæ acceptam referre debeo, nefas ducerem non parere; ratus me vobis ambobus humaniſſimis minus qualicumque ſcriptione, quam ſilentio diſplicituram.

Neque vero, dum primus ego & ſolus in Italia, (quod ſciam) ſaltem ex profeſſo, contra tantam adverſariorum ſectam, & fere ab omnibus ſapientibus in hoc anfractu derelictus, argumentum tractare aggredior, vellem crederes, aut peteres, me in omnia iturum loca, fontes, ubi documenta, libros volvendo, elici poſſunt, perque quæſtionum tricas divertere, ut Scriptores, conſarcinando, aſſueti ſunt: multoque minus me, hac data occaſione, poſtulare, ut quidquid ediſſerere pergam, pro rato & firmo accipi debeat. Nihil datur tntum in arte noſtra: meapte natura ſemper hærens potius ad dubitandum proclivis ſum. Argumentum propoſitum jam jam ſeneſcens diverſimode, & multifariam actum atque penitus penitusque diſcuſſum, non ſinit, ut alia, aut nova excogitari poſſint: tanto magis, quia intelligo jam deſudaſſe Viros ſapientiſſimos *b*), nobilioribus diſciplinis inſtructos, omnique ſcientiarum ſupellectile ornatos, quos venerari debeo ut Magiſtros, & a quibus lex prolata ſemper magis confirmata expectanda eſt. Dicam ſolum,

b) In Conſultationibus medicis *Morandi* Morandi, epiſtolisque additis, hæc proſtant: *L'Inghilterra ſola può fornirci dì cento, e più Trattati ſopra lo ſteſſo Vaiuolo.*

solum, ut obediam. Dicam ut Advocatus, ineloquens licet, causam tractans. Lis, & punctum deinde curis & vigiliis nostris fortasse magis illustratum, redeat ad Sapientes: redeat primum ad Te, deinde ad amicum Parisiensem tuum, nobilissimum scilicet *de la* CONDAMINE; cui duplici de causa me peramenter adstrictum sentio: nimirum ob parem cooptationem in Regiam Berolinensem Academiam, atque mutuam nostram dependentiam a Regia Celsissima Borbonicorum Monarcharum Domo. Vos, inquam, de scriptis meis judices estote. Eorundem qualiscumque fuerit sors, me vindicem non habebit, neque ulterius scriptitabo. Vadant ideo, consuetum rerum cusarum fatum, in terras alienas, varietatem per quæstiones quæritando: sed laconice: ideoque, ut ad rem veniamus, tangam solum quid varioloſus morbus sit in essentia sua, suaque origine, causis, symptomatibus, effectibus; ut hinc, ratione & experientia, præcipue divinæ artis cardinibus, facem præferentibus, strata magis via ad statuendum, num exposita variolarum inoculatio laudanda veniat.

De illarum insuper in humanam calamitatem exordio, & successiva invasione non nimis ero sollicitus: omnium placitis in varia abeuntibus, nuncque prima, nunc tardiora sæcula culpantibus, atque ab orientalibus Provinciis per Syriam ad Persiam, HIPPOCRATE silente, peragrasse, proindeque ad Europam pervenisse, mordicus sustinentibus. Quod a veritate absonum crediderim. Probabiliter enim ærumna hæc fuit a mundi initio ingenita, humano generi in universum essentialiter coæva, & per accidens postea endemico, aut epidemico etiam afflatu hinc inde grassando transportata *c*): quam fere ne-

c) Nec obstat documentum a *Iacobo a* CASTRO, Medico Londinensi, propositum, pag. 8. Dissertationis *in Inoculationis, seu transplantationis variolarum methodum;* esse hunc morbum novum, quia a Veteribus indictum: quandoquidem alio fortasse nomine

mo mortalium vitare poteſt *d*): ſique unus vel alter ab eadem immunis ad ſenectutem pervenit: non ideo dicendum variolis caruiſſe. Interdum quippe in infantia variolæ invadunt, ſuumque ſtadium nunc lente, nunc acute proſequuntur ſub larva alterius morbi, nunc ſudoribus, nunc diarrhœis, nunc alia criſi judicati, & fortaſſe Medicis ignoti: quin imo puſtulis eruptis in hepate, ventriculo, inteſtinis, aliisque locis: quod nonnulli claſſici Auctores docendo tangunt *e*), & loquitur etiam Vir clariſſimus, *Carolus Franciſcus* COGROSSIVS, Profeſſor Patavinus emeritus, in epiſtola ſua *f*) ad nos directa.

His poſitis, cenſeo varioloſum fermentum in omnibus latere, & eſſe agens illud apte natum ad promovendam ſanguinis, & humorum omnium efferveſcentiam, in puncto & caſu illo, quo liquidorum deſpumatio, natura operante, ſurgere & efformari debet, ut purum ab impuro ſeparetur: in quo conſiſtit lucta Microcoſmi noſtri.

Si conſtanti lege id in omnibus evenit, eveniet mechanica neceſſitate cogente, ab interno ſcilicet liquidorum genio, ſtatu, aptitudine, inteſtino motu, cauſisque, ſcintillæ inſtar, ſuperadditis, quibus animalis machina concutitur, atque ad illam ægritudinem diſponitur.

Quæſtio itaque, de qua nunc agimus, illa eſt, num varioloſum

hunc ipſum vocitabant, ut cordati Scriptores docendo ſtatuunt absque ulla hæſitatione.

d) Neque methodo ultra Indiam, & extra Gangem ab Aſiæ, Iaponiæ præſertim gentibus inventa; ſectione nempe in infante recens nato vaſorum umbilicalium, ita ut reſiduus ſanguis menſtruus exprimatur. Proh ſomnia!

e) BOERHAAVIVS præcipue, quando ſcripſit: *Morbus varioloſus, ſæpe ſine variolis.*

f) Vide Opus noſtrum in folio magno, dicatum Auguſtiſſimæ ELISABETHÆ, Hiſpaniarum Reginæ, cui titulus: *Summi Pontificis, Regum, Principum, Academiarum, Sapientum Diplomata & Epiſtolæ ad Comitem Franciſcum* RONCALLVM *Parolinum.*

losum luctamen illud arte possit promoveri, & suscipi sine umbra periculi, quodque etiam esset optandum, cum minori corporis jactatione et labore.

Vt id, quantum fieri potest, introspiciendo assequamur, mente, anatome, praxi, optimoque criterio ducibus, sanguinis elementa, solidorum nexus et compages in statu sano ante oculos habenda sunt, mox descendendo ad cognitionem causæ moventis, et tollentis æquilibrium, in quo salus. Causa futuræ varioloſæ fermentationis ubi signanter in corpore, aut corporis interna particula lateat, nescitur. Probabiliter in sanguine toto, qui ante hanc eruptionem potest quodam modo dici acerbus, immaturus, non despumatus: quique habet in se aliquid vitiosum, lentum, crudum, acidum, austerum, uno verbo, saluti adversum.

Quia vero præter hasce omnes causas, simul sumptas, multæ aliæ intercurrunt, ratione subiecti & circumstantiarum concurrentium, atque errorum in Medicina præstanda factorum, ob quas interdum, ne dicam sæpius, maligno afflatu superaddito, varioloſi occumbere debent; ideo olim a plebe, aut mulierculis, aut Medicis inventa fuit *inoculatio*, atque ad actum perducta, vel Turcico more media sectione vasis sanguinei, vel scarificatione cutis in variis locis, proindeque aptato pure, a varioloſis benignis pustulis paulo antea extracto; vel inquam, Sinensi more, per nares *g*) introducto; aut alia quavis methodo, quam nimis prolixum esset describere; et quæ olim apud *Antonium le* Dvc, nec non *Gualterum* Harris, *Emanuele* Timonio præsertim referente, multosque successive alios videri potest: ubi re vera ad summam facilitatem cum felici exitu opus perducunt atque promittunt hujus inventi Præcones; præsertim *a*

g) P. Dentrekolles literis Pekino 1729. datis, asserit, insitionem in Sinensi Regno dici *Tehungteou, seminare il Vaiuolo.* Eodem actu refert, fermento exsiccato & in pulverem redacto, fieri pastillos pro usu.

MAYERNE, qui varioloſi fomitis, media inoculatione, ſuavem & prudentiſſimam inſinuationem penetrationemque deſcribit; atque etiam poſtremis hiſce temporibus Mylady *Worteley* MONTAIGÙ, dum cum Sponſo Legato Conſtantinopolitanam urbem inviſebat, et variolarum inſitionem in proprio filiolo pertentavit, quæ mox Londini in ſororula etiam peracta fuit: proindeque pluribus aliis præmiſſis exemplis felicibus, ad ſupremos etiam Regios Principes evecta et adminiſtrata.

Verum ut ad præſens inſtitutum noſtrum, ſeu ſcribendi argumentum proxime accedam, de inoculationis eventu agendum eſt. Utque ad normam explicatæ tuæ petitionis ipſe paream, liceat, quamvis in epiſtola, pro dicendorum claritate capitulatim incedere.

1. Scilicet referendo experimenta Brixiæ tentata.
2. Clariſſimorum Virorum ſententias recens exortas.
3. Rationes & fundamenta, quibus opinio noſtra innititur.
4. Punctum Theologis proponendum.
5. Dictorum omnium concluſionem, et ſummarium quatuor articulis diſtinctum.
6. Denique pro mantiſſa, additis pro curatione variolarum nonnullis remediorum formulis.

Experimenta inoculationis & contagii Brixiæ ad actum perducta.

CASVS PRIMVS.

Anno 1739. menſe Octobri, ſævientibus in urbe Brixia variolis confluentibus, inter multos alios ſex fraterculi periere; ſeptimo, tres annos nato, ſuperſtite. In eodem, optimam in ſignis omnibus ſalutem præ ſe ferente, Sacerdos patruus inoculationem pertentare voluit. Ob rem hanc accitus fuit Vir clari nominis in urbe noſtra, *Octavius* MAROCCHI. Volens,

lens, nolens, & violentissimis supplicationibus coactus, re prius protestata, si quid in contrarium accideret, negotium curamque assumere debuit. Purgato corpore, extracto sanguine, observata diæta, insitio peracta fuit consueto circiter more, quatuor in locis, brachiis scilicet et coxis, sumpta sanie parum longe a filiolo, variolis discretis, benignis, qui per solum nycthemerum lecto decubuerat, laborante, atque ad maturationem jam redactis. Per quinque dies nihil novum. Sexta nocte vigilavit, febris surrexit, proindeque apparuit sitis, dolor capitis, bibitaque aqua cornu cervi, vomituque reiecta, omnia in pejus ruere: adeo ut cum celeri pulsu, tendinum subsultibus, convulsionibus, et orthopnoica respiratione, atque stertore, miserrimus morti proximus videretur. Summo mane septimæ diei Medicus, cubiculum ingressus, consalutatus fuit a desperabundis et lacrymantibus mulierculis, hac propemodum voce: *Ecce Carnifex.* Nisi religiosus adstans, Medicumque comiter atque humaniter protegens, easdem reprehendisset, ulteriora, aut jurgia, aut facta poterant contingere. De facto, licet pulsus esset exilis, facies cadaverosa, oculi strabismo affecti, viribusque effœtus, tamen, *Sydenhamii* documentis innixus Medicus, dari symptomata illa etiam in variolis discretis, atque benignæ naturæ, aliquam spem adhuc supereresse dixit mussitantibus illis mulierculis. Die febris tertia, inititiarum vero variolarum nona, infans somno sepultus videbatur: sed imminuta febri cibum non respuit, et quiescente tendinum subsultu, respiratio facilior facta. In vultu aliquæ maculæ apparuerunt, futurarum pustularum indicia. Die decimo irrequietus deliravit: tandem variolæ evidentes emersere, et undique in multis locis, consueto gradu ad maturationem perductæ, parumque dissimiles ab illis, a quibus fomes sanioſus pro inoculatione desumptus fuit. Quatuor inflicta vulnera quasi ulcerosa, pus fundendo, evaserunt: idque per mensem integrum. Tandem suborta diarrhœa infans ad pristinam rediit valetudinem.

Sed

Sed Medicus tunc, atque etiam nunc ſancte proteſtatur, nec amore, nec vi toto tempore vitæ ſuæ talem curandi methodum ſe eſſe ſuſcepturum.

CASVS ALTER.

Prima Octobris proxime elapſi febri corripitur *Antonius Rinaldinus*, annorum quinque, D. ANGELI, amici mei et docti Medici filius. Sanguinis miſſione ſtatim peracta, juſculis tractatus, febrire non deſinit: die morbi quarta emerſis ad cutem maculis, de varioloſa obeunda lucta dubitatur. Accitus in conſultationem id indubie affirmo, tenuemque jubeo diætam, nec cubiculi frigus *h)*, nec nimium calorem *i)* laudans. Dum exeo, ad lecti latera video filiolam quatuor annorum, *Saviam* nomine, ægrotanti fraterculo adſtantem. Damnandæ rei novitate permotus *k)*, in patrem invehor, eo quia filiolam derelinqueret in illo, ob contrahendas variolas, vitæ periculo. Reſpondit, data opera id feciſſe, noviterque facere velle, quia variolæ erant diſtinctæ, diſcretæ, neque in tota urbe tunc aderat confluentium, & peſtilentialium variolarum umbra; ideoque optimum eſſe, ut filia, media illa contagioſi fomitis inſitione, atque inſpiratione, morbum contraheret. Contraxit, et nimis. Quandoquidem, dum frater incolumis lecto exit, filia conqueri cœpit: ſanguis illico contrahitur, ſed brevi jam jam puſtulata cubile intrat id ipſum, exanthemata elevantur, magis protuberant, benignam in principio indolem præ ſe ferre videntur. Famulatus amantiſſime adſtat, mater, mulierculæ vigilant: ſed omnia

h) BOERHAAVIO docente.

i) *Vt Richardus* MORTON in varioloſa ægritudine filii ſui. Alt ſiquidem: *Foco in cubiculo accenſo.*

k) Innixus documentis DIEMERBROECKII, qui ita ſcriptum reliquit: *Injungendum, ut pueri aliique, qui nunquam variolis laborarunt, fugiant non ſolum ægros variolis infeſtatos, ſed etiam illos, qui inſerviunt.*

nia in cassum, quia pustulæ subsidunt, livescunt, introëunt, incipit suffocatio, stertor in respirationis actu: tenella ægrotans, veluti siderata, fit attonitæ similis, cibum odit, non accipit, totoque varioloso, atque per contagiosam sationem producto apparatu ad cordis thalamum properante, aut in spiritali arce protinus subsistente, inter parentum lacrymas, die morbi duodecima, ex promoto certissime morbo natura non parata, miserrime periit. Pater lugere non desinit, non ob mortem tantum, sed ob causam mortis.

Sententiæ clarissimorum Virorum recens exortæ.

Ut tuto magis pede incederem, luxque provida coruscaret, oravi Virum Nobilissimum, scriptis editis celeberrimum *l*), Brixiani Medicorum Collegii Præsidem, ut, præmisso omnibus Sociis in Schedula monito tractandi argumenti, (mos a prima usque institutione ad hæc usque tempora servatus) cœtum universum convocaret. Idque contigit 7. Decembris 1758. Omnes, quotquot aderant, aut scriptis domi factis et lectis, aut ore longam dixerunt orationem super re exposita et controversa: sed unanimiter, nemine penitus discrepante, sanxerunt, variolarum insitionem esse posse damnosam, ideoque illicitam, et vitandam.

Professor primarius in Medicina facienda, urbeque Arimino nunc florens, *Janus* Plancvs, Academiæ Mutinensis Conjecturantium Princeps, Lynceorumque Restitutor perpetuus, Vir si quis alius in Italia universa, & Praxi versatissimus, sapientissimus, a nobis in hanc rem excitatus, die 4. Decembris 1758. rescribit, et edicens protestatur inoculationem non esse permittendam.

Vir

l) Prostat ejusdem in Europa nostra pag. 292 Brixiensis Medicinæ Epilogus in Epistolam concinnatus. Pariterque in Opere, cui Titulus: Diplomata et Epistolæ &c. Tractatus de Aquæ Tedæ facultate, & viribus pag. 169.

Vir pietate & doctrina singularis, *Fridericus* SANVITALI, e S. J. inoculationem damnans, ita mihi scribit: *Quo circa periculum expectemus, cum naturæ necessitate subeundum fuerit: non ultro provocemus, non prævertamus, illi obsecundemus, non vim inferamus, &c.*

Christophorus ZANETTINI, Archiater Pontificius, literis 16. Decembris 1758. Romæ datis, ita effatus est: *Mi onora V. S. Illma con sua stimatissima Lettera, alla quale ho tardato rispondere per meglio informarmi intorno alla inoculazione del Vaiuolo: e per parlarle con tutta sincerità, le dico di non averla io mai praticata; nè in Roma si è mai creduta ragionevole da esequirsi con utile, e profitto, e senza scrupolo di coscienza; poichè li Theologi non l'ammettono, e dalla Università della Francia si attende la decisione, la quale si crede non uniforme ai costumi dei Turchi, e degl' Inglesi, trattandosi di arrischiare* pellem pro pelle. *In alcuni Luoghi dello Stato de Papa un qualche Medico ha vantato cose mirabili con tale Operazione: ma si è poi saputo non esser vero quel tanto che si voleva far credere. Molto di più potrei dire su tal punto; ma lo stimo superfluo &c.*

Vivit egregius Vir iste, patriæ nostræ decus & ornamentum, flexis genibus ad Summi Sanctissimi Pontificis CLEMENTIS XIII. feliciter regnantis latera, frequens alloquitur Cardinales Eminentissimos, sacratissimos, veras Romanae ecclesiæ columnas; agit cum Episcopis, Præsulibus, Theologis, Canonicis, Doctoribus, ideoque pro oraculo accipienda est sententia ipsius: quam non hærens, (ut fecerunt bene multi Medicinæ proceres, ut in primariis urbibus Professores circumspecti, politici, publicumque bonum non curantes, qui mihi neque respondere dignati sunt,) sed edoctus *m*) tutissimam profert. Hanc aliasque tanti esse ponderis existimo, ut neminem posse refragari, credam.

Fun-

m) Re scilicet prius ventilata, excussa, decreta.

Fundamenta et rationes, quibus innititur, atque probatur sententia nostra.

Duobus punctis, quæ proposueram, delibatis, jussis tuis obediendo, et promissis meis stando, remanet, ut rogatam sententiam ipse ex animo pandam. Ne autem ulterius morer patientiam tuam, constanter, quod hujus epistolæ fronti impositum intueris, confirmo. Vtque non oscitanter ad id descendisse scias, nonnulla rationum momenta, causasque sensuum meorum habe.

In puncto illo, quo inoculatio peragitur, temperamentum pueri fortasse dispositum non est, neque paratum. Maturatio suppuratoria in variolis sponte nascentibus fit natura illo momento operante. Medicus non potest jubere, sed debet parere ejusdem motibus. Pyrum non maturescit, febris non surgit *n*), mulier non parit, vinum non evadit, nisi statuto maturationis tempore. Quæ maturatio in fratribus longo terrarum tractu sibi invicem remotissimis, sub cœlo diversissimo, sed paris constitutionis, parit eundem varioloſum morbum, cum eodem periculo.

Liceat adagium scholasticum recinere: Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Ens novum, exterum nunquam satis cognitum, injectum pus est: quod, ut agat, & suscipi, & circumire debet cum sanguine toto: cujusque qualitates, licet a benignis variolis desumptas, inimicas *o*) non est quod memorem. Dum spiritalia subit vasa, dum centralem cordis thalamum excurrit, quis audebit spondere, loco optatæ expulsionis, non posse vice versa tangi, irritari exquisitis-

 simi

n) Cujus motio interdum esset utilissima. Nimirum in apoplexia, in convulsionibus, sed non promovetur: quia multa mota nocent, quæ non mota non nocebant.

o) Quod uni prodest, alteri nocere potest, Aphorismus est in Medicina practica quotidie recanendus.

simi sensus fibrillam, vasculum tenuissimum, nerveum furculum, ita ut convulsio, dolor, & sexcenta hujusmodi in promptu sint?

Implantatio feliciter vadat cum exitu optato. Verum cum in exacta suppuratione non satis forsan expurgatus sit sanguis: quid erit ob cutim a præteritis, licet optime exantlatis variolis, corrugatam, atque ab informibus cicatricibus stipatam, vitiatamque adeo, ut pustulosa adveniens eruptio efflorescere non possit?

Adde, dari etiam ex natura ambitus cutesque solidas, durissimas *p*), quas *coactas* BOERHAAVIVS *q*), densas HIPPOCRATES vocitat: in quibus nec sudor, nec maculæ, nec cujuscumque generis exanthemata, nunquam toto vitæ curriculo, expectanda sunt. Quibus casibus si diaphoreticis, exosim promovendo, agis, oleum & operam perdis, ægrum ponis in ancipiti.

Derivatione, coctione, spontaneis naturæ docentis motibus, crisibus, cardo præcipuus Medicinæ faciendæ innititur. Hæc sequenda, hæc imitanda: sed tempore illo non a nobis invento.

Porositates, cribra, secernicula figuræ peculiaris in solidis omnibus. Figura peculiaris in liquidis, ut permeent, & vadant. Ex his salus. Pyon implantatum diversæ toto cœlo, & non cognitæ molis, quomodo circumibit? Circuitu præpedito in vasis internis majoris usus. Quid erit? Erit pertimescenda *horribilis cœcitas*, *aut ulcera rebellentia*, ut ait GVILLEMEVS: idque etiam *post sanatas variolas*: pure edaci non retuso, ut canunt Germaniæ Ephemerides.

Si damna formidata non eveniunt, ratio est, quia fermentum varioloſum non penetravit, terram aptam non invenit, nec

p) Quibus fortasse alludit illud DRELINCVRTII: *Intercus durum, firmum, non diffluens, nec difflatum.*

q) Et quæ *ob relictas cicatriculas* ad permittendas novas despumationes inepta sunt: ut tangit *Conradus Bertholdus* BEHRENS, in sua Observatione in Actis Germaniæ.

nec heterogenea materies tamultum maximum produxit; quod in insitione frequentissimum intuemur *r*); quia sanies sumitur in summitate pustulæ albescentis, & sero, quando vim amisit. Lignum non aridum, ut hinc admota scintilla incendium suscitetur. Hinc inoculati vivunt, aut vivere ad tempus (nullum post arte productam luctam de ipsorum perseverante valetudine nuncium, de quo infra,) demonstrant; quia implantata fermentatio interdum est tenuis, exigua, impotens: ut constat ex sex captivis, a dextero Chirurgo, *Carolo* MAYLAND, Londini in Newgate bis, ad vim veneni actuandam, inoculatis *s*). Qui quidem mox febrire, rubelli hinc inde evadere, & quasdam luteas *pustulas*, diversa latitudine & elevatione protuberantes, ostendere cœperunt, cum exitu quidem puris per inflammatum turgidumque foramen, ubi variolosus fomes introductus fuerat, sed in ipsorum nemine vera effervescentia, integer universalis despumans, separansque bonum a malo, tumultus productus fuit.

Vlterius: Aut morbida iniecta vis est activissima; hinc ob rationes superius allatas timendum de vita: aut tenuis, impotens; ideo exiguum quidem luctamen cum nullo vitæ periculo, sed, sanguine non expurgato, instat recidivæ magis magisque metuendæ probabilitas: quod mihi occurrantes canunt Brixiani Medici, hunc vel illum digito commonstrantes, qui pluries variolas passus est *t*), quodque in se ipso expertus fuit Vir

 cla-

r) Quod frequenter, judicio meo, quamvis Satores utplurimum fileant, deberet contingere.

s) Vt videre est in Actis Academiæ Leopoldino-Carolinæ.

t) Dominus *Carolus Folzadri*, non longe a vico nostro commorans, triennis, variolis confluentibus obruitur, febrit, tantaque ad cutim emergit pustularum turgidissimarum series, ut plures saniei libræ lectum humectantes exierint. Consuetis diebus evasit: tantum egressum a variolis illis pus, ut nunquam alias. Quid credares: post tantam expurgationem dum sextum annum adolescens ingreditur, en nova variolarum strues, strata super corpus totum, sed præsertim in capite & oculis; quare de cœcitate dubitatum fuit. Convaluit tamen.

clariſſimus, *Conradus Bertholdus* BEHRENS, qui ter ob variolas periculoſe decubuit.

Tenui itaque ſuperata lucta, non ideo triumphus canendus, mihi cariſſimi Implantatores, ac ſi victoria eſſet completa, ſed novus iterum formidandus hoſtis; nonque unicus & ingenitus, ut in principio dicebamus, ſed aliunde, ſed multiplicibus modis aggreſſurus. Sporadice, endemice, epidemice *v*), contagioſe *w*), maligniter, confluenter. Ecquis tantam hydram, ut græca voce loquar, in humanum genus graſſaturam, ſecabit; ſi ſeptima vice hominem impetere, et interficere viſa eſt *x*), ut BORELLVS ſcribit, & *Philippus de* VIOLANTE, Regis Poloniæ Archiater *y*), refert.

Itaque, ſi ter, ſi ſepties homines periculoſe decumbunt, quidquid in contrarium efferant inoculatores: ſi contagio maligno (ſcribentes de variolis, ſemper ore & calamo loquuntur de veneno, de peſtilenti afflatu *z*), de altra bile *a*), de nigris interſitis pediculis, de vermibus, de lethali putredine, corruptione, mortificatione, gangræna *b*), cœca pernitie *c*), & oſſibus intus *d*) corroſis) jam inoculatus, nonque expiatus, repen-

v) BOERHAAVIO dictante.

w) Contagii irruentis vim indicat caſus a DEGNERO relatus. Fœtum nempe varioloſum editum a matre nitida & ſana; quæ alios filiolos variolóſos tractaverat.

x) Hiſtor. & Obſervat. Variol. med. phyſic. Cent. 3. Obſ. 10.

y) In Tractatu de Variolis & Morbillis.

z) Adeo penetrante impetumque faciente, ut canibus ipſis adſtantibus, aut urinam bibentibus, interdum non parcat. Proſtat hujus rei documentum in Actis Academiæ noſtræ Leopoldino-Carolinæ Vol. II. pag. 426.

a) A qua variolas efformari dicit *Philippus de* VIOLANTE l. c.

b) Fere in omnibus denatis viſcere atro ſanguine ſemiplena & putreſcentia.

c) Ita MANGETVS cauſam variolarum nominat.

d) Vt declamat etiam *Joannes Samuel* CARL, dum de Variolis adultorum loquitur, ajens: *Conamen inoculationis apud Germanorum Magnates infelici exitu ſuſpectum reddebatur.*

pente iterum invaditur, nonne periclitari *e*) iterum iterumque poterit *f*)?

His stantibus & probabiliter eventuris, quis erit stultus ille, qui inoculando promittat sanitatem, inoculato variolas non amplius esse reversuras *g*)?

Neque vero, dum controversæ insitionis methodum carpo, dumque raptim obediens scribo, vellem quis crederet, me disceptationum fautorem in arenam præcipitanter, omnibus prius non pensitatis, descendisse. Dum inoculationem improbo, nihil aliud agere protestor, quam confirmare ea, quæ alias produxi in Europa nostra, Parisiis existente in suprema summorum Regiorumque Principum Bibliotheca, quibus sex abhinc annis (aula Polonica protegente), Borbonicis, auro argentoque immixto, insignibus ornata, acuque Phrygio picta, Comite *de* Loos, ejusdem Legato apud Regem christianissimum, præsentante, nomine meo transmissa humillime fuit, fronti Operis anteposita hac inscriptione:

SERE-

e) Poterit & fortasse ad plures ire, præmissa jussione hæredibus suis, ut supra sarcophagum signent inscriptionem illius Hispani: *Valebam, ut melius valerem, hic jaceo.*

f) At non solum reversuræ, sed postquam ad multum tempus, insitione peracta, latuerint, ad emunctoria, ad glandulosas partes *abscessus* producunt ac suppurationes, *ludente sic in diversiformi corporum crasi natura.* Ita loquitur præcipuus inoculationis antesignanus. Vide MANGETVM, pag 226. T. 4. Parte prima.

g) Idem Opus nostrum, cui Titulus: *Europæ Medicina a Sapientibus illustrata*, prostat Parisiis apud amicum nostrum *Ludovicum Joannem* THIEVLLIER, Virum celeberrimum.

SERENISSIMIS
DELPHINO AC DELPHINAE
QVORVM
FELICISSIMO CONNVBIO
CHRISTIANISSIMVS PRIMVM MONARCHA PATER
SINGVLIS AC VNIVERSIS HOMINIBVS CARVS
POTENS FORTIS TRIVMPHATOR
BORBONICA AVITA ANIMI PRAESTANTIA
IN BELLO ET PACE MAGNVS
DEINDE SVBDITAE GENTES IMMO TOTVS ORBIS
NVNC EXVLTANT
EXCELSOSQVE HINC NEPOTES SIBI OMINANTVR
FRANCISCVS COMES RONCALLI PAROLINVS
VENETO - BRIXIANVS
REGIAE ELECTORALIS SAXONICAE DOMVS
CLIENS ET SERVVS
FLEXIS GENIBVS ORANS
VT OPVS HOC SVVM
AVGVSTISSIMO TANTOQVE MAECENATE
PRETIOSISSIMVM
GALLICAM ETIAM MEDICINAM ATTINGENS
IN SVPREMA REGIA PARISIENSI BIBLIOTHECA
REPONATVR.

Ibi inquam *h*) pag. 188. respectu Græcorum Medicinæ, p. 213. Hungarorum *i*), & p. 439. Prussorum, Parisienses, & ceteri videre possunt meas non spernendas in insitione admittenda difficultates, quas confirmatas laudare dignatus est Archiater *k*) Regis Poloniarum in suo nunquam satis approbato *de Variolis & Morbillis* Tractatu.

Quanto fastu, quantisque clamoribus, elapso nuper seculo non erupit in literarium orbem Chirurgia infusoria, signanter sub Anglicano cœlo inventa, ad Gallicam terram translata, proindeque in totum terrarum orbem diffusa? Videri potest Etmüllervs, iqui rem absolvit; & promotorem Britannum nominat Mathematicum Wren, Academiæ Oxonienſis; protectoremvero Timotheum Clarc, Medicum Regium: proindeque ad enatas in invento illo vicissitudines descendens, res multas profert, etiam stupore dignas, quas refricare tædiosum esset. Iam quisque scit, infusoriæ & transfusoriæ Chirurgiæ methodum, magno hiatu promissam, cecidisse. Sororis, & simillimæ inoculationis prognosticon.

Quid dicendum de curatione morborum media Machina electrica? Videantur, quæ nos commentabamur *l*) in Epistola Cremonam missa celeberrimo amico nostro, *Josepho* Migliavacca, circa

h) Idem Opus nostrum, cui Titulus: *Europæ Medicina a Sapientibus illustrata*, prostat Parisiis apud amicum nostrum *Ludovicum Joannem* Thievllier, Virum celeberrimum.

i) Ibi dum de Cithera, Archipelagi Insula, sub Dominio Venetorum loquebamur, multa de innextu variolarnm damnando in medium lata sunt.

k) *Philippus de* Violante, Neapolitanus, pag. 52.

l) Vide Opus nostrum in folio maximo, sub Titulo: *Diplomata & Epistolæ* &c. ubi Scriptores de Machina electrica, nimirum Pivatvs, Veratvs, Papinvs, Bianchinvs, Nollet Abbas, Lovis Gallus, Jallabert, confutantur & redarguuntur.

circa ampullosa ejusdem miracula; & profecto non mirabimur, si nunc a doctis hominibus jaceat proscripta.

Vices ipsas habebit & variolarum insitio, publicumque bonum juvabitur magis, si remedia promulgata & defensa prodibunt a Clinicis, toto tempore vitæ suæ prope lectulos ad naturæ latera medicinam facientibus, solis judicibus competentibus, mortique luctantes videntibus: ceteri quippe doctissimi, & in urbibus ad alia utilissimi, theoretici, cathedrarii, vident nimis, sæpius creant, imponunt, opiniones nuptas ducunt, argumentum suum ad sidera evehunt, surdi sunt: obiecta Oratores & Rhetorici nimis acriter solvunt; sed difficultate majori superstite. Deusque velit, ne ego ipse, alios corrigere audens, nimis inoculationem (adversarii næ lucidum intervallum dicent) damnem. Tu, amicorum optime, ridebis.

Quis fidem præstaret TARRY, Medico Britanno, referenti, ex *quatuor mille* personis, variolis malignis in suburbiis Pera, & Galata Constantinopoli obsessis, neque ullum periisse? Quis ampullis, & montibus aureis MEYLANDI, Chirurgi Angli, neminem post inoculationem *variolas*, *per totum vitæ cursum*, *rursus passurum?* quis fabellis *Jacobi a* CASTRO, nullum fieri ab inoculatione deformem, nec aliis morbis corripi, nec ullum occubuisse *m*)? quis *Gualtero* HARRIS, hominem bis non posse variolis infestari? quis *Jacobo* PILARINO, promittenti excitatas variolas esse semper de genere distinctarum; solumque viginti, triginta, raro ad centum pervenire? quis *Carolo* CHAIS, dicenti, *non aversi esempio d'una ricaduta doppo l'inoculazione?* quis Dn. *Isacco*, Episcopo Anglo Worcesteriensi, anno 1752. in Ecclesia sua de utilitate inoculationis prædicanti *n*)? quis *Orationi Harveianæ a Ruperto* TAYLOR in Collegio Medicorum Londinensium recitatæ?

m) Liceat adagium referre: *Qui nimis probat, nihil probat.*

n) Si contra Concionator in templo Sancti Andreæ Londini, inoculationem damnabat? ut prostat Tom. I. pag. 139. Ephemeridum Germaniæ Naturæ Curiosorum.

tatæ? si ubique in illorum scriptis (nonnullis oratorio alioquin & Attico stilo exaratis) calculis falsis? tot res mutilatæ, involutæ, demptæ, ampliatæ, non satis explicatæ, reperiuntur, ut quid tutum erui non possit.

Hujus instituti pariter sunt historia Domini Tyssot o), insitionem factam in filiis Sereniſſimi Ducis Aurelianensis inter alia referens: Transactiones Philosophicæ Londinenses: Opera *Meadiana*, *Sloaneana*, *Arbuthnotiana*, præsertim Doctoris Kirkpatrick p), Harrisii, Vateri, & *Theophili* Lobb, Butini, Ramby, *della* Cosse, Domini Dodart, primarii Regis Franciæ Medici, Schevchzeri, *Morissotii de* Flandes, Tronchini q), Hosty r), & centenorum aliorum, quorum nomenclaturam aut historiam texere, nec nostrum est, nec sinunt Epistolæ limites.

Quod re vera obiectionum omnium caput est, & quæ plurimum valent pro insitione sustinenda, sunt duo, inter tot alia, præcipua fundamenta a Parisiensi Scientiarum fonte vulgata. Nimirum scientia favorabilis sapientissimi Sorbonensis cœtus s), atque etiam Dissertatio lecta ante socios suos Regiæ Academiæ Scientiarum a Collega nostro, Domino *de la* Condamine. Dum tamen trepidantem me sentio, & ambo veneranda esse nosco, elucet radius lucis luminosissimæ, qui me plurimum recreat, ac prorsus beatum efficit. Illud est. Si tanta relatæ scientiæ Sorbonicæ vis, si tantus rationum apparatus, qui major esse non potest, non persuadet: si inoculatio a centenis Scriptoribus,

o) L'inoculation justifiée, ou Dissertation pratique &c.
p) Analisi dell' innestamento del Vaiuolo in Londra 1754.
q) Ragguaglio presentato alla Facoltà de' Medici Parigini.
r) Qui in Duce *Cartres* & Comite *Gisors*, annorum vigintiquatuor, inoculationem peregit, non incisione, sed vesicante applicito. Quæ bonitas! quæ cœcitas! Venenum in viscera adigunt, ac si Couphé ex poculo esset sorbillandus.
s) Vt clare constat ex Epistolis *Morandi* Morandi, nuper a *Joanne Baptista* Pasquali prelo traditis, Venetiis pag. 127.

bus, iisque doctissimis protecta, a Collegio Medicorum Londinensium approbata *t*), a pauciſſimis defensa, adhuc post tot annorum periodos vacillat, non progeditur *v*), signum evidentissimum est quod persistere non potest, quod cadit, & damnanda venit: quod denique ante supradictos Patres conscriptos inoculationis Systema expositum non fuit in aspectu justo & legitimo, tacitis luminibus & pluribus factis, ob quæ nuperum inventum nutat *w*), & quæ nunc a nobis, nisi mea me philavtia decipit, meliori in lumine collocata facient, ut proverbium verificari possit: *Sapientis est mutare consilium.* Non secus ac in sacra Romana Rota, ante quam, post judicatam causam, iterum noviter instructa, novisque repertis & codicibus, & rationibus, in eodem amisso puncto datur appellatio cum judicatæ prius sententiæ mutatione.

Ac-

t) Giornale de Letterati Oltramontani, pag. 40.

v) Asia quippe, Turcicum imperium, ubi insitus viget, parum probant. Reliqua alibi cœpta, aut in Gallicis regionibus propugnata, nonque ab Academiis & Societatibus scientissimis pleno flumine confirmata, respectu Orbis totius, sunt hirundines, quæ non faciunt ver, & rari nantes in gurgite vasto: quorum non personis, sed inventis, ipse procellam auguror. Quotidie ad me perveniunt in Epistolis monita Virorum in arte medica principum, puta, Baronis *Gerardi van* Swieten, Augustissimæ Familiæ Archiatri, & Imperialis Bibliothecæ Præfecti, scribentis ab urbe Vienna 7. Decembris 1758.: *Nondum hic invaluit inoculatio variolarum;* aliorumque multorum ab urbibus, Genua, Verona, Mantua, Mediolano, Venetiis. Ubi certe, si post Pilarini editum Opusculum, anno 1715. per inoculationem medendi mos invaluisset, Vir ibi sapientissimus, *Acadius* Capellvs, nemini in Praxi medica secundus, amicus noster, clare locutus fuisset in sua nunquam satis laudata de Venetis medendi usibus Epistola, qua Opus nostrum ornatur, pag. 380. dum fuse & sapienter de variolis locutus est.

w) Inventa utilia rationabilia, ubi innotuerint, viam sibi faciunt sine difficultate, & sine tot Protectoribus.

Accessere insuper, non ignoro, Italici, plurimum habendi, assensus Virorum doctorum in urbibus doctissimis. Video quippe *Florentiæ*, scribente Viro celeberrimo *Joanne* TARGIONI TOZZETTI *x*), peractas nuper & feliciter aliquas cum laude inoculationes. Video Patavii novam inventam methodum a clarissimo Viro *Francisco* BERZI *y*), pro excitandis variolis, quam maxime suavem, & summopere, quia absque carnificina, præ aliis probandam. Quæ summam laudem merentur, et quæ, ut ita dicam, experiundi gratia in præcipuis Scholis facienda sunt, ut discant, & doceant. Sed hæc per transennam facta non probant satis. Pertentare aliquid, unum est. Lex, usus, remedium omnibus exhibitum, milleni hominum inoculati, & inoculandi, statuta Praxis, aliud est. Quid plura? vis aliud, PONTICELLI ornatissime? Illico ac videbo Academiam totam Patavinam, Florentinam, Bononiensem insitionis systema laudantem, promoventem, illico illud amplectar, et ceteris præibo.

Rei hujusce ruina, ob quam justissima adhuc lex, decretumque ad inconcussam praxim redactum non emanavit, illa est, quia materies ad duos Judices pertinens, Theologum scilicet & Medicum, confuso perturbatoque ordine tractata fuit. At non solum tractata, sed etiam intellecta, atque suscepta, fortasse, quod plurimum evenit, ob præjudicatas opiniones, falsis rationibus & factis, ut desuper dicebamus, adumbratas. Vt itaque clarius res eat in posterum, & hæc nostra, qualiacunque sint, a distinctione, veritatis matre, lumen mutuantia, ad quæstionem declarandam conspirent, supponamus, quod hactenus dicta a medico penu, atque a practicis observationibus desumpta, sint & inserviant pro fundamento & basi Medicis, ut inoculationem damnent: ideoque ex hac parte functus officio meo ipse videar.

x) Novelle Letterarie pubblicate in Firenze l'anno 1757. Tom. XVIII.

y) *Nuova scoperta a felicemente suscitare il Vaiuolo per artificiale contatto.*

Punctum Theologis proponendum.

Liceat nunc quæſtionem, Medicis cogitationibus excuſſam, Theologo proponere. Qua in palæſtra licet aliquantulum fuimus, aliquidque meruimus, dum de *Homine invulnerabili* z) ſcribentes, Dæmonis potentiam in ſublunaria, homineſque ipſos excuſſimus, non ideo Theologici Doctoris figuram nomenque affectabo, controverſiam ipſe dirimens; ſed Cauſidici munus gerens, quæſtionis ſtatum exponam, ut ſacri venerandi Iudices, ſine quibus non poſſunt Medici ulli ad ulteriora procedere, ex animo ſuo ſententiam ferant: utque nullus ſuperſit diſceptandi & opponendi locus, proindeque reſurgat indiſſolubilis argumenti vis, ipſiſſimis inoculatorum verbis placet incedere, & protinus ad quæſtionis judicandæ ſtatum citiſſime & brevibus devenire.

Ivrinvs & Condamine, primarii inoculationis anteſignani, pluribus in locis ſcribentes *a*), ſtatuunt & admittunt, unum ex quinquaginta inoculatis certo perire: idem ac viginti ex millenis *b*). Hoc poſito, & ab ipſismet confirmato, peto ab inoculatoribus, num illi viginti homines debeant dici mortui, an occiſi? Si primum; fatum eſt & lex omnibus una, ideoque quieſcendum. Si ſecundum, quisnam fuit reus? Animam pro anima dari debere, olim legi in ſacris paginis, ſed inoculator habet animam unam: animæ occiſorum ſunt viginti, quæ in æter-

z) Diſſertationes quatuor. Typis Marci Vendrameni. Brixiæ. Inſuper Diſſertatio illa videri poteſt in Operibus Calogerianis recuſa.

a) Memoria ſull' inneſto del Vaiuolo letta nell' Aſſemblea publica dell Accademia Reale delle Scienze di Parigi il mercoledì 24. Aprile 1754. traſportata dal Franceſe. Firenze 1754. pag. 49.

b) Quamvis ob rationes jam exaratas, numero plures interfecti credendi ſint. Ipſe quippe Schevchzervs, inſititii operis Protector, (Orator dum rhetorico œſtro percitus argumentum ſuſtinet, facile eſt ultra ſuſtineat) aſſerit ex 287. hominibus inoculatis ſex periiſſe: ſcilicet 1. ex 47.

æternum clamabunt ad Dominum Deum suum. Heu, mi inoculator, si Christi religionem profiteris, quinam remorsus *c*)!

Propositio itaque proferenda ante Tribunalia, ante Theologos, pro permissu obtinendo debet esse tenoris sequentis: *Num sub spe salutis liceat homines interficere.*

Nec valet responsio, unum pro populo perire debere *d*), & id esse in arte nostra usitatum, dum nempe Medicus jubet Chirurgo amputandum crus, ne gangræna ascendat, secandumque abdomen, ut exeat in hydropicis aquarum colluvies: quia illo casu mors præ foribus, æger desperatissimus ad incitas redactus, certoque moriturus. Ideo anceps remedium petitum; & volitum, plerumque inutiliter pertentatur. In nostro casu infans sanissimus est, ad ultimam senectam, vel cum, vel sine variolis perventurus. Sique bene rem assequor, eo magis hæc omnia in medium proferenda sunt, quia hodierna die insitionis Systema occidenti est proximum, rationibus præsertim ex foro conscientiæ desumptis, ex quo omne bonum, omne verum. Contra, ex foro Medicinæ dubia, syrtes, conjecturæ, difficultates, præjudicia, quibus involvitur inoculationis Chaos.

Crescit oratio. Si inoculatus adultus est (multos quippe admirabundus video, exacta infantia, ne dicam adolescentia, se Operatori submittentes) mortique proximus, videt Chirurgum, qui ferrum administravit, qui purulentum fomitem adegit in viscera sua, Medicum, amicum, parentem, qui jusserant. Quæ pathemata? fortasse in eosdem? Qui transitus vindictæ cogitatæ plenus! Contremisce inoculator!

Dicto-

c) Dicet aliquis: Roncallvs timens, rationibus, ex medico penu desumptis, non satis probasse, refugit ad sacrum, resque divinas contemplatur. Vtique: Adversarius rem acu tetigit. Illam Medicinam profiteor, quæ stat cum Theologo.

d) Quandoquidem effatum illud pertinet ad res humanas,

Dictorum omnium Concluſio et Summarium quatuor articulis diſtinctum.

Sed jam redeamus ad noſtra. Si inoculatus filius unigenitus familiæ nobiliſſimæ, aut Principis, aut Regis, vivit, oh rem pulchram! Si occiſus perit, ut fecerunt omnes (oh crudeliſſimum Patris cor)! filii quinque numero, Domini *Smith*, Hiberni *e*), unicusque filius Mylord *Incquin f*), prognoſticon faciendum eſt, inſpiciendumque numiſma ex parte averſa. Multoties ipſe audivi, defunctorum parentes mille convicia & probra imprecatos Medico, qui cum pluribus aliis doctiſſimis poſtremæ jam incurabili ægritudini interfuit. Muliercularum phalanx quaſi verberibus percuſſura erat humeros Medici ſapientiſſimi *Octavii* MAROCCHI, qui a ſacerdote Patruo juſſus, inſitum nepoti commiſerat. Ideo licet & ipſe fatear, Chirurgum non poſſe dici realiter reum, quia finis ſuus erat optimus, dandæ ſcilicet ſalutis & vitæ, tamen pertimeſcendum eſt, quid poſſit facere homo etiam ab injuſta cauſa commotus: dolore ſcilicet ſummo mentis aciem occupante, ut in relatis duobus caſibus. Poſito itaque inoculatoris errore (fecit enim quod non debebat facere) & innocentia (quia habebat finem optimum juvandi) crederem quod parentes, & in illa urbe Tribunal juſtitiæ ſecularis nihil facerent: ſed populus, qui amiſit ſpem ſuam, veluti furibundus & ira percitus, poſſet ad imprecationes & ad lapidationem devenire.

Tandem ut aliqua etiam objecta ſolvamus, quid quæſo probant Brixiæ calculi ab Anglia deſumpti, ita ut exemplum transferendum ſit in regiones noſtras? Quid probat in variolis ſponte naſcentibus unum ex quinque, vel ex ſex periiſſe, ſi

e) Vt aſſerit Dominus CANTVVEL, Medicus Anglus Pariſiis morans, in Opere, cui titulus: *Diſſertation ſur l'Inoculation.*

f) In Actis Leodii inoculatorum fautores excuſationibus non petitis rem vellent invertere: ſed factum negare non poſſunt.

si pluries, laus Deo, hic habemus variolas discretas, benignas, lento more procedentes, ut fere omnes feliciter evadant, & interdum pauci moriantur e centum ægrotis? Ergone ex fatali Londinensi, Ligurnensi g) olim vicissitudine argumenta sumenda sunt, & calculi firmandi, hucque illuc in ceteras Europæ provincias circumferendi, ut inde lex generalis in mundo toto variolas inserendi resurgat? Ergone statim centum mille aurei nummi adnumerandi, solvendi, ut Xenodochium a fundamentis erigatur, ut Londinensi more innumerabilia expensa fiant Medicorum, Chirurgorum, Aromatariorum, & reliqui famulatus? Ergone nunc, quod neque tyrannus humani generis inimicus cogitaret, affatim, tumultuarie centeni infantes, saniissimi, deliciæ hominum, vulnerandi sunt, ut ægrotent, ut pus veneficum absorbeant, ut suspiriis & lacrymis urbem impleant; & inverso (horrendum dictu) nunc divinæ artis, ægrotos medicantis, sanos non tangentis, ordine, Medicus agere debebit, ut aliqui ex iisdem moriantur, morianturque interfecti?

Hanc ego dicerem turpissimam, avarissimam Professorum rei & auro inhiantium famem, quæ fortasse in Turcico imperio, & Anglicano regno fons fuit errorum omnium, & quæ (laus Deo) distat a Gallicis, Germanicis, atque Italicis regionibus nostris. Distet itaque, quod Deus optimus maximus faciat, etiam inoculationis labes & pestis; atque redeat ad Barbaros, ubi prima inventa fuerunt hujusmodi elementa & semina: redeat ad sinum Thermaicum *b*), in Insulam Ziam: ubi ob populorum frequentiam, & annonæ defectum, statuta lex est in viridi semper observantia, ut homines successive necentur. Ibi quan-

g) Oppido, ut quisque scit, in Hetruria: ubi anno 1755. variolæ pestilentiales, confluentes, malignæ grassari non desinebant.

b) Vt diximus in *Europæ Medicina*, dum de Græcorum medendi usibus loquebamur, pag. 192.

quantum velit nidificet, adoleſcat; ubi nec ratio, nec religio, nec humanitas.

Denique jam tandem, quia aliqui amant incedere ſcholaſtico more per propoſitiones, en illarum ſummarium ad quatuor redactarum, quæ ad fulciendam firmandamque inoculationem concurrere deberent. 1. Ratio humana. 2. Ratio divina. 3. Experimentum tutum. 4. Eventus perſeverans. Omnia deficiunt: Ergo inoculatio exſibilata.

Nihil deeſt inoculatoriæ phreneſi, niſi ut chymico apparatu pus humanum pro fomite elaboretur, corrigatur, & multifariam paratum res præcipua evadat in officinarum ampullis, & nartheciis, minio, & aurichalco circumdatis: proindeque translata pro mercimonio in regiones longinquas tamquam caput *i*) neceſſariiſſimum, (ſub titulo: *Vita*, *ſalus*) pro hominibus necandis inſerviat. Tandem lites oriantur inter proprietarios & venditores *k*) puris humani præparati, circa magis aut minus electam qualitatem. Hæ tibi, optime literarum Mæcenas, videbuntur nugæ: ſed crede mihi, poſt primum errorem alii accedunt. Rem hanc ſcriptam non vidi, ſed voce relata fuit.

Ad amovenda hujusmodi præjudicia, neſcio an optandum foret, ut inoculatorii apparatus pompa a mimis atque hiſtrionibus in Theatro repræſentaretur, non ſecus ac Thema illud ad imaginarios & melancholicos morbos ſpectans. Quandoquidem etſi ſcenica ſpectacula, *Meſſala* & *Caſſio* cenſoribus, anno V. C. 599. primum promoventibus, nunc a veteri, ſummopere laudanda, ſeveritate, plurimum degeneraverint: tamen negari non poteſt, res illas ab acutæ mentis Mimographo deſcriptas atque a geſticulatoribus & Archimimis in medium prolatas, multum conſpirare non poſſe ad mores reformandos, atque

i) Collocandum inter vaſa arſenici, & ſublimati. Ternum par. Quinam horror meos invadit artus!

k) Et extabunt in orbe cœci, qui hos mercatores reddant divites?

que ad inventa & facta funditus cognoscenda. Ibi quippe humanæ artes & technæ non minus, quam verum & falsum, alternis lucta & vicissitudine productum, in speculo conspiciuntur, ideoque edocta spectatorum mens cautius sancit, & judicat. Sed post quadraginta novem repræsentationes, amarem ut inocularetur puer ille, qui ad quinquagenarium numerum perveniens, secundum adversariorum supputationes, & concessa, certo occidi debet: ibique reperirentur, quod alioquin libenter faciunt, Matronæ nobilissimæ, quæ amant carissima pignora sua. Audirem quippe dum infans interfectus moriturus est, quid dicant, quid exclament. Apage inoculator: ne vapules!

Antequam manum de tabula hac, *duæ* ulterius *propositiones* in medium adducendæ, quæ, ceteris missis etiam, & veluti indictis, solæ sufficiunt ad litem dirimendam. Hoc tamen pacto, ut, omnibus Literatis, sapientissimis licet, exclusis, soli clinici optimi Practici, non præjudicati, mecum in arenam descendant. In mente quippe habeo, in *prima*, unico intuitu, & difflamine omnes inoculatorum calculos dissipare. In *secunda* vero, ob enorme humanis gentibus illatum damnum, sententiam reddere confirmatam.

Ad compescendos autem susurros, tollendasque objectiones, concedamus, rationes & calculos, exposita in omnibus libris, verissima esse. Postquam vero lætissimos Auctores ipse generosus reddidi hac admissione: æquum est, ut & ipsi rationem reddant de centenis, aut millenis infantibus post momentum peractæ inoculationis. Quandoquidem si tanto amore illos prosequebantur, durante curatione, inconveniens esset omnes illos in profunda oblivione derelinquere. Ab his sensibus clare intelligis, Archiater sapientissime, quo colliment meditationes meæ; nimirum ad errores illos, quos Medici silent, & terra tegit. Respondete statim, quotquot adestis, practici Professores, qui hæc legendo percurritis, aut in capite,

aut ante oculos effecta intuemini. Vos, vos obteſtor, & invoco. Sancite ſtatim, num milleni illi infantes ab inoculatione tunc per menſem, per annum ſani effecti, vivant adhuc. Dicite num ex iisdem centum, vel bis centum, in quibus duo, vel tres puſtulæ vix apparuerunt, & aliqualis ſanioſus liquor per arte facta vulnuſcula extillavit, ideoque nulla ſanguinis ebullitio, aut deſpumatio facta fuit: dicite, inquam, num tuti ſint, num ſponte intus orto ſanguinis, & liquidorum omnium tumultu, aut adveniente peſtilentiali afflatu, iterum de certo ægrotare, varioloſumque ſtadium ſubire non debeant. Si variolæ, ut jam expoſitum, redeunt poſt primam deſpumationem integram, & magnam, ſponte ex maturatione ortam, quid dicendum de inſititiis, in quibus auſterum, acidum, immaturum reſtitat? Quid ergo inſitione factum? Nihil. Recolligant idcirco a multis retro annis, prout illis placet, ſuorum inoculatorum numerum, ſcrutentur vitas, mortes, ægritudines ab inoculatione relictas, novosque renovatarum variolarum curriculos, poſtque viginti, aut triginta annorum curſum laudent operationes ſuas *l*).

Ad *ſecundam* vero *propoſitionem* quod attinet, diabolus non potuiſſet invenire modum, quo plures occumberent. Tu, tu ipſe a me oratus, deprecatus judica, num productis per impoſitum fomitem variolis, & relato more ſuccedentibus (ita ut aliquæ papulæ ſub puſtularum figura emergant, & exilis eveniat in ſanguine tumultus, cum ſucceſſiva felici quantavis, quam inſitor deceptus laudat, ſuppuratione, febricula, ceterisque concurrentibus in ſtatu medio, nonque acuto, ſymptomatibus, quæ omnia ſibi gratulantibus circumfert, & probat) major proinde

l) Adulti quippe, atque ſenes (multi: vide citatum VIOLANTE, p. 38.) licet rarius variolis infeſtantur, ut exponit FRACASTORIVS, de Morb. contag. cap. 13 & alii: ideoque omnes adverſariorum ampulloſi calculi, ſtatim poſt inoculationem facti, ridiculi, & aërei ſunt: ſolumque poſt multas annorum periodos faciendi.

inde pernicies misello ægerculo non immineat: scilicet ob (attendite inoculatores) rationem super omnes alias maximam: & est. Quia in illo miti luctamine aliqua subiguntur insita fermenta motui illi varioloso dispositа, aut proxima, aut excitata: restitantibus in visceribus, in utriculis, in glandulis, in sanguine toto crudioribus immaturis varioloſi veneni particulis, ideoque vera variolatio protrahetur ad tempus, ad annos: itaque in adulta magis ætate variolæ contingent; in qua multi magis absque ulla hæsitatione peribunt.

Tertia insuper *propositio* accedit, aliquatenus jam in principio tacta, sed non satis enodata: supradictis in vi non impar. Noscis ne, mi inoculator, num ille subiturus sit curriculum varioloſum? Si affirmative respondes, erras. Non datur apud nos scientia hæc. Ergo nescis. Hoc posito. In centum infantibus v.g. decem a variolis debent esse immunes. Taliter a natura creati; & qui habent solidorum nexum, & compagem diaphoresi ineptam. Tu his decem infortunatis venenum adigis. Quid erit? Responde. Incipit cum vitæ discrimine. Ad cutim hic non datur transmissio. Genius fermenti venenosi suapte natura tendit ad cutem: ob peculiarem horum infantum structuram non potest. Quo ibit venenum intrusum? Responde. Siles. Horrescens, dicam ego: ibit ad infanticidia cumulanda.

Quid agis, crudelissime inoculator, venenum adigendo illo quadrienni unigenito, qui tam pulcher in cute sua, tam sanus, jocosus, & lætus in reliquo corpore tibi occursat, & garrit: illum ignorans & nescius occidisti; volens ut per fas & nefas bis variolas subeat. Vtique. Audi. Ille puer jam antea acutissimo morbo laboravit. Morbi causa fuerunt variolæ internæ in intestinis, ventriculo, &c. (quod frequens, ut diximus, & probavimus), omnibus ignotæ, ideoque varioloſum naturæ pensum jam jam solutum fuerat. Quid respondes?

Nec tu, nec tota tuorum Patronorum caterva argumentum hoc ſolvere poterit.

Hactenus, ut cauſæ Advocatus, cui, calor, ignis, furor, artes licita ſunt. Nunc alloquor, ut homo ingenuus, qui rationem operum & ſtudiorum ſuorum reddere debet Deo, hominibus. Conſtitutus itaque, non ſolum coram te, ſed Tribunalibus ipſis, cœtibusque omnibus, ſancte aſſero damnum potius, quam utilitatem afferre poſſe humano generi propoſitam variolarum inoculationem. Quia actio crudelis eſt, natura ipſa abhorret, & homo videtur in temerario hoc tentamine ire contra fatum, atque etiam contra voluntatem divinam: quo nihil magis impium excogitari poteſt. Ideoque ſtatutum tempus expectandum eſt; & quia, etſi productæ artificiali inſitione puſtulæ, vel magis vel minus conſpicuæ, & conſuetis gradibus procedentes, tandemque declinantes, exantlatum jam eſſe varioloſum curriculum repræſentent; tamen luctamen illud, pluries cum puſilla expurgatione, non erit deciſivum, neque infantum vita in tuto poſita. Sique in Medicina datur veritas, illa eſt, & erit: quod, aut ſponte, ut diximus, intus producto tumultu, aut adveniente peſtilentiali aura, poterunt iterum, iterumque infantes decumbere, & novum ſtadium ſubire. Num res ita ſe habeat, ſi mihi fides non præſtatur, ſapientiores conſulantur, ſed quæſo in hoc vigiletur, ut a conſilio excludatur duplex hominum genus. Primum omnes illi, qui ſunt multæ auctoritatis, quique iam prævenți & occupati vigilant in hac re protegenda. Secundo, qui tenaces, & alienum appetentes; qui, quatenus inoculatio vigeat, aut ſtando, aut inſerviendo divites poſſunt evadere, in quos ſoliſſimos re vera tota mea oratio directa fuit. Vocentur itaque, conſulantur boni Practici *m*); non præoccupati, non præjudicati, orentur-

m) Sine quibus auderem dicere, nihil tuti ſtatui poſſe in re noſtra: adeo ut etiam, ſi nemo ab inſitione periret, & inoculator licentiam

turque, ut sententias ex animo ferant. Si cum iisdem tantum Socius meus *de la* CONDAMINE locutus esset: si Medicinam ad aliquot annos factitasset, minusque tot fabellis, lectis & relatis credidisset, certissime a præfata opinione illa abstinuisset; itaque jam jam res esset sepulta. Quandoquidem si recte cogito, infortunitas fuit, tantum virum, in scientiis Coriphæum, falso illi systemati adhæsisse: ex quo deplorata res sustenta fuit. Faxint Superi, ut novis hisce rationum momentis illuminatus, jam jam euntem errorem ipse damnet, venientem, moxque coruscaturam veritatem protegat, & cum universo omnium bono amplectatur: atque abire jussis noxiis damnandi inventi scandalis, inoculationis exilium feliciter subsistat, ac perseveret.

Nonnullæ pro curatione Variolarum remediorum formulæ.

Quoniam de variolis sermo, inoculatione exsibilata (sperare siquidem juvat, ut, fracto a nobis gelu, scribentibus in hyeme summa, &, postpositis conniventiis, dissimulationibus, timoribus, strata via, semperque magis deinde patefacta, & explanata ab aliis Practicis sapientioribus Viris, utilium studiorum amatoribus, imminens damnosissimi inventi jugum excutiatur) reliquum est, ut cogitemus, quomodo in hoc discrimine juvari possint omnes diro acuto morbo laboraturi: cui si tota nostra studia non impendimus, oh nos miseros!

Tantoque magis id faciendum puto, quia pluribus in locis, ubi ob infortunium hoc frequentissima visuntur funera, nihil aut parum agitur; curatio a sola natura expectatur, illudque maximum negligitur, quod sola remedia sanant. Vt itaque

tiam a Theologo obtineret, & centum Literati, Lectores, Magistri, Gymnasiorum Præfecti, publici Professores cujusvis generis insitionem pulcherrimis verbis laudarent: nihilo tamen minus omnia forent nullius ponderis, nisi ipsorum, toto tempore vitæ suæ ægros invisentium, accedat auctoritas & approbatio.

que cariſſimi filioli, atque reliqui omnes a dira ægritudine convaleſcant feliciter, animadvertant Medici adſtantes exactiſſima diligentia procedere, & diſtinguere, ductoque a viciſſitudinibus naturæ laborantis lumine, num ex his, quæ accidunt, ſuo tempore, & loco, aliqua convenire poſſint, ut, non experimentis per mortes factis, ſed per methodicam divinæ artis ſemitam proximo juvent.

Illa itaque in epilogum habe.

Epiſpaſtica *n*), ſudorifera, vapores *o*), fomentationes *p*), hirudines *q*), ſuffimigia *r*), balnea *s*), pannum *t*), ſpongia *v*), ſectio *vv*), paregorica *x*), opiata *y*), ſuppoſitoria, clyſteres *z*), potationes aquarum *a*), veſicantia *b*), ptyaliſmus *c*), theriacalia *d*), ſan-

n) Quæ ad pus extrahendum GALENVS aptabat.
o) De quibus recens loquitur ſupra laudatus *Franciſcus* BERZI.
p) Omnes ad cutim laxandam, ut BOERHAAVIVS docet, additque *totam*.
q) *Famelicæ* dorſo, natibus, & coxis admotæ. Docente RVDIO, LIDDELIO, BAVDERONO, & aliis.
r) Iuxta mentem DIEMERBROECKII. Ex Iunipero, Lauro &c.
s) Vt videre eſt in Hiſtoriis Regiæ Academiæ Scientiarum Pariſienſis.
t) Toto corpori aptatum cum cera, & camphora. CARL Auctor eſt.
v) Regioni ventriculi admota. DIEMERBROECKIO docente.
vv) In inguinibus, aut ſub axillis pro emiſſario aperiendo.
x) Ab omnibus Scriptoribus quam maxime laudata.
y) Cum aliis remediis copulata ſecundum BOERHAAVII documenta. DIOSCORIDES ponit Opium inter expellentia, aitque: *exhibito papaveris ſucco oritur prurigo.*
z) Inteſtina ſæpe laxanda, exclamabat idem BOERHAAVIVS.
a) Iuxta documenta *Richardi* MEAD.
b) Vt legitur in obſervatione Viri celeberrimi, Amici noſtri, quem honoris cauſa nomino, *Valentini Erneſti Eugenii* COHAVSEN, nunc Electoris Trevirenſis Archiatri, regeſta in Actis Academiæ Leopoldino-Carolinæ. Vtque in ampliorem modum confirmat *de* MAYERNE, aiens: Veſicatoria magna plura applicentur, ſuper humeros

sanguinis missio *e*), emetica *f*), purgantia *g*), pessa in mulieribus *h*), incisio *i*), camphorata *k*), anthelmintica *l*), viperina *m*), pyrites *n*), nitrata *o*).

Sed jam animadverto, & tecum standi delicias, & assumpti argumenti gravitatem *p*) me nimium ultra cancellos rapuisse. Epi-

meros unum, supra epomida duo, super carpos duo, super genua, & malleolos quatuor, attrahe ad pedes revellendo.

c) Mercurium ipsum BOERHAAVIVS proponit, pag. 270. num. 1392. & PITCAIRNE, dulcem vero *Sigismundus* GRASSIVS.

d) Iuxta *Samuelem* CARL, atque etiam ANDROMACHVM, Neronis Medicum.

e) Etiam in inceptis variolis Arabes sanguinem mittebant usque ad animi deliquium. Nuperrime *Philippus de* VIOLANTE, Regis Poloniæ Archiater, in suo Tractatu bene multos signat Scriptores, post inceptam eruptionem sanguinem mittentes, etiam ex jugularibus. MAYERNE hæc ait: *In adultis vero venæsectione, Deo benedicente, me plus effeciſſe, quam omnibus alexipharmacis. Franciscus* BÜTTNERVS, FREINDIVS *egressis variolis* sanguinem mittit.

f) SYDENHAMIO docente, & a GVNDELSHEIMERO proposita.

g) SYDENHAMIO, *Horatio* AVGENIO, HOFFMANNO, & pluribus aliis docentibus: ita ut diarrhœa ipsa promoveatur.

h) A multis Auctoribus proposita.

i) In inguinibus, aut sub axillis, pro emissario aperiendo.

k) Sine quibus variolas confluentes curari non posse KANNEGIESSERVS auctor est.

l) Multa vermium millia in varioloso stadio visa fuisse, constat ex observatione in Actis Academiæ Cæsareo-Leopoldinæ, signata p 36. Vol. VII. De facto RHODIVS, FORMIVS, BAVHINVS de vermibus fugandis loquuntur.

m) EX MANGETO.

n) A *Cornelio* CELSO proposita.

o) MANGETVS pariter.

p) Tanta est, ut, si unquam alias, certe nunc videar mihi jure blandiri posse, me de publico optime meruisse; utpote qui, cunctis Italiæ proximorumque Regnorum Scholis silentibus, Patriam, Prin-

Epiſtolam itaque claudens, affirmo, omnia, quæ hactenus, fortaſſe nimis libere, dicta ſunt, nihil imminuere exiſtimationem ſummam, quam habeo erga Literatos, Medicosque Gallos, & Anglos; præcipue vero erga Nobiliſſimum ſapientiſſimumque *de la* CONDAMINE, quem tot honoribus ſtipatum, atque Regiis Academiis adſcriptum, totus terrarum orbis collaudat, & colit. Eidem, dum reſcribes, hancque Lutetiam Pariſiorum mittes, adde obſequia humillima nomine meo. Tuque vivas æternitati, celebratiſſime Vir, & Auguſtam Regiam Gentem, tuæ fidei & ſapientiæ fortunate concreditam, pro totius Europæ bono, ſemper magis incolumem ſerva. Vale.

Brixiæ 4. Ianuarii 1759.

P. S.

Clauſa jam Epiſtola, ob notitias undique per tabellarios conquiſitas, acceſſere nuper documenta certiſſima, adeo, ut piaculum fuiſſet eadem omittere, & nota non facere. Tanti quippe ſunt, ut dicere auſim, me nunc poſſe veſtimenta Advocati deponere, novaque legislatoris induere; non dubiam opinionem, ſed ſententiam certam & inappellabilem proferentis. Excitavi non ita pridem virum celeberrimum, Nobiliſſimum Equitem *Antonium* VALLISNIERI, in Patavina Univerſitate Hiſtoriæ naturalis Profeſſorem, immortalis famæ Viro, Patri ſuo, ſimillimum, qui tam docte ſcripſit, & ornavit Opus noſtrum, cui Titulus: *Diplomata & Epiſtolæ*, pag. 142., ut, data occaſione, humaniter & comiter ſciſcitaretur a præcipuis ibi viris, fallere, & falli neſcientibus; puta, MORGAGNO, SCOPVLO, LAVAGNOLO, PLACENTINO, PVIATO, WANDELLIO, aliisque, quid ſentirent circa controverſam variolarum inſitionem. Quan-

cipum familias, denique univerſum terrarum orbem ab artificiali imminente, moxque graſſatura, peſte, unus (modeſte liceat gloriari mihi) liberaverim.

Quando, ecce, in Italica Epistola nobis 10. Ianuarii 1759. conscripta, post aliqua effata, circa novam artificialem methodum hæc signata sunt: *Questi Signori stanno sodi, e fissi nella vecchia sentenza.* Igitur, si tota literatissima, & in practicis rebus, quod plurimi faciendum, versatissima Gens ad docendum nata, hæc sancit & decidit: quis erit temerarius ille (loquamur libere), qui contra hoc flumen ire contendat, qui repugnet, & se dissonum fateatur? Sicuti propterea, venerabundus in Italica nostra Gymnasia, præfatæ Epistolæ pag. 7. (supra p. 157.) fassus sum, me esse paratissimum ad non dissentiendum ab inoculatione; quatenus aliter illa sentirent; ita nunc vice versa, tantis auctoritatibus innixus, re a toto gravissimo cœtu approbata, censeo delirium fore, ab indicata a clarissimis hisce Viris semita deviare. Imo vaticinor futurum, ut non solum hic terrarum, subque Veneto cœlo, sed etiam ultra montes, & transmarinas ad oras Patavinum Oraculum (nec primus casus erit) esse accipiendum.

At: quo unquam se vertere possunt inoculatores post, anno elapso, Romæ in lucem ortas Dissertationes duas, typis Salomonianis: ubi duo Professores, unus Medicus, alter Theologus, vicissim de variolis naturalibus & artificialibus, aut loquentes, aut scribentes, rem recolligunt, illustrant, & sibi objectantes in bono adeo lumine collocant, ut non nisi desperatus perseverare possit in inoculandi pervicacia? Deus bone! Quin omnia regeram. Video ibi magnum Hecquet, Christianissimi Regis olim Archiatrum, dicentem: *L' operazione è falsa ne' fatti, ingiusta, senz' arte, senza leggi: non evacua la materia del Vajuolo: ha un doppio carattere d' essere riprovata: è contraria alle mire de Creatore: non preserva dal Vajuolo naturale, è opposta alle Leggi, non rassomiglia a cosa alcuna di Medicina.* Video duos infantes inoculatos, qui periculo elapsi videbantur; sed advenientibus variolis, post aliquod tempus, confluentibus miserrime obierunt. Video in viginti quinque *inoculati, otto ebbero i morviglioni discreti, diecisette gl' ebbero confluenti e cattivi a segno, che si dubitò forte del-*

la loro vita. Cur dubitandum non eſt? ſi mercurium exhibent pro parandis ad inoculationem puerulis? Quæ ſtupiditates! Video filiolum cujusdam Medici inoculatione occiſum, cum tanto Chiæ populoſitatis dolore, ut Epiſcopus, *Philippus* Bavestrelli methodum artificialem proſcriptam voluerit. Vno verbo, in eodem libello video tanta, ut neſcio quid conſilii capere poſſint obſtinatiſſimi homines illi. Ejusdem itaque relectioni recalcitrantes remitto: ſed, pro hujus ſcripti coronide, ſilere non debeo:

Regem Pruſſiæ (ut ibi videre eſt pag. 230.), re prius excuſſa, & conſulta cum ſapientiſſimis Medicis ſuarum Vniverſitatum, inſitionem variolarum damnaſſe, atque in exilium miſiſſe non ſolum, ſed pœna graviſſima multaſſe inſitores, ipſosque inſitos, aut pro ipſis, ſi pueri ſint, eorum cuſtodes, agnatos, tutores. Ideo illud jam tandem reliquum, quod Passeronvs habet in Poëmate ſuo, ſub titulo: *Il Cicerone*, Canto XXVIII.

Quanto al Vaiolo poi: torlo biſogna,
Quando cel manda il Ciel ec.

DE

DE

GENERATIONE LAPIDVM,

PRÆCIPVE GLOBOSORVM,

AVCTORE

IOANNE FRIDERICO HOFFMANNO,

I. V. ET PHILOSOPH. DOCTORE,

CONSVLE IN CIVITATE PATRIA SANGERHVSANA, CAVSARVMQVE METALLICARVM IBIDEM IVDICE, ACADEMIARVM, CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM, ET ELECTORALIS MOGVNTINÆ SCIENTIARVM VTILIVM, ITEMQVE LIPSIENSIS SOCIETATIS LIBERALIVM ARTIVM SODALE.

SENECA

Epist. XXX. Tom. II. Opp. p. 97. Edit. Lipsi. 1741.

Natura non aliam voluit legem nostram esse, quam suam: quicquid composuit, resolvit: & quicquid resolvit, componit iterum.

§. I.

Extra omnem dubitationis aleam positum est, summum Numen in formatione hujus globi terraquei, cum omnibus aliis partibus, quibus constituitur, etiam lapides varii generis variarumque specierum, præaltas rupes, immania saxa, strataque lapidosa, in visceribus terræ longe lateque extensa, produxisse *a*). Fundamenta dixeris, quibus orbis suffulcitur, ossa, quibus vastum illud corpus continetur.

a) Vid. Clar. BERTRANDI *Essai sur les usages de montagnes Cap. III. p. 14. seq.* Negavit hanc primævam montium, & quæ isti continent, saxorum originem Illustris LINNÆVS in *System. Nat. p. 219. Edit. Lipsi* 1748. Refutatus a BROWALLIO *in der historischen und physikal. Untersuchung des Wassers und Vergrœsserung der Erde*, §. 65. ex Edit. *Kleinii* p. 169 sqq. *Thomas* BVRNETVS in *Theoria Telluris sacra* montium originem demum cataclysmo illi Mosaico adscripsit. Sententiam ejus refutaverunt *Anton. Lazzaro* MORO *de' Crostacei & degli altri marini corpi, che si truovano su' monti.* Venezia 1740. Comes *Joseph* LAVINI *in deneuesten Weltwissenschaft, vornemlich nach dem Sinne des berühmten Newtons*, p. 154 — 199. ex versione Germ. *Joh. Georg. Meintelii.* Norimb. 1756.

§. II.

Negandum tamen non est, hæc eadem saxa, & modo dicta strata tempore diluvii universalis, quod MOYSES describit, quodque traditione omnium gentium corroboratur, varias perpessa esse mutationes: apicibus montium hinc deturbatis & disjectis; hinc vallibus exæquatis; illinc novis collibus & montibus assurgentibus, debachantibus ubique abyssi fluctibus, compage partium solidarum laxata, ex particulis heterogeneis diversimode mixtis, exsiccata globi terrestris crusta, residentibusque aquis, novas, stratorum, saxorum lapidumque species prodiisse.

§. III.

§. III.

Non omnes tamen lapides primæ creationi *a*) aut cataclyſmo univerſali adſcribendi ſunt: generantur, producuntur, formantur adhuc hodie *b*): & generati, producti & formati fuerunt omni tempore, non quidem ex ovulis, ut animalia; nec ex ſemine, uti vegetabilia *c*); nec minus vi plaſtica cujusdam Archæi; ſed ex conjunctione particularum diverſarum & ſimilium multifaria, attamen ex legibus & viribus naturæ procedente.

a) D'Argenville dans l'Hiſtoire naturelle dans deux de ſes parties principales, la Lithologie p. 85. *Pluſieurs Philoſophes veulent, que les pierres ſoient auſſi anciennes, que le monde, & qu' ayant été formées lors de la creation, il n' en croiſſe plus preſentement.*

b) *Diego* Revillas Ragion. Filos. paſtorale nelle Memorie ſopra la Fiſica ed Iſtoria naturale di diverſi Valentuomini T. I. p. 108. ſq. *Che parrebbe a Voi, s' io vi diceſſi, che anche le Pietre, ed i Marmi; anche i Criſtalli e le Gioje; e forſ' ancora i Metalli; anzi i foſſili tutti, non altrimenti, che le Stalactiti, anche in oggi entro i Monti e Sottera ſi formano?* Et p. 113. *Queſte oſſervazioni chiaramente ci perſuadono, che la noſtra provvidiſſima Madre in verun tempo, in verun luogo, ozioſa, dentro i piu ſegreti naſcondigli della Terra e de' Monti, va continuamente ad operando intorno alle Pietre ed a' foſſili d'ogni genere.* Conf. Krüger *Geſchichte der Erde* §. 43. p. 78. Denso *Phyſikal. Briefe* p. 317. Bourguet *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire naturelle des Petrifications*, P. I. p. 3.

c) Statuerunt hanc vegetationem lapidum *Ferrantes* Imperatvs Hiſt. nat. L. XXIV. p. 575. & Tournefortius; vid. *Memoires de l' Academie des ſciences* ann. 1702. p. 221, referente D'Argenville l. c. p. 86. *Georgius* Baglivvs in Diſſertatione de *Vegetatione lapidum*, & Fontanellivs. Quorum ſententiam prolixe examinavit & refutavit *Hyacinthus* Gimma *della Fiſica Sotterranea* L. I. Cap. IX. p. 72 — 114.

§. IV.

§. IV.

Conſtitui mecum de iſta Lithogeneſia *a*) paullo uberius diſſerere. *Lithogeneſiam* voco productionem & formationem novorum lapidum, ex conjunctione materiæ vel ſimilis, vel diſſimilis, homogeneæ vel heterogeneæ, ſecundum determinationem legum & virium naturalium in unum corpus coaleſcentis, aëre, aqua & igne, tam ſeorſim, quam conjunctim, obſtetricantibus.

a) Non ignoro quidem, multas peculiares de origine & formatione lapidum jam ſuppetere tractationes, quas longa ſerie enumeravit b. LESSERVS in *Lithotheol.* §. 59. & 80. quorum numerus etiam ſcriptis recentioribus adhuc inſigniter ſuppleri poſſet; ut taceam autem earundem pauciſſimas ubivis obvias eſſe, vel mei melius informandi cauſa hunc laborem ſuſcepi, haud omni ſpe deſtitutus, fore, ut vel aliqualis nova lux huic vel iſti materiæ per illum adhuc poſſit accendi.

§. V.

Materia, ex qua novi lapides oriuntur & efformantur, ſunt vel terræ; vel fragmenta, ramenta & pulveres lapidum detritorum; vel mineræ, quibus etiam ſalia, bitumina, ſulphura ſubintelligo; vel maſſæ ex uno vel altero modo dictorum corporum plus minus compoſitæ *a*).

a) *Franc. Mar.* MAZZUOLO in Diſſ. de *Coralliorum natura* in *Memorie ſopra la Fiſica* &c. l. c. p. 142. ita materiam lapidum formandorum deſcribit: *E communi quaſi dixerim recentiorum conſenſu concurrunt ad lapidum concretiones & generationem: Humor ſcilicet ſulphureus pinguedine quadam plenus, ſal ſubtiliſſimum, & terra, proportionata configuratione prædita, cum debita aquæ quantitate imbuta &c.* D'ARGENVILLE l. c. pag. 38. *Les pierres ont pour principes la Terre, l'Air & l'Eau.* Conf. VENETTE *Traité des pierres, qui s'engendrent dans les terres & dans les animaux*, Chap. IX. p. 133. ſqq. LESSERI *Lithotheol.* Lib. II. Sect. I. Cap. 1. 2. 3. &c.

§. VI.

Cooperantur in hoc conjunctionis negotio vel aër, vel aqua, vel ignis, vel quilibet eorum seorsim, vel unus cum altero, seu cum omnibus conjunctim. Modus hujus operationis consistit partim in nuda appositione, partim in destructione & deturbatione materiæ unius & appositione alterius, partim in fermentatione, ebullitione, coagulatione & induratione particularum antea non cohærentium.

§. VII.

Procedit hæc operatio ex determinatione legum naturalium, puta cohæsionis, quando partes æquabiles æquabilibus facillime adglutinantur: attractionis: æquilibrii & gravitatis, quando particulæ specifice leviores cedunt specifice gravioribus: aliarumque plurium specialium, v. g. quando acida cum alcalicis effervescunt, &c.

§. VIII.

Nimis longum foret opus & ultra vires meas positum, si formationes lapidum ex præmissis secundum materiam, formam, modum & leges naturæ specialiter demonstrare & enumerare vellem. Vt autem usus hujus tractationis taliter qualiter appareat, postpositis aliis considerationibus, modum formationis lapidum ulterius prosequi constitui. Consistit ille partim in *appositione*, partim in *effervescentia*, partim in *utroque simul*.

§. IX.

Appositio est associatio unius materiæ alteri, sive sit homogenea, sive heterogenea, & est vel *immediata*, vel *mediata*. *Appositionem immediatam* voco, quæ in simplici associatione consistit: *mediatam*, quæ mediante ligamento & glutine quodam, v. g. aqua, salibus, bitumine, sulphure aliisque perficitur.

§. X.

§. X.

Formatio lapidum per appoſitionem immediatam conſiſtit in conjunctione partium homogenearum, & eſt rariſſima, & magis animo concipi, quam ipſis rerum argumentis demonſtrari poteſt. Finge tamen, partes æquabiles aſſociari aliis partibus, eodem modo perfecte æquabilibus: nullum dubium erit, quin tunc omni ex parte & plenarie ſint inter ſe cohæſuræ & in maſſam ſolidam coaliturae *a*). Aliquatenus tamen modus iſte illuſtrari poteſt ex natura nivis, ſalium & cryſtallorum. Corpuſcula hæc vel in minimis partibus prædita ſunt minutiſſimis ungulis, apicibus & angulis, plicis & replicis, ita ut ſimpliciter homogenea homogeneis aſſociata absque ullo alio glutine cohærere videantur. Frequentior eſt formatio lapidum per appoſitionem immediatam in conjunctione partium heterogenearum: e. g. quando terræ pulverulentæ, calcariæ, arenaceæ, cum ſalibus & ſulphuribus conglutinantur & poſtmodum, aliis cauſis accedentibus, in lapides indureſcunt.

a) Vid. Altmanns *Verſuch einer hiſtoriſchen und phyſiſchen Beſchreibung der Helvetiſchen Eisberge.* Abhandl. III. p. 64. ſeqq.

§. XI.

Formatio Lapidum per *appoſitionem mediatam* frequentiſſima eſt, auxiliante aëre, aqua & igne, mediantibus ſalibus, bitumine, ſulphure, aliisque vehiculis & ligamentis.

§. XII.

Aërem, conſtat, ſæpiſſime imprægnatum eſſe particulis ſalinis, ſulphureis & fluidis. Vapores & nebulæ, iisdem particulis turgidæ, ex moderamine auræ & venti huc illuc impelluntur, condenſantur, lapidibusque admiſcentur, vel eorum poris inſinuantur *a*). Alio tempore ex ventorum turbine iisdem glebulæ pulverulentæ & arenoſæ admoventur, ita ut ex iisdem, calore & frigore poſtmodum induratis, lapides vel dila-

tentur, vel magis condenſentur. Ad manus eſt lapis, muro cuidam quondam affixus, vivo nitro eoque ſpiſſo, ex vicinitate latrinæ evaporato, ita incruſtatus, ut ultra latitudinem digiti corpus ejus protenſum fuerit *b*). Sic perhibent calcem in antiquis muratis creſcere *c*): id quod non niſi recenſito modo explicari poteſt. Inveni fragmenta ejusmodi calcis, ad Sangerhuſam in ruderibus cujusdam murati, cujus pori materia inſititia ita expleti & condenſati erant, ut marmoris inſtar duriſſimi, lævigationem & polituram ubivis admiſerit, coloremque nitidiſſime album, venis cinereis & ochro-luteis variegatum, præ ſe tulerit. Alia fragmenta hujus maſſæ calcariæ ex uno tantum latere lævigari poterant, altera ſuperficie poros & foraminula, in calce indurata inveniri ſolita, adhuc oſtendente.

a) *Nic.* Lemery Cours de Chymie p. 14. *Perſonne ne peut douter, qu'il n'y ait dans l'air un acide capable, quoy qu' inſenſible, de penetrer les pierres & les terres, puisqu' on remarque tous les jours, que les terres, dont on a tirè le ſel auſſi exactement, qu' on a pû, en reprennent de nouveau, & augmentent de poids conſiderablement, lorsqu' elles ont demeuré quelques temps expoſées a l'air.*

b) Lemery ibidem: *L'acide de l'air ayant inſenſiblement penetré les pierres, s'y fixe & fait un ſel ſemblable dans le commencement au ſel gemme.*

c) Bourguet Memoires pour ſervir à l'hiſtoire naturelle des petrifications, p 4. *Quand on examine les murailles des anciens Romains, l'on remarque, que la chaux diſſoute & mêlée avec du ſable ou du gravier, s'eſt durcie en pierre.* Vid. pluribus Illuſtr. Linnæus Amœn. Acad. Vol. II. p. 12.

§. XIII.

Inſtar omnium autem *aquæ*, quam omnium rerum principium pronunciavit Thales *Mileſius*, formandis novis lapidibus, eorumque incrementis inſervit. *Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Aqua tam varia corpora permeando, fuccosque & ſa-

& ſalia ex iisdem extrahendo, & quicquid humorum a Solis radiis ventisque ſuſpenſum, quicquid vaporum ex calore ſubterraneo protruſum fuit, excipiendo, ab una parte his ipſis ſpoliis, ex concurſu acidorum, alcalinorum, aliorumque fermentationi & ſolutioni aptorum, ipſaque gravitate ſua, ſucceſſu temporis, ſtrata lapidea corrodit, confringit, deſtruit, & in minimos quaſi atomos reſolvit *a*): ab altera parte opima iſta ſpolia longe lateque circumvehens, illuc particulas calcarias, iſtuc arenarias, iſtuc ſpathoſas, iſtuc quarzoſas, iſtuc cryſtallinas deponit *b*), ope ſalium, ſulphurum & bituminum intermiſtorum adglutinat, & ſic ex iſta repetita depoſitione lapides novos format: dumque curſus aquarum retardatur & ſiſtitur, quod ex præda ſuperfuit, ex pondere gravitatis ſpecificæ ad ſedimenta præcipitatur, & ejusmodi actibus ſæpiſſime repetitis, nova lapidum ſtrata efformantur.

a) Huc pertinent verba Ovidii, L. I. de arte amandi v. 477. 478.

Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

& Lvcretii, L. IV.

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa?

Conf. Schevchzeri Phyſic. Sacr. ad Iob. Cap. XIV, v. 18. 19. p. 112.

b) *Diego* Revillas l. c. p. 118. *Che l'acque non depongono, ſe non cio, che altrove rapirono: e che la Natura ſoltanto di eſſe ſi ſerve come di condottiere, per diſpenſare dapper tutto con un generale commerzio le ſue richezze: e per formare in alcuni luoghi col mezzo delle medeſime acque altri corpi ſimili a quelli, che altrove dall' acque ſteſſe, vengon corroſi.* &c. Conf. Venette l. c. Chap. IX. p. 134. ſqq. D'Argenville l. c. la Litholog. p. 38.

§. XIV.

Dum autem aqua per appoſitionem aut maſſam lapidum

auget, aut novos lapides format, exſerit ipſa operationes ſuas vel ex corpore; vel ad corpus; vel in corpus; vel ſimul in & ad corpus. Primus modus *deſtillatio;* alter *incruſtatio;* tertius *filtratio;* ultimus denique *coagulatio* mihi appellatur.

§. XV.

Abeat quiscunque hujus aſſerti dubitator ad lapicidinas! abeat ad metallifodinas! ſubeat montium convalliumque cavernas! Videbit ſtalagmitarum, ſtalactitarum, cryſtallorum congelationumque innumeras extuberationes, concretiones & varietates: quæ omnia ex *deſtillatione* & exſudatione aquarum, atomis quaſi terreſtribus, lapidoſis, ſulphureis, bituminoſis, ſalinis imprægnatarum, originem ducunt. Operatio hæc ita procedit, ut aqua, iſtiusmodi particulis gravida, particulisque glutinoſis, puta bituminoſis, ſulphureis & ſalinis mixta, per poros lapidum & fiſſuras ſtratorum, ſaxeorum, leni fluxu & quaſi guttatim in locum cavernoſum & ab aura graviori liberum & quietum deſtillans, in ſummitate & vertice interiori ejusdemque lateribus deponat & affigat modo dictas particulas, & pro qualitate earundem modo ſtalagmitarum integumenta, modo ſtalactitarum ſtirias, modo cryſtallorum corpora polyhedra, & ſic porro, ex iisdem efformet *a*).

a) Efformationem iſtam luculenter expoſuerunt Altmann l. c. p. 155. Venette l. c. Cap. III. Art. IV. p. 41. Cap. VII. p. 97. ſeqq. D'Argenville l. c. Lithologie p. 79. ſeqq. Gimma l. c. T. I. L. I. C. VIII. p. 63. ſeqq. Bourguet Hiſt. naturelle des Petrifications P. I. p. 4. ſeqq. Idem dans les Lettres philoſophiques ſur la formation des ſels & des cryſtaux, Lett. I. p. 8. ſeqq. Imperati Hiſt. nat. L. XXIV. Cap. XII. p. 732.

§. XVI.

Proſtant & in propatulo ſunt *incruſtationes*, præſertim *tophaceæ*, non ſolum fontium & lacuum *a*), ſed etiam fluminum, inje-

injecta quævis, cruſta lapidea ſeu cortice lapideo obducentium, ſalva rerum incruſtatarum ſubſtantia. Taceo varia ſarcimenta, herbas, frutices, cochleas topho obductas, in agris Tennſtadienſi, Greuſſenenſi & Kindelbruccenſi ubivis obvias. Refero ſaltem in lapicidina tophacea, *Stein-Renne*, dicta, ad pagum Bilzingslebium, Præfecturæ Sachſenburgenſis, præter cornua cervina, maxillas elephanti, dentibus adhuc munitas, ante biennium inventum fuiſſe caput humanum, cui telum adhuc ſuperſtes infixum fuit: rariſſimo documento, ſtratum hoc tophaceum neque ad primordia orbis conditi, neque ad tempora diluvii referendum eſſe. Inventi etiam ibi fuerunt niduli avium, ovulis avicularum repleti, in maſſam tophaceam fere transmutati.

a) Seneca L. III. Nat. Quæſt. c. 20. T. II. p. 669. Edit. Lipſ. *Hæc aqua*, inquit, *ſi ſolidum tetigit, hæret & adſtringitur: inde eſt, quod res abjectæ in eundem lacum, lapideæ ſubinde extrahuntur, quod in Italiæ quibusdam locis evenit, ſive virgam, ſive frondem demerſeris, lapidem poſt paucos dies extrahis.* Conf. *Athan.* Kircheri Mundum ſubterran. T. I. L. V. Sect. II. Cap. III. §. 7. p. 249.

§. XVII.

Procedit etiam aqua in formandis lapidibus per *filtrationem*, infuſionem, injectionem & infarctionem in interiores partes corporis heterogenei, puta vegetabilis & animalis. Exemplo ſit petrificatio lignorum, oſſium, &c. quæ ita procedit, ut aqua ſuperveniens ſalia & oleo in illis contenta prius elixet, & poſtmodum poros, tubulos, fibras, organa & foraminula eorundem repleat, ſuffarciat & exſtipet particulis calcariis, quarzoſis, cryſtallinis, mineraliſatis aliisque, ſenſim & pedetentim ſuperinductis, ſalibusque ſecum ferentibus firmiter coagulet *a*). Procedit idem modus etiam intuitu corporum homogeneorum. Provoco ad Muſea. Ipſe poſſideo tabulam marmoris conchiferi Schlotheimenſis, quæ jam in ſtrato lapideo diſrupta fuit, diſruptis

diſruptis etiam inſidentibus conchyliis: iſta tamen fiſſura cum lacuna latitudine calami ſcriptorii poſtmodum ab ingeſta materia ſpathico-alba exacte repleta & conglutinata eſt. Sic etiam aliæ lapidum cavitates, e.g. in Cornubus Ammonis, Nautilitis *b*), in globulis Achatinis, in ſilicibus culinariis, in concretionibus ſubterraneis, quas *Druſen* germanice vocant, per effluvia & ſuccos lapidificos vario lapidum genere explentur. Huc pertinent etiam omnes ſic dicti nuclei conchyliorum petrefactorum, ſtructuram eorundem internam referentes.

a) Optime hunc petrificationis modum explicuit Schulzius, *in der kurtzen Betrachtung der verſteinerten Hœlzer* §. 6. ſeq. *Diego* Revillas l. c. p. 119. *Che l' acque paſſando talora attraverſo della poroſa ſoſtanza d' altri Corpi: ed inzeppando, o per coſì dire incurvando ne' loro pori le minutiſſime ſaſſoſe particelle, poſſono, ſenza cangiar punto l' eſteriore figura di codeſti Corpi, transformargli in ſaſſi: come appunto accade nell' impietramento de' noſtri Teſtacei, d' oſſa e denti d' animali, di tronchi di Piante, e di tant' altri diverſi Corpi: i quali tutto dì ſotterra e dentro i Monti ritrovanſi.*

b) Conchitas anomios concavos, quorum uterus minutiſſimis cryſtallis obſitus eſt, memorat Lesser in *phyſical. Beluſt.* Num. XXIV. p. 1058.

§. XVIII.

Vltimus formandorum lapidum modus, ſubſidio aquarum, conſiſtit *in coagulatione:* vel quando aquæ ſabulum, pulverem aliamque maſſam pulverulentam, ſeu ſtrata parvorum ſiliculorum pervadunt, ſuccisque lapideſcentibus, puta ſalinis & ſulphureis, irrigant & coagulant, ita ut poſtmodum ex calore & frigore ſuperveniente indureſcant, maſſamque lapideam conſtituant: vel quando aquæ antea opimis ſpoliis particularum terreſtrium, limoſarum, calcariarum, quarzoſarum, &c. turgidæ, quietiores fluunt aut ſtagnant, aut ſubſidunt, ita ut particulæ modo dictæ, pondere gravitatis ſuæ ſpecificæ ad ima præci-

præcipitatæ, vel ab aquis derelictæ, ex glutine intermiſti ſucci lapideſcentis indureſcant, & ſic novi lapides novaque ſtrata lapidea efformentur.

§. XIX.

Recenſenda ſunt adhuc incrementa, quæ *ignis* beneficio lapidibus apponuntur. Per ignem hic intelligo *calorem*, qui vel a radiis ſolaribus, vel ab igne ſubterraneo *a*) proficiſcitur. Iſte vapores ſubterraneos & exhalationes aquarum, virtutibus lapidificis præditarum, promovet: Iſte acceſſiones lapidum, ab aquis & vaporibus provenientes, imo & ipſa terrena aquarum ſedimenta figit, confortat & indurat *b*). Mitto hic lateres omnesque argillaceas & lutoſas compoſitiones: mitto lapides & fluores chymicos: mitto metalla, ſcorias aliaque recrementa: lapides quidem ignis beneficio prodeuntes, attamen factitios: mitto etiam pumices & vitrificationes montium ignivomorum, quæ magis reſolutioni & deſtructioni, quam novæ productioni attribuendæ ſunt. Tractatio noſtra concernit tantummodo lapides, viribus naturæ actricis efformatos. Nec ſilentio prætereunda hic ingenioſa nonnullorum ſententia, qui maximam globi terræ partem antiquiſſimis temporibus igne conflagraſſe, & ex vitrificatione cruſtæ ſuæ ſilices & arenulas, tanquam fragmenta ejusdem, prodiiſſe ſtatuerunt *c*).

a) Scheuchzer Phyſ. ſacr. ad Iob. XXVIII. 5. Lesseri Lithotheol. L. I. Sect. I. Cap. I.

b) Venette Traité des pierres, qui s'engendrent dans les terres & dans les animaux p. 110. *On doit pourtant avouer, que la chaleur de la terre ou les exhalaiſons ſouterraines, mêlées avec un air chaud, peuvent être une cauſe adjuvante de la generation de pierres, puiſqu' etant liquides ou molettes dans leur principes, elles ſe deſſechent quelque fois plus, quelque fois moins promtement par l' evaporation de leur humidité.*

c) Leibnitivs in Protogæis in Act. Erud. Lipſ. ann. 1692. pag. 40. ſeqq. Miſcellan. Berolinenſ. p. 119. *Iac. a* Melle de Lapid. figur. Lubec. p. 31. Krüger *Geſchichte der Erde* §. 86. p. 160.

§. XX.

In hac formatione lapidum, quæ fit per appoſitionem, interdum, immo multoties, omnes tres cauſas jam memoratas concurrere poſſe, & virtualiter concurrere, nemo facile negaverit. Animo concipio ſtratum ſabuloſum: aër immiſcet illi ſalia & ſulphura & pulveres: aqua percurrens ſtratum illud aliis ſalibus & particulis viſcoſis & oleoſis coagulat & compingit: compactum denique calor extrinſecus & intrinſecus indurat, adeo ut maſſa, quondam terrea, nunc ad ſtrata lapidea debeat referri.

§. XXI.

Prodeat nunc alter modus lithogeneſias, quæ in *effervescentia* conſiſtit; a priori, nempe appoſitione, vel in hoc diverſus, quod iſta quaſi in conſpectu omnium, illa autem in intimis terræ receſſibus operationes ſuas exequatur. Iſta de ſimplici & plano procedit: illa concurſum plurium cauſarum requirit. Iſta quaſi principium ſocialitatis, illa vero belli omnium contra omnes reſpicere videtur. Iſta tardo gradu actionibusque continuatis, multisque vicibus repetitis; illa celerrima expeditione commendatur.

§. XXII.

Effervescentia eſt pugna ſalium ſibi invicem contrariorum, in una eademque maſſa humida aut liquida concurrentium, cujus effectus conſiſtit in fermentatione, impetuoſa expanſione, ebullitione, incaleſcentia, coagulatione & induratione hujus maſſæ, ita ut alia novaque forma ejusdem proveniat.

§. XXIII.

Horum ſalium ſibi invicem contrariorum unum dicitur *acidum*, alterum *alcali*. Sal acidum in aëre, in aquis & in corporibus mixtum invenitur: ſeparatim autem, & in figura determinata nuſpiam in natura cernitur *a*). Præſumitur liquor acidus

dus ſal continere, innumeris acutiſſimis aciculis & apicibus præditum, idoneum, in corporibus habilibus, poris recludendis, iisque penetrandis, obviisque obſtaculis deſtruendis, præſertim autem corporibus alcalicis, ſolvendis, fermentandis & coagulandis *b*). Sal alcali quibusdam plantis, terris & lapidibus, exhinc *alcalicis* dictis, principaliter inhærere dicitur, ejusmodi naturæ, ut liquoribus acidis ab initio reſiſtat, iis autem fortius reſiſtentibus & irrumpentibus tales effectus producat, ut maſſa alcalica reſolvatur, fermentet, ebulliat, & poſtmodum indureſcat *c*).

a) Vid. Wallerii Mineralog. p. 234. ſ. Edit. german.
b) Lemery l. c. p. 22.
c) Wallerivs l. c. p. 227.

§. XXIV.

Doctiſſimus Lemery *a*) negat & pernegat quidem exiſtentiam ſalis alcalici, quod antiqui Chymici admittunt. Dum autem ejusdem loco in corporibus ſic dictis alcalicis ſubſtituit ſingularem organiſationem partium, porosque ita conſtitutos, ut poſt ingreſſum acidorum eadem operetur effervescentia, quam in præmiſſis cum aliis ſali alcalico attribui, eodem effectu inſequente, differentiam iſtam hic locorum in medio relinquo.

a) Lemery l. c. p. 23.

§. XXV.

Antequam ulterius progredior, præmittere lubet deſcriptionem Clariſſimi Dn. Pott *a*) quam de materia alcalina ſuppeditavit: *Dieſe Sorte iſt ſehr häufig in der Erde verſtreuet und ausgetheilet: ſie iſt wohl eigentlich das alcali naturale (und nicht das vegetabiliſche ſal alcalicum): ſie attrahiret aus der Luft, aus dem Waſſer und aus der Erde das verſtreuete acidum, ſo wohl univerſale, als auch particulare, ſaturiret ſich damit, wird zu einem Mittelſalze, welches hernach in alle andere Natur-Reiche und deren productа ſeine effectus reſolu-*

reſolutorios, condenſatorios, combinatorios, ſubtiliſatorios häufigſt exſeriret, das acidum dadurch mindert, ſein zerſtöhrendes Weſen temperiret, und zu unzählich andern Verbindungen und neuen Ausgeburthen geſchickt machet.

a) In Chymiſchen Unterſuchungen von der Lithogeognoſ. p. 4.

§. XXVI.

Recenſendæ adhuc ſunt terræ alcalicæ, tanquam maſſa illa, ex qua per efferveſcentiam lapides novi efformantur. Sunt autem lapides calcarii, creta, marmor, Spathum, marga, terra aluminoſa, ex parte etiam ardeſiæ, lutum, argilla, quarzum, aliæque terræ ſingulares, quas Cl. D. Pott *a*) uberius recenſuit. Mineras ferri etiam alcalicas eſſe, & cum acidis efferveſcere, obſervavit Lemery *b*).

a) Pott l. c. p. 5.
b) Lemery l. c. p. 169.

§. XXVII.

Ex hac efferveſcentia acidorum cum alcali novas lapidum ſpecies produci, nunc ſigillatim demonſtrabo. Lemery *a*) jam modum iſtum productionis lapidum, quamplurimis Lithographis incognitum vel neglectum, aſſeruit, originemque omnium lapidum cujusvis generis ipſi attribuit. Sed plus juſto huic modo tribuit; cum enim plures adhuc terræ & lapides inveniuntur, quæ non ſunt alcalicæ naturæ; ita non omnium lapidum origo ad conjunctionem acidorum cum alcali provenientemque exinde ebullitionem poteſt referri.

a) Lemery l. c. p 394 *Les cailloux, comme toutes les autres pierres, ſe font par des ſels ou par des liqueurs acides, qui penetrent & s' embarraſſent avec la terre, qui eſt un Alkali, en ſorte que de ce melange il reſulte un coagulum, le quel s' endurcit peu a peu par la chaleur ſouterraine, ou ſe petrifie par le froid.*

§. XXVIII.

Dum igitur terra alcalica ab acido fluido debita proportione irrigatur, & in glebam quaſi liquefactam redigitur, portiuncula iſta terrea ab exoriente intus efferveſcentia per appropriationem in novam maſſam transformatur, & ad modum fluidorum extrorſum in corpus ſphæricum expanditur & particulis deinde ex calore efferveſcentiæ rigentibus, congelatione & duritie inſecuta, novum ex hoc lapidum genus producitur, bullæ inſtar aqueæ perfecte rotundum, ſi maſſa iſta mollis citiſſime; hemiſphæricum, ſubrotundum, ovale & depreſſum, ſi iſta lente & ſucceſſive irriguerit, forma externa dum ipſa maſſa per propriam gravitatem paululum relaxatur, aliquantulum mutata. Quotquot igitur inveniuntur globuli lapidei, ſeu lapides rotundi, globoſi, hemiſphærici, ovales, lenticulares, caſeoformes & ſic porro, horum omnium originem efferveſcentiæ antedictæ adſcribendam eſſe exiſtimo.

§. XXIX.

Lapides tali modo producti, ſive iſti globuli lapidei, aut ſunt *cavi*, aut *ſolidi*. Cavi ſunt iterum vel *inanes*, vel *prægnantes*. Hi rurſus continent in cavitate, vel aquam *a*), vel terram, vel lapides *b*), vel ſalia *c*), vel bitumina *d*), vel mineras.

a) *Enhydros* Plinii Hiſt. nat. L. XXXVII. c. 10.
b) Geodæ, Aetitæ, Ventres cryſtallini aliique.
c) Pyritæ globulares.
d) Globuli in ſtratis carbonum foſſilium obvii.

§. XXX.

Globuli lapidei *cavi inanes* a prima quidem origine tales ſunt, vel eos tales eſſe probabile eſt: fornices cavitatem continentes; nuces quaſi absque nucleo; ſed nondum mihi contigit, ut, cum multa centena ejusmodi globulorum confregerim, vel

unicum cavum invenerim, qui omni materia adventitia & insititia, intus recluſa, caruerit. Inveniri tamen globulos lapideos cavos inanes, licet rariſſime, Auctores perhibent *a*). Formatio globuli, ejusque fornicis cavitatem recludentis, effervescentiæ, repletio vero cavitatis aliis cauſis adſcribenda eſt.

a) Invenerunt globulos inanes ejusmodi in cavitate ſua nil continentes, Baiervs, in Oryctogr. Norica p. 32. & Wallerivs in Mineralog. p. 512. Edit. germ. Huc pertinet Lapis bufonius hæmiſphæricus intus cavus Lesseri in Lithotheolog. Lib. V. Sect. III. Cap. III. §. 309. *b* p. 509. & *Lapis concavus ferrei coloris in ferri vena repertus, in quo nihil niſi aër continetur*, Jo. Kentmanni in Nomenclatura rerum foſſil. Tit. V. p. 35. Woodward on attempt towards a natural Hiſtory of Foſſils P. I. T. I. p. 51. *Anorbicular grey Flint - Theſe, flinty ſchells are pretty frequently found. Their cavities are ſometimes empty, ſometimes fill' d with Chalk, and ſometimes with a ſomewhat harder white Body.* Conf. Brückmanni Theſaur. ſubterr. Duc. Brunſvic. Tab. VII. fig. VI, X.

§. XXXI.

Globuli lapidei *cavi prægnantes* ſunt, qui in cavitate ſua materiam vel homogeneam, vel heterogeneam, vel utramque ſimul complectuntur. Formatio ejusmodi globuli prægnantis a pluribus cauſis dependet. Globulum ipſum, ſeu ejus fornicem, ventrem, nucem conſtituit efferveſcentia: quæ autem in cavitate ejusmodi globuli recondita & depoſita inveniuntur, vaporibus, exhalationibus, effluviis, irrigationi, filtrationi & injectioni aquarum *a*), uterum horum globulorum per poros intrantium, earundemque ibidem ſtagnationi, fermentationi, præcipitationi & depoſitioni particularum tenerrimarum, quas ſecum vexerant, terrearum, quarzoſarum, arenacearum, margacearum, calcariarum, oleoſarum, ſalinarum & reliquarum; tandemque earundem cohæſioni, coalitioni, coagulationi, maſſæque recluſæ exſiccationi, accepta referenda ſunt. Rem exemplis illuſtrabo.

a) Quar-

a) Quarzum & Spatum in cavo aliorum lapidum, ex aqua in fiſſuris lapidum retenta, exhalationibus lapideis imprægnata, generari & creſcere ſtatuit perilluſtris LINNÆVS in Syſtem. Nat. pag. 219. Edit. Lipſ, 1748.

§. XXXII.

Initium faciam cum *globulis lapideis cavis prægnantibus*, quos ſupra §. XXIX. aquam in utero continere prædicavi. Lapis ejusmodi dicitur *Enhydros* & eſt rotunditatis *abſolutæ*, PLINIO *a*) teſte, *in candore lævis; ad motum fluctuat intus in eo, veluti in ovis, liquor.* Diſcutiendum ante omnia, num detur ejusmodi lapis in natura, qualem PLINIVS deſcripſit. Dubitavit de ejus exiſtentia vir quidam magni nominis, in ſcientia rerum naturalium non minus, quam in eloquentia ſacra celeberrimus, qui in litteris ſuaviſſimis ad me datis ita contendit: *Quant aux enhydros, dont la cavitè eſt remplie d'eau, je n'en vis jamais, & je ſoupçonne, que le ſont des êtres imaginaires du regne mineral.* WOODWARD *en ſuppoſe cependant la realité.* Sed cum pace tanti viri mihi liceat ſtatuere, quam maxime veriſimile eſſe, dari ejusmodi enhydros, ſeu lapides globoſos, licet ſpecimina eorundem fruſtra in Muſeis requirantur, & vel rariſſime in terræ viſceribus inveniantur: Provoco ad teſtimonia Auctorum. Extant elegantiſſimi CLAVDIANI *b*) verſus de cryſtallo, cui gutta aquæ incluſa erat, licet ratione originis cryſtalli erraverit, dum eam ex glacie generari putavit:

Lymphæ, quæ tegitis cognato corpore lymphas
Et quæ nunc eſtis, quæque fuiſtis aquæ.
Quod vos ingenium junxit? qua frigoris arte
Torpuit & maduit prodigioſa ſilex?
Quis tepor incluſus ſecuras vindicat undas?
Interior glacies quo liquefacta noto?
Gemma quibus clauſtris arcano mobilis æſtu
Vel concreta fuit, vel reſoluta gelu?

Aquam

Aquam in Achate incluſam Acta Hafnienſia *c*) memoriæ prodiderunt. Suraſienſes ferri fodinas in Volhinia Enhydros producere ſcriptum reliquit RZACZYNSKI *d*). In nodulis lapideis Ilmenavienſibus, quando diſcuſſi fuerunt, in cavitate eorundem aquam limpidiſſimam recluſam interdum repertam fuiſſe teſtatur ſolertiſſimus rerum naturalium indagator, HENCKELIVS *e*). Quid plura? Ex ſequentibus §§. patebit, notiſſimos lapides, Aetitas, Geodas, Ventres cryſtallinos, & ſic porro, ab initio nihil aliud, quam enhydros fuiſſe, & callimos nucleosque eorundem effectus eſſe aquarum, quæ in cavitatibus horum lapidum globoſorum ſtagnaverunt. Id quod etiam ex deſcriptione Enhydrorum WOODWARDI *f*) patet, qui in illis maſſam fluidam pinguem, ſeu liquorem, quaſi conſiſtentia cremoris ſeu floris lactis, invenit.

a) PLINIVS Hiſt. natural. Libr. XXXVII. Cap. X.

b) CLAVDIANVS Epigr. p. 512. Opp. Ed. Lipſ. cujus verſus inſeruit etiam b. LESSERVS Lithotheol. §. 87. p. 157.

c) Acta Haffnienſia Vol. V. p. 200. Huc pertinet Achates Muſei Sloaniani, in quo aqua incluſa ad motum fluctuat. Vid. celeberr. Dn. KALMII *Reiſe nach dem nordlichen America* pag. 506. verſ. german.

d) In Auctuar. Hiſtor. naturalis Regni Poloniæ p. 53.

e) In Pyritologia Cap. V. p. 358.

f) On Attempt towards a natural hiſtory of the foſſils of England. P. I. T. I. p. 236. *The Cavities or Cells were generally near full of an inſipid Coagulum or Liquor about the conſiſtence of Cream, though in here and there one' twas a little thicker.*

§. XXXIII.

Nunc convertor ad globulos terris lapidibusque prægnantes. Procedat in medium *Aetites a*), qui eſt globulus lapideus modo rotundus, modo oblongus, modo reniformis, modo fungiformis, per effervescentiam productus *b*), cujus venter duræ ſubſtantiæ & plerumque ferri compos eſt, ſuperficie vel lævi,

lævi, vel aſpera, in ſe continens vel pulverem, vel lapillum, utrumque modo mobilem, modo immobilem. Quotquot horum ipſe inveni, omnes in ſtratis arenoſis, aut in mineris ferro prægnantibus collegi. Quotquot horum confregi, cortice conſtant ferri compote, extus colore ochraceo & æruginoſo; in medio, ſubfuſco & nigro, intus luteo vel ochraceo, vel miniaceo, vel alio, nempe prout materia, in utero iſto recondita, colorata fuit. Inveni in utero aut pulverem quam maxime tenerrimum & ſubtiliſſimum, aut unum vel plures lapillos, ex hoc pulvere conflatos. Pulvis iſte reconditus in Aetitis, præcipue in Lipſienſi ſabulario inventis, mirifica colorum diverſitate variat, qui tamen omnes ad colorem flavum, luteum, fuſcum & purpureum referri poſſunt. Ante aliquot annos, proxime ad Sangerhuſam urbem, detectum & effoſſum fuit ſtratum arenaceum, arenam ochracei coloris, eodemque colore manus inquinantem, aſſervans: In propatulo erat, arenam iſtam ſubtiliſſima terra ochracea eſſe intermiſtam, qualem terram fons mineralis Rieſtadii, uno lapide a Sangerhuſa diſtans, limpidiſſima ceteroquin aqua conſtans, in ſedimento relinquit. In iſto ſtrato arenoſo inveni integras venas ochraceo-ferreas *c*), ex meris Aetitis, ſeu globulis ejusmodi, partim prægnantibus, partim ſolidis, invicem quaſi concatenatis & taliter qualiter connexis, conſtantes. Horum nonnulli continebant pulverem iſtum tenerrimum, farinaceum, partim lutei, partim fuſci, partim purpurei coloris; nonnulli lapillulos ejusdem coloris: nonnulli, qui tamen ex uno latere rupti erant, portiunculam arenæ. Explicaturus igitur iſtorum ætitarum originem, ſtatuo, ſtratum hoc arenaceum quondam permeaſſe aquas minerales, vitriolo Martis imbutas, ibique, quam continent, terram mineralem depoſuiſſe, arenamque colore ochraceo imbuiſſe: terram iſtam mineralem nihil aliud eſſe, quam reliquias pyritæ ferrei, in intimis terræ viſceribus reſoluti & deſtructi, adeoque pulverem iſtum ipſum ochraceum ferri com-

potem esse: sufficienti denique copia istius pulveris cum arena mista, ex concursu alcalicorum & acidorum glebam hujus massæ colliquescere, effervescere, in globulum expandi & indurari, simulque in mineram ferri transformari. Continuato per hoc stratum arenosum ejusmodi aquarum mineralium cursu, easdem per poros Aetitæ ejusdem penetralia interiora subire, ibidem subsidere, tandemque per calorem subterraneum evaporare, præcipitata & deposita, quam secum vexerant, terra minerali. Quibus actibus successu temporis multoties repetitis, ventrem Aetitæ tandem quam tenerrimis terræ mineralis particulis, veluti quadam farina ochracea, repleri. Supervenientibus & irrigantibus aliis aquis salinis & sulphureis, farinam ante dictam conglutinari, & in unum vel plures lapillos redigi. Ejusmodi lapillus, embryo quasi Aetitæ, dicitur *callimus*. Alia etiam, a figura externa, sortitur nomina. Ille qui amygdalum refert, *amygdaloides*; qui fabam, *Cyanea* vocatur. Callimus iste, vel omnem cavitatem uteri exæquavit & replevit, vel ita utero adglutinatus est, ut nequicquam de loco moveri possit, & tunc dicitur *callimus immobilis*: vel utero minor est, & lateribus ejus non adhæret, & tunc dicitur *mobilis*. Aetites vero ipse *sonorus*, ἠχίτης, germ. *Klapperstein*, quia, dum iste vibratur, callimus vel pulvis ante dictus mobilis latera uteri pulsat, & instar crepitaculi sonum edit. Restant Aetitæ externa facie vel læves, vel asperi. Illi sunt, qui superficiem quasi habent politam: hi, quorum superficies materia heterogenea, verbi gratia, arena, siliculis aliisque lapillis, lateribus Aetitæ adglutinatis, firmiterque adhærentibus, obsita est. Porro Aetitæ dividi possunt in simplices & compositos, sive monothalamios & polythalamios *d*). Illi uno ventre seu camera, hi pluribus instructi sunt. Item in veros, spurios, & factitios. Veri sunt, qui ex effervescentia producti sunt; spurii, qui corpus quidem naturale concavum cum lapillo fluctuante, intus recluso, referunt, quod aliunde tamen,

tamen, quam ex effervescentia, originem traxit, v. g. Aetito-ammonites, Aetito-bucardites KVNDMANNI *e*). Factitius, qui manu artificis vel impostoris factus est, quo pertinet lapis factitius, cui epistola inclusa erat ab eo, qui finxerat *f*).

a) De Aetitis varia congessit KVNDMANNVS, *in Seltenheiten der Natur und Kunst*, Sect. I. Art. XII. p. 126. seqq. Auctor Musei Richter. p. 220. HEBENSTREIT Hist. natural. Fossil. de terris pag. 14. KLEINIVS in Lapid. figur. Nomencl. vid. *Aetites*. RZACZYNSKY Hist. natur. Regni Poloniæ p. 18. & in Auctuario p. 33. BAIER Oryctogr. Nor. p. 32. & WALLERIVS in Mineralog. p. 511. Edit. germ. WOODWARD dans la Geographie physique p. 405. Edit. Amsterd. 1735.

b) Fallitur igitur *Nicolaus* VENETTE, quando, dans le Traité des pierres, qui s' engendrent dans les terres & dans les animaux, Chap. IV. Artic. II. p. 58. aetitas & geodas pro fructibus petrefactis venditat, aliosque, qui eosdem pro productionibus lapideis habent, erroris insimulat. Aetites ipsi est *un fruit à noyau petrifié, dont l' amende est plus seche & plus dure qu' auparavant. Geodes* autem *un fruit, dont l' amende est devenue terre.*

c) Huc pertinet: *Eisenstein, wird an vielen Orten auf dem Felde als Adlersteine gefunden, giebt aber schön schmeidig Eisen;* ex Museo Deckeriano p. 86. & SCHEVCHZERI vena ferri cylindrica & stelechites montis Legerii, in Meteorologia & Oryctogr. Helvet. p. 198.

d) WALLERIVS l. c. p. 512. vocat Aetitem cavitatibus pluribus distinctum, Aetitem multiplicem. Huc refero Enorchin, Diorchin: globulos duo ferri compotes, in Museo Richter. p. 221. Aetito-Colitem apud KVNDMANNVM l. c. p. 127. Diphyenem PLINII Lib. XXXVII. C. 10. & VALENTINI in Museo Museor. Lib. I. Cap. 23.

e) KVNDMANN l. c. p. 128. Huc pertinent Belemnitæ, in quorum thalamis molle quidpiam, ochræ simile, reperitur, veluti pectunculorum valvæ, quas per agrum Cassellanum Hassiæ reperimus, materia ochrea fulva, ferri compote, infarcta. HEBENSTREIT l. c. de Terris p. 16. Eadem massa ochracea cavitates & cameras cornuum Ammonis agri Schlotheimensis, & thalamos Belemnitarum, ad monasterium Banz Franconiæ inventorum, repletos esse per-

perſpexi. Hanc terram mollem & teneram, his antedictis corporibus incluſam, refero ad curſus aquarum mineralium, quæ iſta corpora eorumque cavitates permearunt, ibique terram mineralem, ex deſtructis pyritis relictam ſecumque vectam, depoſuerunt, vel inſtar ſedimenti reliquerunt.

f) Vid. *Conr.* GESNERVS de rerum foſſilium, lapidum & gemmarum figuris, p. 11. *b* Edit. Tigur. 1675.

§. XXXIV.

Succedat *Geodes a*), qui eſt globulus cavus prægnans, per effervescentiam exortus, lutoſæ & terrenæ ſubſtantiæ, per calorem ſubterraneum induratæ, in utero modo terram, modo lapillos gerens, interdum mobiles, interdum immobiles. Omnia, quæ de origine Aetitæ protuli, etiam ad Geodem applicari poſſunt, qui ab illo tantum ratione maſſæ differt, cum Aetites ſit lapidoſæ & utplurimum mineralis, Geodes vero lutoſæ & terreæ ſubſtantiæ. Geodes ſcilicet non niſi in ſtratis lutoſis invenitur, coloremque extrinſecus habet luti leviter cocti obſcure albicantem: intrinſecus pullum & fuſcum, & Aetita fragilior eſt. In utero gerit aut farinam lutoſam mobilem, aut lapillorum inſtar maſſam lutoſam compactam, modo mobilem, modo immobilem: omnem ex aquarum, uterum per poros ejusdem intrantium, beneficio acceptam. Forma externa magis adhuc quam Aetites luxuriat, pluresque variationes admittit. Dantur Geodæ perfecte ſphærici, oblongi, utrimque acuminati, hemiſphærici, ab una parte convexi, ab altera depreſſi, teſſulati *b*), cordiformes, pyriformes, raphanoformes, radiciformes, ramiformes, aliasque formas irregulares referentes, modo læves, modo variis tuberculis obſiti: plerique eorum ſunt polythalamii *d*).

a) Diſtinguo Geodam ab Aetita, quæ nomina promiſcue a multis Scriptoribus lithologicis uſurpantur. Sed diſtinguenda ſunt nominibus, quæ natura ipſa re ipſa diſtincta exhibet. Auctor Muſei Richteriani p. 220. ita diſtinguere videtur, ut, qui in utero lapillos

pillos gerit, *Aetites*, qui vero terram, quæ cimoliæ, ochræ vel argillæ ſimilis ſit, continet, *Geodes* appellandus ſit. Sed liceat mihi a Viro doctiſſimo aliisque eadem ſtatuentibus hac in re diſſentire. Ex hac deſcriptione difficile, immo impoſſibile foret, Aetitam a Geoda primo intuitu diſtinguere: ſed neceſſe erit, ut antea ejusmodi globulus manu vibretur, & attente audiatur, utrum terra, an lapillus in utero reſonet. Sed quid? ſi in illo terra cum lapillo ſimul reſonet? Scio equidem nonnullos tunc confugere ad vocabulum compoſitum, *Aetito-Geodam*; ſed quid tunc ſtatuendum, quando globulus ejusmodi continet terram vel lapidem immobilem? Neceſſe tunc erit, ut aut ſententia ſuſpendatur, aut globulus antea confringatur: quod ultimum tamen vix ubivis permittendum fuerit. Statuo igitur, differentiam Aetitæ & Geodæ non in maſſa interna in utero recluſa, utpote inviſibili; non in forma externa, utpote utrique communi, ſed in materia externa ipſius globuli quærendam eſſe. Globulus ventre lapidoſo Aetites: ventre vero terreo & fragili Geodes mihi appellatur.

b) Quos *teſſulatos* voco, quaſi ex teſſulis ſibi invicem horizontaliter ſuperimpoſitis, ſeu ex ſtratis ſuperſtratis conſtant, ita tamen, ut ſtratum ſuperius & inferius, puta in vertice & baſi, omnium minimum, & illud quod centrum ſecare videtur, omnium maximum ſit, reliquis ſtratis, a centro usque ad verticem vel usque ad baſin ſucceſſive decreſcentibus. Exemplum aſſervo hujusmodi Geodæ, ex agro Züllichoviæ eruti, qui globulum cordiformem refert, quaſi ex ſtratis cordiformibus compoſitum. Ipſe in lutifodina agri Schlotheimenſis inveni tres ejusmodi Geodas teſſulatos, in morem trianguli juxta ſe invicem poſitos, quorum ſtrata tamen magis figuram ovalem referunt. Omnes hi dicti Geodæ vibrati nullum indicium produnt materiæ mobilis intus recluſæ.

c) Hi Lithologis *Zingiberitæ* dicuntur, & in omnibus ſtratis lutoſis frequentiſſime inveniuntur: horum nonnulli, ſed admodum rari, terram mobilem, ex vibratione ſonoram continent, quales in lutifodina Sangerhuſana inventos adſervo.

d) Baier Oryctogr. Nor. p. 33. Geodas celluloſas vocat, non ſimplici tantum cavitate, ſed variis ſinubus aut cellulis inſtructos, terræque grumulis refertos. Huc refero lapides, quos natura panibus ſimilagineis æmulos finxit in Helwingii Lithogr. Angerburg. p. 26.

§. XXXV.

Globulus cryſtallinus ſeu *Venter cryſtallinus* ad hanc lapidum claſſem referendus eſt. Ventres cryſtallini *a*) ſunt globuli ut plurimum perfecte rotundæ figuræ, quorum cruſta externa itidem ferri compos, aut achatina, aut alius duræ ſubſtantiæ eſt; & qui in cavitate uteri cryſtallos continent, interiori lateri cruſtæ ſeu globuli adhærentes. In nonnullis cryſtalli adeo duræ & pellucidæ ſunt, ut adamantibus comparentur, & hinc ejusmodi ventres *globuli adamantini* dici merentur. Excellentiores ſunt, qui ad Mutſchenam *b*), villam agri Wurceni, & ad Leiſnitium *c*) inveniuntur. Ipſe uterus ſeu globulus effervescentiæ, cryſtalli vero intus incluſæ vaporibus ſubterraneis & ſedimentis aquarum, quæ cavitatem uteri penetraverunt, originem debent. Cryſtalli ejusmodi uterinæ abſolutiores & mobiliores ſunt, prout ſtrata lapidea, per quæ aqua, globulos ejusmodi impræegnans, fluxit, comparata fuerunt. Ex particulis quarzi puriſſimi cryſtallos, quas *Pſeudo-Adamantes* vocamus, pellucidiſſimas; ex aliis, quæ particulis heterogeneis mixtæ ſunt, & ex fluoribus, ſemidiaphanas; ex particulis calcariis vero opacas naſci mihi veroſimile eſt. Particulæ iſtæ quarzoſæ & calcariæ, in aquis ſtagnantibus, quieſcentibus incluſis, ex legibus principii cohæſionis, lateribus uteri aqua repleti adnatant, coëunt, & ex interventu ſalium, in corpora polygona & polyedra politiſſima efformantur & exaſciantur *d*). Hoc affluxu aquarum per longum tempus continuato, nova ſtrata cryſtallis modo dictis ſuperimponuntur, & ſucceſſive omne, quod reliquum fuit, ſpatium cavitatis, ex omni parte materia iſta cryſtallina repletur, ita ut ex tali globulo cavo ſucceſſu temporis perfecte ſolidus efformetur *e*). Origo harum cryſtallorum, uteris incluſarum, rationem oſtendit, etiam originem aliorum lapidum pretioſorum, involucris lapideis incluſorum, explicandi *f*).

a) Schevch-

a) Scheuchzer in Meteorolog. & Oryctogr. Helvet. P. III. p. 171. vocat Matricem cryſtalliferam, cryſtallis undique obſeſſam; Matricem cryſtallis egregiis diaphanis obſeſſam. Rzaczinsky in Auctuar. Hiſt. natur. Regni Polon. p. 50. memorat cryſtallos albas, rubras, luteas, matrici lapideæ incluſas. Woodward dans la Diſtribution methodique des foſſiles, p. 416. (juncta ejus Geographie phyſique) prolixe deſcribit cryſtallorum genus, quod vocat cryſtallum globoſam externe rudem & ſcabram, intus cavam, quæ cavitatem habet totam pyramidibus cryſtallinis obſitam. Globulos lapideos intus cavos & cryſtalliſatos ad pagum Thal-Ebra, Principatus Sondershuſani, invenit Clar. Rittervs; vid. ejus Supplem. Scriptor. ſuorum Hiſtorico-phyſic. p. 26.

b) Globus Achatis effractus, cryſtallis lucidis fartus, natus prope Mutinam oppidum, *matrix adamantum* dictus, in Richteri Muſeo p. 204. Conf. Mylii Saxon. ſubterran. Aëtites prope Motſchen inventus, in cavitate amethyſtos continens, deſcribitur a Kvndmanno, in Rarior. Naturæ & Artis, p. 195. Aëtites Motteſchanus, capiti humano ſimilis, rotundus & duriſſimus, cui flores cryſtallini quadranguli, ſpecie adamantum qui formati ſunt, adhærent, Kentmanni in Nomencl. rer. foſſil. p. 35.

c) Oblatus mihi fuit Lipſiæ venter cryſtallinus ſeu diamantinus, ex venis Leiſnicenſibus erutus, pro ſex thaleris venalis, magnitudine capitis infantis, in duo hemiſphæria ſectus, intus cryſtallis egregiis, pellucidis inſtar aquæ in glaciem congelatæ, obſitus. Globuli Chalcedonii Chemnicenſes & Zwickavienſes itidem cryſtallos ſolitarias & congregatas, aliisque inſidentes, oſtendunt. Huc pertinent Melones petrefacti montis Carmel, quos matrices marmoreas globoſas cryſtallorum eſſe probavit Breynivs, in Epiſtola de Melonibus petrefactis montis Carmel vulgo creditis p. 15.

d) Originem hanc cryſtallorum innuiſſe videtur Imperatvs Hiſt. nat. Lib. XXIV. C. 19. cum ſcribit: *Uterus cryſtallinus, ab aliis Aetites enydros dictus, humore gravidus, a quo condenſentur in gemmationes.* Modum hujus coalitionis cryſtallinæ experimento comprobavit Henckel in Pyritol. Cap. V. pag. 354. ſeqq. Aliam ſententiam foverunt *Georgius* Bagllvvs in Diſſ. de Vegetatione lapidum, & *Hyacinthus* Gimma, della Fiſica ſotterranea T. I. L. II. Cap. IX. Art. IV. §. 28. p. 84. ſtatuentes, cryſtallos, aliosque lapides

pides aliis lapidibus incluſos, primum coaluiſſe, & poſt demum corticem lapideum eosdem includentem. *Che ſe un corpo ſolido*, ſunt verba GIMMÆ, *e circondato dal altro corpo ſolido, quello è prima indurito, che dall' altro è contenuto; però in quelle pietre, in cui ſi veggono rinchiuſi criſtalli, marcheſite, ed altri corpi, ſono prima formati i criſtalli, e i corpi ſteſſi rinchiuſi. — — Che molte pietre, le quali a' Diamanti o ad altre gemme ſono ſimili, creſcono l' una ſopra l' altra: e quelle, que vi naſcono, laſciano una cavità in quella, in cui ſono creſciute.*

e) Aſſervo ventres cryſtallinos ex monte Arisbergenſi in confiniis Arnſtadii, cruſta fuſco-ferrea conſtantes, quorum nonnulli tantummodo a latere interiori cryſtallis ſolitariis obſiti ſunt, alii vero, cryſtallis inſidentibus congregatis & ſuperſtratis, omnem cavitatem plenarie exæquatam & infarctam oſtendunt.

f) BROMELL in Mineralogia & Lithographia Suecana Cap. VI. p. 43. refert, ipſos Adamantes exquiſitiſſimos cum aliis lapidibus pretioſis, veluti Rubino, Smaragdo, Topazio, Sapphiro, Chryſolitho & reliquis, pro nihil alio, quam pro puriſſimis, duriſſimis, nitidiſſimisque ſilicibus & cryſtallis habendos eſſe, qui ſub rudi velamine & vili facie externa maſſam ſuam nobilem & pretioſam abſconderent. Rubinos & Opalos Hungariæ ſilicibus pugni magnitudine incluſos memorat VENETTE l. c. p. 49. & 145.

§. XXXVI.

Peculiarem explicationem deſiderant *globuli achatini & chalcedonii.* In medium producam globulos achatinos, qui in ferri fodina aliisque ſtratis ad Ilfeldam Hercyniæ effodiuntur. Eandem habent originem, quam de ſupra dictis globulis indicavi. Ipſe globulus per effervescentiam intumuit; quæ vero in utero ejus inveniuntur, aquarum vel vaporum mineralium beneficio ibidem fuerunt depoſita. Clariſſimus & de materia lithologica meritiſſimus RITTERVS *a*) aſſerti noſtri documenta indubitata ſuppeditat, memoratque, Achatem caſeiformem, intus cavum & cryſtalliſatum, additque globos achatinos, inprimis majores (poſſedit autem ipſe quosdam, ſex, immo duodecim libras

libras ponderantes,) intus excavatos eſſe, exornatos autem cryſtallis angulatis, coloris vel albidi, vel rubri, vel flavidi, vel cœrulei, vel violacei, vel etiam viridis: interdum & cryſtallos pulvere ſubtili martis ſplendente conſperſas eſſe. Sed quid ſtatuendum de globulis achatinis & chalcedoniis perfecte ſolidis, intus variis zonis, lineis parallelis, & quaſi munitionibus militaribus, exornatis, & mirifica colorum varietate luxuriantibus? Tantum abeſt, ut non eadem ratione explicandi ſint iſti globuli, ut potius eorundem zonæ & lineæ colorumque varietates, originem modo dictam horum globulorum eo firmius corroborent, & quam clariſſime demonſtrent, has ipſas zonas & lineas, diverſimode coloratas, ex ſtratis diverſæ maſſæ diverſique generis, quæ aqua in his globulis hoſpitans tanquam ſedimenta depoſuit, originem traxiſſe. Ad manus eſt globulus achatinus Ilefeldenſis, ſolidus, diſſectus, lævigatus & politus, cruſtam & corticem habens ex fuſco Martis nigricantem, qui uterum ejus conſtituit efferveſcentiæ beneficio expanſum & induratum, in venis *b*) ferreis ibidem inventum. Hunc uterum aquæ vel vapores, particulis mineralibus minutiſſimis imprægnati, intrantes, lateri ejus adfixerunt, vel ibidem ceu ſedimentum reliquerunt primum ſtratum, quod eſt coloris Iaſpidis rubræ: ex iterato aquarum ejusmodi influxu, quæ aliis particulis quarzoſis & ſalinis gravidæ fuerunt, ſucceſſit ſtratum alterum, quod eſt coloris Carneolini; ex pluribus aliis aquarum, diverſimode gravidarum, ingeſtionibus inſecuta & prioribus adglutinata fuerunt alia ſtrata gracilia, ex cœruleo, carneo, albido, carneo aliisque coloribus, uno alterum ſucceſſive excipiente, variegata, punctulis ſanguineo-rubris hic & illic conſperſa, craſſitie ſtratorum ſucceſſive decreſcente, & tandem in tantam gracilitatem abeunte, ut quodlibet ſtratum lineam tantummodo conſtituat: deinde verſus centrum occurrit zona cryſtallina, ex cryſtallis albidis continuis ſibique invicem accuratiſſime contiguis & ſolidis, conſtituta. Ipſum centrum

replet quaſi minutiſſimum fortalitium, coloris carnei, lineis rubicundis munitum: & in hoc ipſo cernuntur multo minora vix nudo oculo conſpicienda, quæ tandem etiam oculo armato ſubjecta, in punctulum quaſi mathematicum deſinunt. Globulus iſte, quem ita deſcripſi, magnitudine ovum gallinaceum haud ſuperat: & nihilominus aliquot centenis linearum ſeu ſtratorum, a peripheria usque ad centrum, conſtat. Diminutio iſta ſuccedanea ſtratorum, quæ graciliora evadunt, quo propius ad centrum vergunt, argumento eſt, ſtrata iſta a parte peripheriæ, ſeu a parte exteriori globuli initium cepiſſe. Cum enim globulus ejusmodi per efferveſcentiam exortus ex omni parte clauſus fuit, nullus aquis alluentibus ad efformandum primum ſtratum in viſcera globuli patuit aditus, niſi per poros ejusdem. Neceſſe igitur eſt, ut particulæ quarzoſæ, quæ aquarum vel vaporum vehiculo utero hujusmodi illatæ fuerunt, teneriores ſint illis particulis mineralibus, quibus cruſta externa uteri conſtituitur. Quo teneriores iſtæ fuerunt particulæ; eo denſius efformatum fuit ſtratum, eo minores facti ejusdem pori. Conſequenter cum eadem ratio in formando ſtrato altero, tertio & ſic porro proceſſit, ut e.g. aquis & vaporibus mineralibus, qui quintum, ſextum ſtratum, & ſic porro efformare debuerunt, pori non ſolum cruſtæ, ſed etiam primi, ſecundi, tertii, quarti ſtrati permeandi & perforandi fuerint, neceſſe eſt, ut ſtratum quartum, quintum & ſic porro prioribus ſtratis longe denſius factum fuerit & longe minores poros acceperit, & ipſæ particulæ farinaceæ, quarzoſæ & cryſtallinæ, quæ iſta ſtrata conſtituunt, longe teneriores fuerint illis, quæ anteriora ſtrata efformaverunt. Quo plura in utero adpoſita fuerunt ſtrata; eo magis cavitas uteri coarctata fuit, eo minorem aquarum quantitatem in ſe potuit recipere: & quo magis in interioribus ſtratis, ut modo dictum eſt, pori coarctati & rariores facti fuerunt, eo rarius particulæ quarzoſæ & cryſtallinæ utero per poros vehiculo aquarum & vaporum ingeſtæ

geſtæ fuerunt, cum non niſi tenerrimis particulis & grumulis aditus patuerit, reliquis rudioribus & craſſioribus, ut ut aqua & ſubtiliſſimo vapore vectis, penitus excluſis. Ex præmiſſis igitur explicari poſſunt quantitas & qualitas horum ſtratorum, eorumque gracilitas, diverſitasque colorum, quibus zonæ & lineæ parallelæ in his globulis diſtinguuntur. Ex præmiſſis etiam veroſimile fit, vix aliquot ſecula ſuffeciſſe cavitati ejusmodi globuli achatini materia duriſſima, achatina, jaſpidea, chalcedonica, carneolina, cryſtallina, explendæ.

a) In Supplementis Scriptorum ſuorum hiſtorico-phyſicorum, p. 19.

b) Laudatus modo RITTERVS l. c. p. 16. globulos achatinos non modo ad latus fluminis Bæhræ, quos ſine dubio tempeſtates imbresque montibus abluerant, aqua vero Bæhræ ſecum abſtulerat, invenit, ſed etiam alios e ſaxis maximis, variis inſtrumentis exſculpſit: refertque, tales etiam in ipſis fodinis ferreis inveniri. Quando igitur WALLERIVS in Mineral. Claſſ. II. Ord. II. Gen. XI. §. 47. ſtatuit, omnes ſilices & Achates extra matricem in campis & in tumulis arenoſis, nunquam autem in ſtratis ſaxoſis inveniri; globuli achatini Ilfeldenſes ab hac regula eximendi videntur.

§. XXXVII.

Nec ſilentio prætereundi ſunt *globuli ſilicei*, qui videntur cum antedictis lapidibus eandem habere originis rationem. Brevitatis cauſa probabo ante omnia, dari lapides ſiliceos cavos, gravidos ſeu prægnantes; & perſuaſus ſum poſtmodum lectorem benevolum, vel horum globulorum intuitu, in determinanda eorum generatione, ea omnia admiſſurum, quæ de ventribus cryſtallinis, a quibus ſilicei non niſi cortice & velamine differunt, prædicavi. Aetitarum ſiliceorum ſpecimina longa ſerie exponit WOODWARDVS *a*). *Dezallierius* D'ARGENVILLIVS *b*) dividit ſilices in *cryſtalliſatos*, *tranſparentes & opacos*. Cryſtalliſatos diſpeſcit in duas ſpecies; prima exhibet ſilices cryſtalliſatos, aliis ſilicibus incorporatos, quorum ille, qui nuclei loco eſt, multum differat ab illo, qui iſtum tanquam cortex contineat,

neat, cum nucleus tantummodo ſit cryſtalliſatus: altera ſiſtit ſilices intus cavos, cavernam gerentes congelationibus & cryſtalliſationibus obſitam, quarum materia purior, exquiſitior & ſolidior ſit ipſa cruſta, hanc cavernam ambeunte. Tranſparentes dicit, qui ex omni parte unius ejusdemque materiæ ſint, duritie adamantes imitentur, & ſæpiſſime candore, puritate, igneque exſplendeſcente cryſtallos petrarum quammaxime ſuperent. Prædicta genera & ſpecies variis exemplis comprobat. Habemus hic ampliſſima documenta ſilicum cavorum gravidorum prægnantium. Globulus igitur ſiliceus ex mea hypotheſi per efferveſcentiam intumuit; nucleus vero cryſtalliſatus, & lateribus globuli internis inſidentes cryſtalli ſolitariæ ex influxu aquarum & ingeſtione vaporum, particulis tenerrimis quarzoſis & ſalinis imprægnatorum, originem traxerunt. Diviſio autem ſilicum D'Argenvillii in *cryſtalliſatos*, *tranſparentes* & *opacos* mihi non adæquata eſſe videtur. Nam quos *tranſparentes* dixit & a cryſtalliſatis diſtinxit, itidem ad cryſtalliſatos pertinent, & licet ſolitarii, præcipue ad fluviorum ripas, inveniantur, nihil tamen aliud ſunt, quam denſiſſimi, ſolidiſſimi cryſtallini nuclei, qui ex fractis globulis ſiliceis aquarum fluctibus excuſſi fuerunt. Vt enim cryſtallus rupium priſmatica omnium lævigatiſſima eſt, attamen ex innumeris minutiſſimis triangulis cryſtallinis conſtat *c*); ita etiam cryſtallus iſta globoſa, tranſparens & diaphana, præſertim cum nullo cortice velata ſit, pro cryſtallo, ex ſubtiliſſimis particulis cryſtallinis anguloſis in utero globuli ſilicei conflata, haberi poteſt. De ſilicibus opacis quæſtio eſt altioris indaginis, num eorum globuli efferveſcentiæ accepti referendi ſint. Pro negativa militare videtur ejusdem D'Argenvillii *d*) aſſertum, referentis, globulos ſiliceos communes præditos eſſe poris arctiſſimis materia lapidum duriſſima, textura usque ad centrum unitiſſima: in maſſa ſua interna nec zonas, nec ſtrata, nec lamellas, nec granula oſtendere, ſed tantummodo cruſta & involucro lapidoſo

pidoſo cinctos & amictos eſſe. Sed quotusquisque tam viles lapides, qui ad plerosque rivos & flumina, ad littora maris & in omnibus ſabulariis inveniuntur, exacte perquiſivit, & ſufficientem copiam eorundem confregit? Affirmativam ut amplectar, me multæ graviſſimæque inducunt rationes, ſtatuoque, & hos ſilicis communis globulos opacos originem ſuam ad efferveſcentiam referre. BOVRGVETVS *e*), fide digniſſimus Auctor, etiam in hoc genere lapidum plures invenit, cavitatem in utero gerentes, eamque vel cryſtallis, vel arena, vel lapillis repletam. *On trouve*, ſunt verba ejus, *dans les couches de ſable quantité de maſſes plus ou moins arrondies, ou de figure irreguliére, dont la matiére eſt du ſable lié en Pierre, & dont l'interieur eſt ſouvent rempli de cryſtaux, auxquels les Italiens ont donné le nom de* ventu cryſtallini. *D'autres ſont vuides, & d'autres ont dans leur milieu quelque peu de ſable fin, un petit caillou, &c. Il n'y a presque aucune couche de ſable un peu groſſier, ou l'on ne trouve de cette eſpece de Pierres: mais les plus curieuſes ſont celles, qu'on voit dans une montagne de Bologne, & dans un Ruiſſeau, qui en deſcend, qu'on nomme* Rio delle Maraviglie, *a cauſe de la forme ſinguliére de ces Pierres, qu'*ALDROVANDI *a decrit dans ſon* Muſeum metallicum *ſous des noms fort bizarres.* Hic locum ſibi etiam vendicat RITTERI *f*) ſilex diffractus, in cuius alveolo optimi cryſtalli adparent. Addo, in Suecia ex diverſis tumulis arenoſis ſpeciem ſilicum rotundorum effodi, qui diſrupti pellucidiſſimas cryſtallos in ventre oſtendunt *g*). Plura de his globulis ſiliceis infra notabo.

a) WOODWARD Geographie phyſique p. 405. Et on Attempt towards a Natural Hiſtory of the foſſils of England P. I. T. I. Huc pertinet lapis forma nucis amygdalinæ in ſilice inventus KENTMANNI, in Nomenclat. rerum foſſil. p. 36, Tigur. 1565.

b) Hiſtoire naturelle dans ſes deux premiers parties, la Lithologie pag. 48.

c) BOURGUET dans les Lettres philoſophiques, Lettr. II. p. 43. Ante ipſum VENETTE dans le Traité des pierres Chap. III. Art. IV. p.

41. eadem & plura de ſilicibus obſervavit : *On trouve des cailloux de figure irreguliere, bruts & transparents dans les terres ſabloneuſes de Xaintonge, d'Alençon, de Piſe & de Boheme. Il y en a de maſſifs, de creux, & de percées au milieu, comme un anneau. Les creux ont ordinairement au milieu une goute d'eau & presque toujours au dedans de petites pointes à facetes taillées naturellement en pointes de diamant.*

d) D'ARGENVILLE l. c. p. 60.

e) BOURGUET l. c. dans la Memoire ſur la Theorie de la Terre §. 36. p. 204.

f) In Oryctograph. Goslar. p. 22.

g) BROMELL in Mineralog. & Lithogr. Suecana Cap. VI. §. 3. p. 42.

§. XXXVIII.

Quod *ſilices igniarios* ſeu *culinarios* dictos, attinet, notiſſimum eſt, eorum plerosque, quando primum ex ſtratis terræ eruuntur, rotundos & ſphæricos inveniri adeoque illos, qui variæ & irregularis figuræ in agris, tempeſtatum injuriis expoſiti, reperiuntur, pro meris eorundem fragmentis reputandos eſſe cenſeo. WALLERIVS *a*) eosdem ex materia mucilaginoſa, inſtar Succini, coagulatos eſſe ſtatuit. Aſt Succinum, quam interdum habet formam rotundam, ex deſtillatione accepit: ſed neſcio, qua ratione ejusmodi deſtillatio ad originem ſilicum igniariorum applicari poſſit. Dum etiam in hoc genere lapidum ſpecimina varia, figuræ globoſæ, & interdum inſignis magnitudinis inveniuntur, quæ intus cavitate, ut ut haud vacua, attamen materia heterogenea repleta, exornata ſunt; ſtatuo etiam ſilices igniarios rotundos ex concurſu liquoris acidi cum materia alcalina per effervescentiam formatos fuiſſe. Apud Lithologos quidem nullam inveni mentionem globulorum ſiliceorum intus cavorum, vel in cavitate materia heterogenea repletorum: plerique enim iſtorum lapidibus tantummodo nobilioribus & ſic dictis figuratis intenti ſunt, & reliquos tanquam

quam ignobiliores & vulgares vix pedibus proculcare dignantur; at enim dantur etiam ſpecimina ejusmodi globulorum ſiliceorum, in cavitate uteri materia heterogenea repletorum *b*). Ad Obhuſam, villam Principatus Querfurtenſis, inveniuntur globi ſilicei, magnitudine inſigni, viginti libras plus minus ponderantes, obducti cortice vel velamine albo griſeo, conſtantes materia cornea ſolidiſſima, nigricante, intus ſucceſſive in colorem obſcuro-badium & albo-griſeum exeunte, continentes nucleum, textura & varietate maſſæ colorumque diverſitate memorabilem. Quod texturam attinet, videtur conſtare partim ex multis triangulis & hexangulis pellucidis rubicundis & purpureis, quos rubinos & granatos dixeris; partim ex lamellis rhomboidalibus & ſpathicis ejusdem coloris rubicundi, purpurei & ruffi, obductis hinc illic vapore tenerrimo aurantio, ut videtur pyritoſo (*mit einem zarten goldgelben Kies-Beſchlag*) partim ex particulis continuis quarzoſis, coloris lutei & carnei, Achatem ſeu Sardum referentibus. Ex lutifodina Sangerhuſana tribus abhinc annis civis quidam extraxerat ſilicem prægrandem globoſum cinerei coloris, & in proxima caupona depoſuerat, domum, ſi vacaret, illum relaturus. Amici eius nonnulli ibidem compotantes, ludicri & per jocum globum iſtum ſiliceum in multa fruſtula confringunt, eademque uſibus domeſticis inſervitura ſecum abripiunt. Civis reverſus a præfecto cauponæ globum iſtum ſiliceum depoſitum repetens, ubi illum diſcuſſum & ſubreptum audivit, vehementer dolens, cauponæ præfectum in jus vocat, aureumque Hungaricum pro abrepto ſilice poſtulat, prætendens, lapidem iſtum medullam & nucleum continuiſſe auri divitem. Ego hac in cauſa Iudex ordinarius, accurata inquiſitione adhibita, cum fragmentum majus diſcuſſi globi ſilicei adlatum eſſet, cui adhuc inſignis portio dicti nuclei adhærebat, certo certius perſpexi, nucleum iſtum quarzoſum, obſcure albidum, undique minutiſſimis grumulis flavis ochraceis variegatum, neutiquam auri compotem eſſe,

eſſe, & partibus litigantibus amicabiliter compoſitis, fragmentum illud ſiliceum, cui Orthoceratites concameratus, cum ſiphunculo medium axem tranſeunte, incluſus erat, in Muſeo meo aſſervavi. Ipſe alium globum ſiliceum medioxumæ magnitudinis ad Widerſtadium, Comitatus Mansfeldenſis, inveni, qui, malleo diſruptus, in utero minutiſſimas cryſtallos mirifice exſplendeſcentes geſtabat. Non dubito, quin materia iſta heterogenea, in ſilicibus culinariis inventa, adminiculo vaporum ſubterraneorum & aquarum circumfluentium, variis ſubtiliſſimis particulis mineralibus gravidarum, uteris eorundem intruſa fuerit atque ingeſta.

a) WALLERIVS in Mineralog.

b) *Gottlob Burcardus* GENZMERVS, Rever. Miniſt. Candidatus, Principumque juventutis Sereniſſimæ Gentis Megapolitano-Strelitienſis, Præceptor, lapidum figuratorum, & inprimis corporum heterogeneorum, pyromachis lapidibus incluſorum, conquiſitor & indagator aſſiduus, per literas me docuit, ſe multa millia lapidum iſtorum igniariorum confregiſſe, eorumque ad ripas Albis fluminis multa inveniſſe ſpecimina, figura rotunda, & intus cavitate prædita, quorum cavitas aut inanis, aut materia cretacea aut aliis ſiliculis igniariis, lateribus adhærentibus & hinc immobilibus, repleta fuerit. Adjecit laudatus GENZMERVS, ſe poſſidere Aetitem ex maſſa ſilicis igniarii conflatum, rotundum, callimo prædituin, ex vibratione reſonantem, in inſula Helgolandia maris Balthici inventum.

§. XXXIX.

Locum etiam ſibi hic jure meritoque vandicat *Bezoar mineralis*, qui eſt lapis rotundus, ex multis quaſi involucris compactus. Talem in agro Norico inventum deſcribit BAIERVS *a*), cujus ipſa verba hic adponam: *Cruſtoſa vero terra elegans in lutifodinis noſtris & inter arenulas rivuli ad molam Bretthal reperitur, quam* ὁ μακαρ τη *D. D. Maur.* HOFFMANNVS *noſter* lapidem *vocat* miniatum, *ideo forſan, quia paulo eſt durior & quarundam cruſtarum*

colore

colore minium mentitur. Ejus quandoque viginti poſſunt numerari cruſtæ, ſibi invicem ſuperinductæ, conſimili modo, ut in lapide Bezoar apparet, centrum poſſidente vel ejusdem conſiſtentiæ nucleo, vel pulvere non diſparis naturæ & coloris. Eſt autem color, præter dictum miniatum rariorem, vulgatior luteus aut ochreus, martialem arguens genium, qui clarius ſe prodit uſtione inſtituta, hinc enim jucunde ruffeſcit, & rubricæ æqualis evadit b). Originem hujus lapidis explicaturus, ſtatuo, in terra prædicta ferri compote, per effervescentiam intumuiſſe globum lapideum valde poroſum, hocque ipſo dein ex calore, vel ex aëre ſubterraneo, vel ex interventu ſalium indurato, per poros ejus laxiores in cavernam lapidis intraſſe aquas particulis terrenis & lutoſis gravidas, quæ ex lege cohæſionis lateribus dictæ cavernæ internis adhæſerunt, eodem modo, ut ſupra in globulis achatinis originem diverſarum zonarum & linearum parallelarum explicavi. Hocce igitur actu ſucceſſive multoties repetito, diverſæ internæ cruſtæ lateribus uteri ſubinductæ fuerunt, tandemque ob formationem tot cruſtarum, poris externi globuli pedetentim coarctatis, non niſi tenerrimis particulis vitriolicis, ſeu terræ mineralis, ex deſtructo pyrite reſiduæ, in ima penetralia ventris aditus patuit.

a) Baier in Oryctogr. Nor. Cap. III. p. 21.

b) Bocco & Aldrovandvs lapidem Bezoar mineralis inter Geodas collocaverunt, referente *Hyacintho* Gimma della Fiſica ſotterranea Tom. I. L. IV. Cap. VIII. Art. 8. p. 498. qui eosdem lapides ita deſcribit, ut quilibet illos in numero Geodarum reponendos ſtatuerit. Ita vero verba ejus habent: *Sono pietre groſſe quanto un' avellana, bianche o cenericcie, diſpoſte a tuniche, a guiſa di cipolle, come il Bezoar animale. Nel loro centro ſi vede un mucchio di arena, un ſaſſo, una pietra nera, come carbon foſſile, ed alle volte una picciola lumaca. Prendono varia ed irregolare figura dal ſito, o dalla cavita, ove ſi producono, o dalla baſe.*

§. XL.

Lapidibus Bezoar mineralis haud abſimiles eſſe videntur *Calvariæ minerales* KIRCHERI *a*), ex plurimis corticibus conſtantes, quas & *Enoſtos* appellat, earumque originem ita deſcribit: *Ubi natura diſpoſuit montes argillaceos, & arenaceis glebis permiſtos, in horum plerumque radicibus hujusmodi lapides, omnis generis formas exprimentes, effodi ſolent; hæc autem naturæ artificio fiunt. Tempore pluviæ & imbrium argillacea materia ſi rotundo lapidi circumdetur, fit, ut hæc maſſa, aquarum defluxu delata, paulatim per declivitatem montis decurrat, & quoniam ſemper lutoſam terram obviam una ſecum involvit, hinc fit, ut, lutoſæ argillæ agglomerata materia, devolutione ſua novis ſemper & novis veluti corticibus veſtiatur, quæ in fundum delatæ, ibidem ſucceſſu temporis humiditate conſumta, natura loci cooperante, tandem in glumum ſaxeum convertuntur, parvum, magnum, maximum, pro majore vel minore materiæ agglomeratione, qui glumi deinde diſſecti, corticibusque evolutis, tot calvarias, quot cortices ſunt, exprimunt: quas imperiti artis naturæ, ab oſſeæ materiæ ſimilitudine, calvarias Gigantum dicunt. Qui vidit ex montibus convolutos niviūm globos ſemper ex agglomeratione nivis majores & majores, is de lutoſa lapidum agglomeratione facile judicium feret.* Hactenus KIRCHERVS. Dubito, an argumentatio ab agglomeratione nivis ad agglomerationem lutoſam calvariarum recte procedat. Ego eandem originis rationem ipſis ſtatuo, quam lapidi Bezoar minerali §. præced. attribui.

a) *Athan.* KIRCHERI Mund. ſubterr. Tom. II. Lib. VIII. Sect. II. Disqu. II. p. 61.

§. XLI.

Oſteocollæ etiam hic merito jureque ſuo locum ſibi vendicant. Sunt lapides concavi conici, radiciformes & ramiformes, in concavitate medulla farinacea præditi, quæ linguæ adhæret, & facillime aquis diluitur *a*). Propius origini Oſteocolla-

collarum accedit deſcriptio præſtantiſſimi Phyſici, *Iohannis* GESNERI *b*), *qui eas vocat petrificata ramoſa calcaria, arenacea, argillacea, corruptarum in terra radicum ſedem occupantia*, Oſteocollæ & Stelechitæ *dicta.* Nolo diverſiſſimas variorum Auctorum ſententias coacervare, qui Oſteocollas pro vegetatione ſubterranea, aut pro oſſibus petrefactis, aut pro incruſtatione quadam habuerunt. Quam proxime originem Oſteocollarum tetigit HELWINGIVS *c*), qui obſervavit, *margam, qua quidam mons Pruſſiæ totus ſabuloſus ſcatet, radices pineas, prima vegetatione ſibi infixas & innatas, jam autem exciſis arboribus emarcidas factas & fere exſiccatas, luto ſuo margaceo, imbrium beneficio emollito & diluto, initio tenuiter oblinire, atque exſiccatione materiæ oblimatæ per aëris calorem alternantem inſecuta cruſta quadam obducere, deinde toties toticsque repetito affluxu liquidi margacei iterum per vices indurare & magis magisque augmentare.* Ex ſententia igitur HELWINGII Oſteocollæ eſſent radices pineæ emarcidæ atque exſiccatæ, maſſa margacea incruſtatæ. Clariſſimus *Iob. Gottſchalck* WALLERIVS *d*) Oſteocollam vocat *Rizolithum radicis Populi nigræ*, obſervatque, radices hujus arboris, ſtrato arenaceo infixas, exciſa arbore ſtatim incipere in lapidem tranſmutari. Celeberrimus LEHMANNVS *e*) in monte arenario, ad balneum Freyenwaldenſe, in arena candida invenit Oſteocollas radicibus herbarum Convolvuli ſylveſtris flore albo, & Clinopodii minoris, circumjectas; ad radices vero pineas marcidas, ibidem etiam obvias, Oſteocollas plane non invenit. Ex præmiſſis igitur conſtat, ad productionem Oſteocollæ requiri radicem marcidam cujusdam vegetabilis, materiæ margaceæ, argillaceæ & arenariæ, aut tertiæ ex duabus vel tribus his mixtæ, infixam: modus autem efformationis non in nuda cohæſione materiæ radici circumjacentis, quam figura regularis conica in parte exteriori dura & lævigata non admittit: nec id incruſtatione, quæ in compage terræ ſolida, cui radices infixæ ſunt, impoſſibilis eſt; ſed in effervescentia, quærendus eſt. Nullum dubium eſt, quin ra-

dices hic requirantur ſufficienti copia ſalium acidorum præditæ. Quibus ſalibus per irrigantes aquas elixatis, in circumjacente terra alcalica conveniente & propria, ſive arenacea, ſeu margacea, ſeu argillacea, ſeu mixta, oritur efferveſcentia, quæ portionem radicibus circumjectæ materiæ liquefacit, & figuræ radicum convenienti modo efformat, coagulat & indurat. Inveniuntur autem Oſteocollæ, partim quibus adhuc radix inſidet, partim aliæ, quæ iſta radice, vel avulſa, vel per putredinem abſumta, carent. Iſtæ ſunt vel inanes, vel intus in cavitate tenerrima materia repletæ, pro ſubſtantia matricis, vel margacea, vel argillacea, vel arenacea, vel ex una & altera mixta. Materia iſta tenerrima per filtrationem aquarum affluentium per poros maſſæ concavæ utero ejus ingeſta fuit. Ea, quæ jam dixi, illuſtrant Oſteocollæ Viadrino-Francofurtanæ a doctiſſimo *Friderico* CARTHEVSERO *f*) ita deſcriptæ: *Plurima eorum ſemiperforata deprehenduntur, ita quidem ut dimidia cavitatis fiſtuloſæ pars ſubſtantia quadam terreſtri, quæ cortice utplurimum mollior atque pallidior eſt, repleta ſit.* Eadem in Oſteocollis Marchicis obſervavit celeberr. GLEDITSCHIVS, licet generationem hujus foſſilis eodem modo procedere ſtatuat, quo ligna petrefacta fieri ſupra §. XVII. memoravimus *g*).

a) GIMMA della Fiſica ſotteranea T. II. L. V. cap. 21. p. 248.

b) GESNER Diſſ. de Petrificatorum different. Th. VIII. p. 12.

c) HELWING in Lithogr. Angerburg. Claſſ. I. Sect. 3. p. 43. ſqq.

d) WALLERII Mineralog. Claſſ. IV. Ord. 2. §. 140. p. 426.

e) *Ioh. Gottlob* LEHMANNS *hiſtoriſche und phyſikaliſche Nachricht von dem Freyenwaldiſchen Bade, Alaunwercke &c. in phyſikaliſchen Beluſtigungen* St. VII. p. 508. St. IX. p. 718. Idem *in der Abhandlung von den Metall-Müttern und der Erzeugung der Metalle* p. 250., plures arborum fruticumque ſpecies enumerat, quorum radicibus Oſteocolla circumvoluta fuit.

f) CARTHEVSER in Rudimentis Oryctograph. Viadrino-Francofurtanæ p. 50.

g) Cette

f) Cette ſubſtance eſt plus rare au milieu, & vers l'ecorce plus dure, & en quelque ſorte graveleuſe. Vid. GLEDITSCHII Obſervations ſur la veritable Oſteocolle de la Marche de Brandenbourg, §. 17. quæ obſervationes inſertæ ſunt a l' Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences & belles lettres de Berlin, Ann. 1748. p. 40. His ibidem p. 52. ſqq. ſubjectæ ſunt Experiences chymiques faites ſur l' Oſteocolle de la Marche par M. MARGGRAF.

§. XLII.

Mitto alias ſpecies globulorum lapideorum, terris lapidibusque prægnantes: & ad *globulos* convertor, *qui ſalia in utero recludunt.* Deficientibus aliis exemplis ad *pyritas globoſos* provoco, qui metallico-ſalſa continent. Frequentes occurrunt noduli pyritacei variæ magnitudinis. In plerisque venter ſive cruſta eſt ferruginoſi & æruginoſi coloris: maſſa vero interna colore ex ſubviridi luteo: conſtans in nonnullis ſtamine continuo ſolido, in plerisque autem fibris innumeris ex centro ad peripheriam tendentibus. Exempla ſuppeditant Muſea; & longa eorundem enumeratio in WOODWARDI Catalogo foſſilium Anglicorum *a*) evolvenda. Accedunt ſpecimina globulorum pyritaceorum intus cavorum & maſſa vel homogenea, vel heterogenea repletorum. Pyrites rotunda ſeu depreſſa lenticulari figura, extus colore obſcure fuſco memoratur WOODWARDO *b*), qui in alio pyrite hemiſphæricæ figuræ incluſus fuit, in morem glandis capſulæ ſuæ incluſæ. Eidem memoratur *c*) Pyrites rotundus, ſubſtantiæ uniformis & non ſtriatæ, in cujus centro recondita eſt maſſa Spathi ſemipellucidi, craſſitie nucis moſchatæ. HENCKELIVS *d*) etiam mentionem facit nodulorum pyritaceorum, in ventre maſſa quarzoſa, aut ſelenitica, aut ſpathoſa præditarum. Alio loco *e*) aliorum meminit cavernoſorum ſeu intus aliqua ex parte vacuorum. Quæ deſcriptiones omnes indicio ſunt, formationem ejusmodi globulorum pyritaceorum eadem ratione, ac in Aetitis & Ventribus cryſtallinis explicandam eſſe. Quando enim terræ ferri compoti, per ſe alcalicæ

(ſupra §. XXXIII.) acidum minerale admixtum fuit; producitur per efferveſcentiam globulus ferrugineus, intus cavus. Poſtmodum aquæ mineraliſatæ, ſeu particulis terreſtribus, ſulphureis & ſalinis gravidæ, vel etiam vapores ſubterranei iisdem particulis ſaturati, ventrem ejusmodi globuli per poros ejusdem intrant, ibidemque, quam ſecum vexerant, maſſam deponunt, quæ, dum ſalibus abundat, in texturam filamentoſam, ſtriatam, radiatam expanditur, cujus ſpicula ſeu radii a centro ad peripheriam divergunt. Spathum in centro ſupradicti pyritæ detectum aperto indicio eſt, ventrem ejus primitus cavum, ſpathum autem per aquas permeantes poſtmodum fuiſſe ingeſtum. Experientia quotidiana conſtat, in globulis pyritaceis plerisque auræ expoſitis maſſam illam internam filamentoſam prius in pulverem redigi, & poſtmodum etiam corticem globuli ipſum diſrumpi & dilabi. HENCKELIVS *f*) huic experimento explicando multum operis, ſed fruſtra, inſumſit: id quod tamen ex mea hypotheſi facillime poteſt reſolvi. Particulæ iſtæ filamentoſæ, intus recluſæ, poſt formationem globuli per poros ejusdem ventrem intraverunt: conſequenter particulæ iſtæ teneriores ſunt illis, quæ corticem conſtituunt. Cum autem aër æquali facilitate, immo adhuc facilius quam aqua, poros corporum permeare poſſit: neceſſe eſt, aërem pyritæ fatalem & noxium, filamentoſam ejus internam partem prius deſtruere, quam exteriorem ejusdem corticem. Quæ de formatione globulorum pyritaceorum ſtatui, eadem ad pyritas botro cerebrove ſimiles applicari poſſe exiſtimo. Ad hanc claſſem etiam referendi ſunt globuli lapidei intus ſulphure vivo repleti. *Sulphur cinereum vivum in cortice griſei coloris: & Cinereum vivum in cortice cinereo lapidoſo* KENTMANNI *g*). *Globuli aluminoſi* IMPERATI *h*).

a) Attempt towards a Natural Hiſtory of the Foſſils of England P. I. T. I. p. 173 — 178.

b) Ibid. p. 176. A Pyrites-placed in the Cavity of another of an hemiſpherie Figure in much the ſame manner, as an Acorn in Cup.

c) Ibid.

c) Ibid. p. 173. In the very centre of the Ball is a Lump of white ſemi-pellucid Spar of the bigneſs of Nutmeg.
d) Henckel Pyritolog. Cap. VIII. p. 459.
e) Ibid. Cap. XIV. p. 879.
f) Ibid. l. c.
g) In Nomenclat. rer. foſſil. Tit. II. p. 17. *b*)
b) In Hiſt. Nat. L. XXIV. c. 27.

§. XLIII.

Alios globulos bitumina continere ſupra dixi. Nuſpiam in libris lithologicis globulos ejusmodi bitumine prægnantes inveni. Nolo huc referre globulos Succini, veſte ſeu cortice Succini diverſi coloris indutos Woodwardi. *a*) Rotunditatem enim eos magis deſtillationi Succini ex rupe in aquas, quam efferveſcentiæ debere, corticemque diverſi coloris ab impulſu aëris ſeu aquæ frigidæ accepiſſe, mihi perſuadeo. Certior tamen factus ſum a minerarum foſſoribus, in fodinis lithanthracum Wettinenſibus, præter largos globulos, piſces & herbas in ventre recludentes, ibi etiam inveniri globulos, in cavitate ſua aſphaltum ſeu bitumen aſſervantes. In ſtratis lutoſis, qualia carbonum foſſilium ſtrata ab initio fuerunt, per acceſſionem acidi mineralis, quod in bitumine & ſulphure latet, ex quibus venæ carbonum iſtorum conſtant, efferveſcentiam oriri & exhinc globulos ejusmodi ibi coaleſcere potuiſſe, admodum veroſimile eſt.

a) l. c. p. 167. Amber a Nodule inveſted with a Coat, call'd Rock-Amber.

§. XLIV.

Aſſerui denique (§. XXIX.) globulos lapideos prægnantes mineras in ventre continere. Mitto jam globulos pyritaceos, de quibus jam §. XLII. actum fuit. Aliæ etiam mineræ nobiliores in ventre talium globulorum reperiuntur. Muſeum Richterianum *a*) oſtendit *quarzum cavernoſum, cui aurum ineſt, & b*) *Hemi-*

Hemiſphæricum cryſtallinum, cujus nucleus eſt Cobaltum cum pyrite. Aetitas Cyprios aurum in utero ferre teſtatur JONSTONIVS in Thavmatographia Naturæ *c*).

a) pag. 4.
b) pap. 174.
c) Referente BAVSCHIO in Schediaſm. de Lapide Aetite. Lipſ. 1668. pag. 28.

§. XLV.

Globulos lapideos per efferveſcentiam productos ſupra (§. XXIX.) diſpeſcui in *cavos* & *ſolidos*. De cavis jam abunde differui: nunc de ſolidis tractatio incipienda. *Globuli ſolidi* ſunt, qui intus cavitate carent, & per integram maſſam denſitate corporis gaudent. Solidi in duas dividi poſſunt ſpecies, quarum una ex una eademque maſſa conſiſtit: altera, quæ corpora peregrina includit. Hæc ſpecies a globulis cavis prægnantibus, v. g. Aetitis, in eo differt, quod Aetitæ & alia ſimilia corpora, materiam peregrinam in cavitate gerentia, illam ab extra ab irruentibus & ventrem intrantibus aquis receperint, altera vero modo dicta ſpecies ipſo efferveſcentiæ actu alia peregrina corpora ſolida amplexa fuerit, & involucro lapideo incluſa, in unum corpus ſolidum rotundum ſeu globoſum redegerit. Rem exemplis illuſtrabo.

§. XLVI.

Ad Nermsdorffium, Ducatus Saxo-Coburgenſis, inveniuntur cornua Ammonis ſtriata in globulis ſolidis & firmis argillaceis, qui inſtar marmoris conchiferi polituram admittunt, incluſa. In vernacula appellantur *Cornu Ammonis-Kugeln*. Ad monaſterium Banz, Epiſcopatus Bambergenſis, effodiuntur globuli pyritacei, itidem in ventre Cornua Ammonis ejusdem formæ occludentia. Huc ſine dubio etiam pertinet *Ophiolithus* BOYLEI, ſeu ſilex, in quo ſerpens petrefactus, bene expreſſus, & in gyros contortus, ſine capite tamen, latuit, diverſa lapi-

dis

dis maſſa a ſilice includente *a*). Iſte ſerpens petrefactus ſine capite nihil aliud fuit quam Ammonites. Cornua iſta Ammonis conchylia fuerunt marina: qua ratione potuerunt ingredi ventrem ambientis globuli marmorei, ſilicei ſeu pyritacei? Huic phænomeno explicando ſtatuo, conchylia iſta jacuiſſe in medio terræ alcalicæ, & hanc ex adventu fluidi acidi efferbuiſſe, ita ut interjacentem concham involucro globoſo humido, quod poſtmodum in lapidem induravit, obtegerit.

a) Referente GIMMA della Fiſica ſotterranea Tom. I. L. I. Cap. IX. Art. IV. §. 28. p. 84. *Il Boile avea una ſelce, in cui vi era un ſerpente bene formato ed intortigliato, ma ſenza capo, ed era di altra ſpezie di pietra e piu chiara, tanto che prima era ſtato convertito in pietra.*

§. XLVII.

In agro Gerano Gryphitas in lapidibus caſeiformibus incluſos inveniri, memorat variis ſcriptis clarus, eruditus mercator Geranus, *Tobias Conrad* HOPPIVS *a*). Silex rotundus, in cujus ventre repoſita fuit teſta cujusdam bivalvis, memoratur WOODWARDO *b*). Idem *c*) mentionem facit Echinitæ in cavitate ſilicis igniarii reconditi. Huc pertinent: Globulus argillaceus conchis & cochleis varii generis refertus, ex Oceano ſeptentrionali in littus Friſiæ orientalis rejectus, *Muſei Myliani d*). Dimidia pars Aetitæ ochraceo-martialis, cujus callino impreſſus eſt Pectunculites, ex puteo aluminoſo Freyenwaldenſi, ejusdem Muſei *e*). Globus calcareus fuſiformis, ex lapidicina Kockenburgenſi, ditionis Querfurtenſis, in quo fragmentum piſcis cum ſquamis & pinnis præclare exponitur, dicti Muſei; cujus alios nodulos, corporibus peregrinis prægnantes, ſilentio prætereo.

a) *In Schreiben von dem verſteinerten Holtze zu Coburg, in phyſikal. Beluſtig.* St. IX. p. 705.

b) On Attempt. l. c. P. I. T. I. p. 53.

c) Ibid. P. II. p. 71.
d) Vid. Catalog. Auct. ejusd. Musei. Berol. 1755. p. 137.
e) Ibid. p. 137.

§. XLVIII.

Huc pertinet etiam *Cancer Iaponicus*, *Pagurus Iaponicus dictus*, eo *quod in litoribus Iaponicis reperiatur. Si enim frangantur glebæ, colore argillaceo, duritie silicea, ejusmodi cancri in lapidem conversi deteguntur a).*

a) Museum Richter. p. 252. Bonanni in Mus. Kircher. Cap. VI. f. 200. Lesser Lithotheol. §. 380.

§. XLIX.

Inprimis hypothesi meæ stabiliendæ inserviunt *Globi nigro-cinerei*, qui in stratis carbonum fossilium Wettinensibus, Manebacensibus, Ilmenaviensibus, aliisque inveniuntur, & in meditullio sive centro pisces herbasque continent: metallorum fossoribus in vernacula: *Fisch- Schwülen*, *Kräuter- Schwülen*, sive *Fisch- und Kräuter- Nieren* dicti. Mylius in *Memorab. Saxoniæ subterraneæ a)* varios ejusmodi globos, piscibus aut herbis refertos, in puteis Ilmenaviensibus inventos, recensuit & delineavit. Ego ipse in Museolo meo varios ejusmodi globos ex fodinis Ilmenaviensibus adservo: unum egregiæ magnitudinis, in quo Rhombus (*eine Scholle*) conspicitur: alterum, in quo caput eximii Lucii cum maxillis spinisque coruscat: alios integros pisces decussatim sibi invicem impositos: alios nescio quos vermes; alios denique vegetabilia referentes. Museum Deckerianum multa egregia specimina ejusmodi globulorum, pisces & varia vegetabilia in utero recludentium, ex fodinis Wettinensibus depromtorum, ostendit *b*). Huc pertinet planta epiphyllosperma in dimidio saxo oviformi, sive extus convexo, ex fodinis Novocastrensibus Angliæ *c*).

a) P. I. P. 47. fig. I. p. 48. & p. 74. fig. 2. 4. 5. & pag. 50. hæc habet: *Sonst sind gar offters auf und in denen Nieren allerhand Kräu-*

ter

ter, Blumen, Korn-Aehren, Rosmarin-Zweige — — Die Fiſche, ſo ſich ehrmalen auf denen Nieren gezeiget, ſind oben erwehnet worden, Krebſe, Frœſche, See-Schnecken und Muſcheln aber ſind billig noch beyzufügen.

b) Vid. *Vollſtændiges Mineralien-Cabinet, ſo Herr Auguſt Heinrich* DECKER *beſeſſen*, ex deſcriptione & editione Celeb. *Ioh. Loach.* LANGII, Halæ 1753. ubi p. 123. globi Wettinenſes ita recenſentur: 16. *Stück Schwielen oder Nieren, ſind runde længliche flache Klumpen, in denen, wenn ſie glücklich aufgeſpaltet werden, ſich Fiſche, Kræuter und andere Dinge befinden. Unter dieſen ſind* 11. *Stücke mit Fiſchen, deren jedes complet doublett*, 4. *mit Vegetabilien*, 1. *mit einem Fiſche und Vegetabili.*

c) Delineata & exhibita in SCHEVCHZERI Herbar. Diluv. p. 15. Tab. I. fig. 4. Alios Angliæ nodulos lapideos, folia & herbas continentes longa ſerie enarrat WOODWARD on Attempt. l. c. T. I. P. II. p. 14. ſq.

§. L.

Corpora iſta peregrina, §§. XLVI. XLVII. XLVIII. & XLIX. recenſita, in antedictis globulis lapideis recondita, cum ab extra iſtos intrare non potuerunt, certiſſimo argumento ſunt, globulos iſtos antea fuiſſe fluidos & molles. Et cum globuli cavi per effervescentiam orti fuerint (§. XXX.), credibile eſt etiam, eo in loco, & eadem in maſſa, in qua jacuerunt corpora iſta, & quæ fortaſſe alcalica fuit, per interventum fluidi acidi mineralis, aut alius ſalis acidi, quo fortaſſe iſta ipſa corpora peregrina, in putredinem abeuntia, imbuti fuerunt, effervescentiam exortam fuiſſe, & corpora iſta peregrina cortice lapideo, in formam globuli extenſo, involviſſe. Et exinde inferre mihi liceat, eodem modo, nempe per effervescentiam, quoscunque alios nodulos globoſos & rotundos lapideos ſolidos productos fuiſſe atque formatos.

§. LI.

Proſtant hic illic in locis montanis, in montium convallibus, ad fluminum ripas & in camporum planitie omniumque

conſpectui expoſiti ſunt innumeri noduli lapidei variæ magnitudinis, variæque ad rotunditatem vergentis figuræ, ac varii coloris, & variæ maſſæ. In ſtratis arenoſis ex arena quarzoſa conflaverunt innumeri ſiliculi; pellucidi, ſi ex pura arena quarzoſa; ſemipellucidi & opaci, ſi arena quarzoſa cum aliis particulis calcareis, argillaceis, & ſic porro mixta fuit: diverſimode ex affluxu mineralium aquarum & vaporum colorati. Longam ejusmodi globulorum ſiliceorum ſeriem exhibuerunt & deſcripſerunt WOODWARDVS *a*). & SCHEVCHZERVS *b*). In ſtratis terræ calcariæ generantur ſilices culinarii *c*). In aliis, ubi gypſum prævalet, nuces ſpathicæ: in marga nuces margaceæ inveniuntur. Extraxi non minus ex fodinis argillaceis globulos lapideos argillaceos: alios, ex ſaburræ & glareæ monticulis, glareoſos: vel ſtrata ipſa lutoſa exhibent nuces lutoſas, ſatis firmas, & per integram maſſam ſolidas. Ex αὐτοψίᾳ & experientia loquor. Et quicunque alius ſolers rerum naturalium indagator, qui ſtrata terrea & lapidoſa accurate conſideraverit, inveniet, quodcunque ſtratum, ſeu terrenum, ſeu lapidoſum, ſuos continere globulos lapideos, cuivis proprios & matrici ſuæ affines & conformes. Hos globulos omnes in ſedibus iſtis, in quibus inveniuntur, (loquor autem ſolummodo de nodulis adhuc in ſtratis reconditis, non autem de illis, quos vis undarum aliunde deduxit), primos habuiſſe natales, & per effervescentiam ibidem fuiſſe productos, firmiter mihi perſuadeo, licet maxima pars doctorum Virorum, qui hanc naturalis hiſtoriæ partem tetigerunt, efformationem lapidum globuloſorum rotationi aquarum adſcripſerint, de qua paulo infra uberius.

a) WOODWARD on Attempt. l. c. P. I. T. I. per integrum Caput III. a pag. 26 — 56.

b) In Meteorologia & Orycłograph. Helvet. P. III. p. 127. ſeq.

c) In Anglia in agris, creta ſtercoratis, antea ſilice igniario caſſis, ingentem horum ſilicum numerum produci, qui omnem fere ſuperficiem agri repleant, licet aut nulli, aut pauci tantum horum

ſilicum

ſilicum ejusmodi cretæ inhæreant, obſervavit celeberrimus *Petrus* KALM, *in der Beſchreibung der Reiſe nach dem Nordlichem America* P. I. *in der Sammlung neuer und merckwürdiger Reiſen zu Waſſer und zu Lande*, Vol. IX. p. 354 399. ſeq. In calce macerata, quæ per longum tempus in fovea quadam abſcondita, & poſtmodum detecta fuerat, egregium numerum horum ſilicum rotundorum effoſſum fuiſſe, licet regio iſta ejusmodi ſilicibus fere deſtituatur, retulit HOPPIVS. Vid. *Phyſikal. Beluſt.* St. IX. p. 710.

§. LII.

Maſſa ejusmodi globulorum lapideorum ſæpiſſime eſt compoſita, immo decompoſita & ſuperdecompoſita. Sic dantur globuli maſſæ argillaceæ, parvos ſiliculos; ſiliceæ, lamellas ſpathicas; arenoſæ, micas talcoſas vix palpabiles; lutoſæ, glaream & ſic porro in compage ſua continentes. Curioſus lapidum ejusmodi obſervator longe plures alias mixturas materiæ heterogeneæ in illis inveniet, ex ipſa perſcrutatione ſtratorum magis, quam ex deſcriptione literarum, diſcernendas.

§. LIII.

Eandem originem cum antecedentibus habere videntur ſiliculi parvi, fabarum piſorumque figuram & magnitudinem referentes: *Saburra, magnitudinem fabæ aut piſi æquans* WOLTERSDORFFII *a*). Multa horum ſiliculorum ſpecimina recenſuit WOODWARDVS *b*). Huc refero etiam *Pſeudo-Carpolithos*, *Piſolithos*, *Phaſeolithos*, *Amygdalolithos Zwickavienſes*, qui nil aliud ſunt, quam globuli margacei, ſaxo aut margæ diverſi coloris immerſi *c*), quorum originem itidem efferveſcentiæ adſcribo.

a) In Syſtem. Miner. p. 47. Edit. Ulmæ 1755.

b) on Attempt l. c. T. I. P. I. p. 29. ſeu ſub lit. *c*. 1. 2. 4. §. 6. 8. 10. 11. 17. T. II. p. 7. lit. *b*. 39. Ibidem T. I. P. I. p. 31. refert ex MAUNDRELL's Journey from Aleppo to Jeruſalem p. 86. ad ſepulcrale monumentum, quod pro ſepulcro Rahelis Gen. XXXV. 19. vulgo reputetur, non longe a Bethlehem Iudeæ, inveniri ſpeciem parvorum rotundorum lapillorum, formam piſorum exacte referentium,

rentium. STRABO Geograph. Lib. XVII. pag. 808. d. memoriæ prodidit, in Aegypto, proxime ad decantatas illas Pyramidas, proſtare acervos lapidum, ex latomorum opere reliquorum: & in his inveniri lapillos forma & craſſitie lentium (Ψήγματα καὶ τύπῳ καὶ μεγέθει φακοειδῆ) de quibus fabula eſſet, eosdem reliquias eſſe leguminum, ab iis, qui extruendis iſtis Pyramidibus operas præſtabant, comedi ſolitorum & poſtmodum in lapides converſorum. Plinius Hiſt. natur. L. XXXVI. C. 12. p. 624. *b.* de iſtis Pyramidibus differens, *Harena*, ſcribit, *late pura circum, lentis ſimilitudine, qualis in majori parte Africæ.*

c) Vid. celeberr. *Io.* GESNERI Diſſ. de Petrificat. differentiis, §. VIII. p. 13. MYLII Saxon. ſubterran.

§. LIV.

Agmen denique claudant *Hammites*, *Cenchrites* & *Meconites*, *Hammitam* plerique, & ſingulatim BRÜCKMANNVS *a*), pro ovis piſcium, FISCHERVS *b*) pro fœturis teſtaceorum petrefactis habuerunt. *Sed vix veroſimile videtur*, ſcribit Illuſtris GESNERVS *c*), *integros montes, quos paſſim videas in agro Rauracenſi & alibi ex meris Hammitis compoſitos, mollibus piſcium ovis ſuas origines debere.* Ad Sangerhuſam, verſus ſeptentrionem, ingens montium extenditur jugum, ab oriente verſus occidentem ad plus quam duo milliaria excurrens, ex diverſis ſtratis conſtans, a ſeptentrione meridiem verſus declivibus, quorum ſummum ex humo, alterum ex lapide calcario foſſili fragili, tertium ex lapide duro, minutiſſimis granulis referto, qui *Meconites* aliis dicitur: inſequens ex granulis *Cenchritem* referentibus; ſubſequens ex *Hammitis:* inferius denique ex maſſa ſolida duriſſimi lapidis calcarii conſtat; non tamen æquo ambitu tria iſta ſtrata globuloſa procedunt, interdum Cenchrita, interdum Meconita deficiente. Cenchritam etiam hic ſolummodo ex magnitudine granulorum, non ex colore, qui in aliis luteus eſt, æſtimo. Stratum horum Hammitarum craſſitie modo pedem humanum, modo pugnum, modo pollicem, exæ-

exæquat. Et cum in his montibus nulla corpora peregrina, nulla marina petrefacta occurrant, quis crediderit ſtratum hoc Hammitarum tam longum, tam ſolidum, tam uniforme, meris granulis lapideis, uno alteri contiguis, refertum, fœturam piſcium ſeu concharum petrefactam poſſe referre? Rejectis igitur his putativis Oolithis, alii Lithologi aliam originis rationem horum Hammitarum inire ſategerunt. WALLERIVS ita illorum natales definit, ut aqua, particulis lapidoſis mixta, in terram molliorem pulverulentam guttatim deciderit, quo facto primum guttulæ iſtæ coaluerint, poſtmodum vero ipſum ſtratum molle in maſſam firmam lapideam induruerit. Et hinc definit Hammitem *Porum aqueum globularem, minimis globulis, in terra molliori, poſt ſtillicidium concretum d).* Sæpe laudatus *Iohannes* GESNERVS *e)* WALLERIO aſſentiri videtur, provocatque ad *experientiam, quæ doceat, formari poſſe hoſce globulos ab aquis calcaria terra imprægnatis, uti ſunt globuli ſtalactitici candidi,* Confetti di Tivoli *dicti, aquarum Tiburtinarum & antri Draconis.*

a) In Specim. phyſ. de Oolitho. Helmſt. 1721. cujus recenſionem vide in Giornale de' Letterati Oltramontani, T. VIII. & in GIMMÆ Fiſica ſotterranea T. II. L. V. Cap. VI. Art. 4. p. 94. ſeq.

b) KLEIN Nomencl. Litholog. p. 17.

c) De Petrificat. different. th. XVIII. p. 39.

d) In Mineralog. §. 137. p. 420. Edit. german.

e) l. c.

§. LV.

Licet hæc hypotheſis facilitatem naturalemque ordinem præ ſe ferre videatur: accuratius tamen illam conſideranti multæ ſeſe ſuggerent difficultates, quæ illam ipſam rurſus deſtruere, vel ſaltem omnem veri ſimilitudinem ipſi denegare videntur. Concedo quidem, & omnibus patet oculis, guttulas pluviales in congeriem pulveris, in viis regiis per æſtivum tempus ubique obvii, decidentes ibique decurrentes, ſeſe tegumento quaſi pulverulento involvere, ita ut ſpeciem fere Oolithorum

& Ham-

& Hammitarum referant; ſed conſtat etiam ulterius conſideranti, has ipſas guttulas, pulvere arido circumdatas, quam primum ipſe pulvis permaduerit, in glebam informem ſubſidere, & neutiquam in formam rotundam, qualis fere omnibus Hammitis conſtans eſt, coaleſcere. Sed fortaſſe hic culpa in defectum aquæ lapideſcentis reiicienda erit. A via publica igitur divergentes, ſubeamus antra, montiumque cavernas. Hic quidem guttulas materia lapidifica imbutas, ex fornice deciduas, in pavimento varia corpuſcula lapidea efformare, taliter qualiter figuram rotundam referentia, cernimus, ſed inconſtantes plane & indeterminatæ figuræ, quæ in Hammitis perpetua & conſtans eſt. E contrario pleræque ex cavernis deſtillantes aquæ lapidoſæ ſolum terramque utplurimum lamina ſeu tegumento ſtalactitio (quod nonnullis Lithologis *Stalagmites*, ad differentiam *Stalactitæ*, qui ſtiriis aliisque corporibus pendulis proprius eſt, dicitur), obducunt & incruſtant. Globuli vero lapidei, qui Hammitas conſtituunt, perfecte rotundi, & ita diſpoſiti ſunt, ut unus alteri contiguus, unusque ſupra alterum collocatus eſſe videatur, interſtitiis eorundem maſſa margacea vel calcaria repletis. Qui quidem ordo ex ſtillicidio aquarum vix ac ne vix quidem repetendus eſſet. Ex hoc enim hic & illic ad ſummum pauci diſtincti globuli fieri, vel denique ex ſtillicidio continuato aut ſæpius repetito globuli confluentes, ſeu una eademque maſſa ſolida & integra, corpusque firmum & compactum oriri debuiſſet. Et quomodo fieri potuit, ut in ſtrato margaceo calcareove, ut ut mollioris & quaſi farinaceæ maſſæ, aliis ſtratis exacte & cohærenter intercalato, quod ultra duo milliaria in longitudinem, & ultra centum jugera in latitudinem extenſum eſt, per ſtillicidium tam innumeri & juſte rotundi globuli, ſibi invicem continui, oriri potuerint?

§. LVI.

§. LVI.

Aliam igitur cauſam originis Hammitarum ſubſiſtere exiſtimo, quæ quidem non cum LACHMVNDO *a)* in concretione arenæ quærenda eſt, quum partim ipſa arena in conſtitutione Hammitarum exulet, partim iterum quæſtio ulterius movenda eſſet, qua ratione illa ipſa arena tam regulariter in formam rotundam coaluerit. Efferveſcentiæ igitur originem Hammitarum, Cenchritarum & Meconitarum attribuendam eſſe, exiſtimo. Granula iſta lapidea ut plurimum ferri minera imbuta ſunt, & cum matricem habeant maſſam calcaream ſeu margaceam, exiſtimo, ſtratum iſtud calcareum tanquam alcalinam maſſam a fluido acido fuiſſe primitus tinctum, & exinde inſecuta efferveſcentia, ſecundum naturam fluidi & maſſæ irrigatæ productos fuiſſe iſtos globulos lapideos minutos. Acidum iſtud fuit vel minerale, ex viſceribus terræ per vapores in ſuperſtratam terram alcalicam transmiſſum, ita ut ejusdem vapores ſpiſſiores & denſiores adhuc in monte antea deſcripto Sangerhuſano in primo ſtrato proximo globulos majores ſeu Hammitas; deinde remiſſiores facti in altero ſtrato, priori ſuperimpoſito, minores globulos ſeu Cenchritas; & denique rarefacti in ſuperiori tertio minimos ſeu Meconitas effinxerint & produxerint: Vel fuit acidum aëreum, & vegetabile, ab aqua, vapores ex aëre in terram demiſſos abluente & imbibente, & putrefacta vegetabilia elixante, ſuſceptum, & deinde larga copia cum aquis ſtrato molliori terræ alcalicæ transmiſſum. Fluidum hoc, acidis miſtum, ſtratum iſtud mollius perforavit & permeavit, tandemque ad ſubjectam duram ſolidamque rupem ſubſedit. Major hujus copia in proximo ſtrato Hammitas; mediocris in altero Cenchritas, & lenis in ſuperno Meconitas produxit. Tali modo originem Hammitarum aliorumque ejusdem farinæ globulorum quam optime explicari poſſe exiſtimaverim. Omnes iſti globuli, quotquot horum confregi, (duriſſimæ autem ſunt ſubſtantiæ & ferri compotes), unius ejus-

demque maſſæ ſolidæ ſunt. Quando autem HELWINGIVS *b*) ad Hammitas provocat, qui intus habeant materiam lapideam, ſed friabilem: tum iidem ex legibus lapidum globoſorum intus cavorum erunt explicandi. Hæc ſpecimina ad explicationem originis lapidum globoſorum, ad quæ alii hic non adducti etiam expendendi ſunt, ſufficiant.

a) In Oryctogr. Hildeſ. p. 37.
b) In Lithogr. Angerburg. Cap. VI. Claſſ. I. Sect. I. p. 39.

§. LVII.

Nunc quæ aliorum de origine lapidum globoſorum ſint ſententiæ, videndum eſt. Communis fere Lithologorum & a patribus quaſi per manus tradita eſt opinio, omnes lapides globoſos & rotundos ex attritu & circumrotatione aquarum, fluctuumque repercuſſione, in formam ſphæricam fuiſſe redactos. Foverunt, præter alios, hanc ſententiam *Georg.* FABRICIVS *a*), *Conradus* GESNERVS *b*), *Ferrand.* IMPERATVS *c*), *Kilian.* STOBÆVS *d*), *Iohannes* WOODWARDVS *e*), *Ioh. Georg.* KEYSSLERVS *f*), *Ioh.* BROWALLIVS *g*), VALLISNIERIVS *h*), aliique. Quorum quidem ſententia inſignem veri ſpeciem præ ſe ferre videtur. In vulgus enim notum eſt, guttas ſæpe cadendo excavare lapides: quidni undarum pulſus & aquarum volutationes poſſint lapides deterere, exaſciare, & in formam rotundam ſeu globuloſam redigere? Sed liceat mihi per varias rationes a tantis Viris diſſentire. Nego & pernego, ab undarum fluctibus aquarumque rotatione corpora lapidoſa firma & ſolida in figuram globoſam & rotundam poſſe reduci. Qui lapidibus duris abradendis, cædundis, fabricandis, lævigandis expoliendisque inſudant, vel aliquando inſudarunt, facillime negativæ ſententiæ calculum adjicient. Qui fragmentum Iaſpidis ſeu lapidis cornei (*Hornſtein*) ſeu baſaltis, ſeu glebam ſiliceam diſſecare & efformare, vel ſaltem corticem externum ipſi detrahere, eamque lævigare ſibi ſumſerint, facillime invenient, huic labori perficiendo fluiditatem

tem aquæ, licet per centum annos lapis in illa circumagatur, nequicquam ſufficere, licet etiam aquæ immiſceantur arenæ aliique lapilluli. Aethiopem quaſi lavabunt. Sed requiruntur hic labor durus & continuus; manuum brachiorumque robur indefeſſum; inſtrumenta ahenea duriſſimi metalli; frictio tenaciſſima corporis lapidoſi ad eadem, ſeu ad aliud corpus duriſſimi metalli; aquæ irrigatio; admixtio duriſſimæ & acutiſſimæ arenæ; immo Smiridis exquiſitiſſimæ, quaſi totidem cultellos cuſpidatos acuminatosque referentis, quot granula, quot angulos continet. Qua quidem experientia fretus, quam omnes, qui unquam cædundis expoliendisve lapidibus durioribus operati ſunt, confirmabunt, iterum iterumque ſtatuo, plane impoſſibile eſſe, ut Iaſpidis lapidisque cornei fragmentum, per ſe informe, hiulcum & angulatum, in formam globuloſam vel rotundam per pulſus & fluctuationes aquarum poſſit redigi, ut ut a ſcaturigine Albis vel Danubii, per continuas revolutiones rotationesque, uſque ad oſtia eorundem litusque maris pertrahatur. Si quis etiam ad diluvium Moſaiticum, commune illud ignorantiæ, vel temerarii aſſerti confugium, appellare voluerit; eundem etiam nec in illo prætenſæ opinionis fundamenta invenire poſſe contendo. Vt ut conceſſerim; in tanta aquarum exæſtuatione ſumma profundis fuiſſe mixta: corpora etiam ſolida diſrupta: lapidum fragmenta, aquarum fluctibus circumacta, modo in ſummitate vecta, modo in voragines detruſa, modo in gyros rapidiſſimos compulſa, & per repercuſſionem vicinorum corporum ſolidorum quaſſata; ut ut conceſſerim turbulentos iſtos motus per integrum annum fuiſſe continuatos; exinde tamen magis aliqualis deturbatio ſtratorum lapidoſorum defruſtatorum, quam efformatio fruſtulorum lapideorum in corpus regulare rotundum & globoſum, colligenda eſſet. Iidem tamen, qui hic diluvium illud prætendunt, mihi hoc conceſſerint, aquas illas turbulentas ſimul infectas & imbutas fuiſſe materia terrea, lutoſa, argillacea: conſequenter ne-

ceſſe eſt, ut ictus & quaſſationes fluctuum, corporumque ſolidorum, in illis ipſis circumductorum, per materiam illam limoſam emollitæ & temperatæ fuerint, ita ut tantum abſit, ut fluctus diluvii lapides duriores in formam rotundam potuerint transformare, ut potius maximam partem teſtarum conchacearum, per ſe tamen fragilium, intactam ſartamque reliquerint. Si quid tamen huic ſententiæ tribuendum eſſet, ad ſummum admittendum foret, quod quædam fragmenta lapidum molliuſculæ ſubſtantiæ, in voragine quadam collocata, per continuos gyros aquarum undarumque rotationes teretem quendam ambitum preſſulamque rotunditatem hoc vel illo latere acceperint, ita tamen, ut omnes noduli lapidei, duriuſculæ ſubſtantiæ, prorſus hinc excludendi & excipiendi eſſent. Ipſa tamen conſideratio accuratior lapidum globoſorum, qui vel corpus perfecte rotundum, vel ovale, vel lentiforme, vel cylindricum & fuſiforme, referunt, quemlibet facile induxerit, ut potius efformationem eorundem viribus ſalium quorundam actricibus, regulariter procedentibus, quam fortuitæ aquarum volutationi attribuerit.

a) Vide ejus de Metallicis rebus ac nominibus obſervationes, editas per *Conradum* GESNERVM in ejus Collectione de omni rerum foſſilium genere, Tiguri 1575. p. 30. *b*.

b) In libro de rerum foſſilium, lapidum & gemmarum maxime figuris & ſimilitudinibus, in modo dicta Collect. p. 14.

c) In Hiſt. nat. L. XXIV. cap. XXVII.

d) In Opuſc. p. 133.

e) Dans la Geographie phyſique p. 403. Edit. Amſterd. 1735. & on Attempt towards a natural Hiſtory of the foſſils of the England. T. I. P. I. p. 23. p. 46.

f) *In der Fortſetzung neueſter Reiſen, Brief* LXII. p. 443.

g) *In der hiſtoriſchen und phyſikaliſchen Unterſuchung der vorgegebenen Verminderung des Waſſers und Vergrœſſerung der Erde,* ex verſ. german. Cel. KLEINII. Stockholm, 1756. p. 160. ſeqq.

h) Referente *Anton Lazzaro* MORO, de Croſtacei e degli altri marini corpi, L. II. Cap. XII p. 272. ed. Venezia 1740. & verſ. german. Lipſ. 1751. p. 298. ſeqq.

§. LVIII.

§. LVIII.

Quum *Ioannes* WOODWARDVS *a*) præ omnibus reliquis in ſtabilienda ſententia ſua, quæ formationem lapidum globoſorum aquarum rotationi acceptam refert, actuoſus & operoſus fuerit, eamque variis exemplis illuſtrare ſategerit; operæ pretium fuerit, eadem ſigillatim examinare, inconſiſtentiamque hujus opinionis exponere. In probanda ſententia ſua inter alia confugit ad globulos lapideos, ſeu diverſis lineis *b*), zonis & ſegmentis horizontalibus picturatos, eosque pro fragmentis ſtrati diverſimode ſuperſtrati reputat, per fluctuationem aquarum in formam globoſam redactis. Concedo quidem, hos lapides ſtriatos ratione materiæ originem debere ſtratis diverſo colore uno alteri ſuperimpoſitis; nego tamen, horum efformationem in formam globoſam aquis fluctuantibus debere adſcribi. Finge ſedimentum ſeu ſtratum terreum diverſimode coloratum, quale in fodinis argillaceis & arenaceis frequenter occurrit. Finge, in eodem ſtrato effervescentiam oriri, & ex noſtra hypotheſi tunc globulum efformari. Nonne idem globulus in ſuperficie, centro & baſi ſua eadem ſtrata in tot diverſis zonis referet, quot ſedimenta terrena in iisdem ſtratis recondita fuerunt? Experientia edoctus jam ſupra monui, in omnibus ſtratis lapideis, ad minimum in iis, quæ antea terrena & mollia fuerunt, dari nodulos lapideos: ergo in ſtratis diſtinctis coloribus pictis dantur & inveniuntur noduli diverſimode coloratis zonis & lineis variegati. Aliud argumentum repetitur a ſpeciminibus quibusdam lapidum globoſorum, ex diverſis ſtratis ſeu lamellis compoſitorum, ex quibus unum vel alterum ſtratum, unum vel alterum ſegmentum, una vel altera lamina ultra limites circuli ſeu ſphæræ protenditur *c*). Ex quorum ſtratorum eminentia & projectura WOODWARDVS conjecit, partem globoſam noduli, ceu maſſæ mollioris, a rotatione aquarum in corpus rotundum vel ſubrotundum ſubactam, reliquam vero partem, nempe ſtratum iſtud eminens, ceu maſſæ durioris, intactum relictum fuiſſe. Sed jam præcedenti §.

ad experientiam & practicam provocavi, qua asserui, impossibile esse, ut fragmentum lapidis informe per fluctuationem aquarum in formam globosam seu rotundam possit reduci. Statuo potius ex mea hypothesi, in antedictis speciminibus Woodwardianis explicandis, nodulos istos itidem per effervescentiam in stratis arenosis esse exortos, in stratis tamen, in quibus stratum quoddam intermedium in massam lapideam vel quasi jam antea coaluerit: per consequentiam nodulus lapideus, qui postmodum ex effervescentia coaluit, particulam istius induratæ massæ suscepit: ea tamen parte, qua penitus induravit, plenarie eam suscipere, & in suum corpus redigere non potuit: ex quo factum est, ut exinde corpus quidem rotundum apparuerit, quod tamen una vel altera parte segmentum quoddam seu lamellam quandam, extra limites sphæræ protensam seu eminentem, habuerit. Ad illustrationem sententiæ meæ provoco ad globulum pyritaceum Nermsdorfiensem, Ducatus Coburgici, forma oblongum & ovalem, qui Cornu Ammonis striatum dorsatum continet & exhibet, cujus spira extima ultra fines globuli porrecta est. Hic effervescentia globulum effecit, mediumque Cornu Ammonis, quod in strato argillaceo jacuerat, amplexa fuit, altera parte ejusdem libera permanente, attamen priori parti inclusæ adhuc cohærente. Quis hic statuerit, globulum istum Ammoniticum pyritaceum, tanquam mollioris massæ, rotatione aquarum in formam sphæricam fuisse redactam, porrectam vero partem spiræ extimæ ejusdem tanquam durioris massæ (quæ tamen massa pyritacea omnino mollior est) integram fuisse relictam, cum tamen verisimillimum sit, eundem globulum in eodem strato argillaceo, e quo extractus fuit, generatum, & nunquam undarum tempestates ibidem fuisse perpessum? Taceo alia a WOODWARDO producta argumenta, quæ adhuc faciliorem admittunt refutationem.

a) An Attempt towards a natural History of the Fossils of England P. I. T. I. p. 19. p. 23. seq.
b) Ibid. Class. III. C. 192. p. 42.
c) Ibid. C. 226. 227. & 228. p. 45. seq.

Obser-

Observationes medicæ

circa

SECVRITATEM

ET

CERTITVDINEM

REMEDIORVM

in singularibus quibusdam morbis,

quas

ex propria Experientia profectas

Illustri & ubique terrarum celeberrimæ

Academiæ Imperiali Leopoldino - Carolinæ

Naturæ Curiosorum

modeste offert,

insimulque iisdem se suaque studia practica

per XXXIV. annorum spatium suscepta

Inclytissimo huic Collegio

commendare perhumaniter & officiose voluit

D. GOTTWALD SCHVSTER,

Iena Thuringus,

Physicus Vrbis & Provinciæ Chemnitiensis ordinarius,

&

Academicus Curiosus,

dictus

Sabinus Ildus.

SECURITATEM
ET
CERTITUDINEM
REMEDIORUM

C. GOTTWALD SCHUSTER,

Lipsia Thuringus,

Physicus, Urbis & Provinciae Chemnitiensis ordinarius,

&

Academicus Curiosus,

Neminem Medicorum fore, qui prorſus unquam negaturus ſit, certa, certis in morbis, dari remedia, multiplici experientia convictus arbitror: illa vero non ubique obvia eſſe, a veritate etiam alienum non eſt. Methodus quidem medendi, obiiciat aliquis, omnis curationis morborum via regia eſt, qua inita, non temere ab ea diſcedendum: indicationes ſunt medius demonſtrationis terminus, in quovis morbo decenter curando: primarium autem momentum feliciter curandi in initio ſitum eſt, quo neglecto, ad principia Medicus revertere nequit. Medicamenta quidem immutari poſſunt, neutiquam vero methodus: hoc ſi abſque prægnante feceris ratione, incerta redditur curatio. Ex quibus univerſim traditis facile perſpicere licet, quantum remedia valeant, quid poſſint, quidque non poſſint: niſi enim præſtantiſſima medicamenta, ipſo cum termino medio, ſive indicatione practica, conveniant, certa non ſunt. Ergo, dicis, certa certis in morbis remedia non dantur. Ad quam objectionem ita reſpondeo: omnia hæc ſpeciem aliquam præ ſe ferre, ejusque intuitu recte ſe habere, concedo, nec præceps animum occupat intentio, empirica incedere via, ſed rationali. At vero hoc a veritate propius abeſſe, nonne etiam conceſſurus es: quemlibet Medicorum, una cum probatis, per diuturnam experientiam remediis, certas tandem adipiſci regulas, iisque, ſi commodo tempore & λογικως, i. e. methodice utitur, ſcilicet ut firmæ indicationi reſpondeant, in notitiam certorum, in quovis fere morbo, remediorum venire, & tantam exiſtimationis, & nominis ſui gloriam ſibi comparare, ut, ubique locorum pro prudenti & perito Medico, ab eruditorum etiam ordine, habeatur? Hinc *Gedeon* HARVEVS, Tr. de *Arte curandi morbos expectat. Cap. XXVI.* appoſite ſcribit: *Quemnam morbo curando magis putabis idoneum? Num remedium expertum callentem, medendique methodi*

thodi nescium, an gnarum? Nec quod prior naturali methodo instructus ad curandum magis sit habilis, quam posterior suæ artis methodo indutus, nemo inficias ibit: idcirco remedio apto & experto latente nihil pollet quævis medendi methodus a). Quibus, Præfaminis loco positis, in hisce Απομνημονευματοις ιατρικοις aliquot observationum fragmenta, ex propria experientia profecta, tradam, quæ remediorum effectum attinent, & de certis, certis in morbis, remediis exponam.

§. I.

Atque cum non tam sciendi, quam agendi cupidus sit Medicus clinicus, omnique, qua potest, industria ad indicationem, seu syllogismum practicum properet, statim me ad operam accingam, collectas ad hunc scopum observationes enarraturus. Decantatum quondam fuit medicamentum *Liquor cornu cervi succinatus*, in variis corporis humani, præcipue nervorum affectibus, ubi metus contractionum spasmodicarum ingruit. Egregias enim possidet virtutes antispasmodicas, resolventes, incidentes, abstergentes, tam causam materialem tenuiorem per cutis poros, quam crassiores per renes & vesicam urinariam, vel quoque per pectus, eiiciendo, & amissum robur corpori iterum inducendo & restituendo. Lentilivs *in Iatromnemat.* illum temperatius medicamentum nominat, balsamicum insuper, demulcens & omnium indicationum paginam absolvens: in adultis æque atque infantibus, tanquam familiarissimum habuit ac utilissimum, per longam experientiam compertum.

Ego

a) Huc usque Harveus. Quod vero nunquam rationalem medendi methodum sepoſuerimus, facile docere possunt Lectorem benevolum Scripta nostra practica, e. g. Methodus medendi, cujus Tom. I. & II. octodecim abhinc annis in 4to edidimus, pariter Hydrologia mineralis medica, Thermologia Wolkensteinensis, Schola Salernitana cum Consiliis &c. Minora schediasmata & lucubrationes ut transeamus.

Ego vero de eo prædicare poſſum, quod unum ex præſtantiſſimis remediis ſit, quoties ſpaſmus quidam, aut rheumatiſmus, collum occupat, aut ubi ſic dictæ deſtillationes auditum remorantur, vel obauditionem quandam relinquunt. Præſentaneum effectum in Praxi aliquoties, inprimis in honorifica quadam fœmina, &, eodem fere tempore, in quodam Præcone & verbi divini miniſtro, vidimus. Vtrique huic ægrotanti, matutinis horis, Liquor cornu cervi ſuccinatus, ad guttulas triginta, & quadraginta, circa ſomni vero tempus pulvis ex Antimonii diaphoretici & Arcani duplicati partibus æqualibus compoſitus, exoptatiſſimo cum effectu præſcripta ſunt.

§. II.

In *affectibus pectoris*, qui in *tuſſes convulſivas & ferinas*, ex aëris vitio epidemico, vel aliis cauſis ſporadicis, terminari ſolent, duo ex medicamentis, alterum claſſicum, alterum ſimplex, mirabilis & præſtantioris effectus ſemper deprehendimus. Sunt vero *Elixir pectorale* WEDELII & *Caſcarilla*, quorum utrorumque eximias virtutes, experientia inſtructus, enarrabo. In tuſſi convulſiva ferina, contra quam ab aliquo largam remediorum farraginem fruſtra ſuppeditatam eſſe, meis ipſis oculis vidi, qua pulchra quædam virgo, menſe Decembri afflicta erat, ab alio vero ſolum Elixir pectorale, laudati autoris, tali cum ſucceſſu exhibitum fuiſſe, qualem vix unquam præſtantiorem optare potuiſſet quiſquam, memoria adhuc proſequor. Duo tantum adhuc, circa hunc effectum, animadvertenda ſunt: alterum eſt, quod primæ viæ, ante uſum Elixirii pectoralis, laxante quodam anodyno pharmaco, a collectis ibidem impuris humoribus, liberatæ fuerint, hunc quidem in modum: Rec. Radicis altheæ, polypodii, ana drachmam unam & dimidiam, Seminis aniſi drachmam, Florum papaveris rhœados pugillos duos, coque cum ſufficiente quantitate aquæ, coctis adde foliorum Sennæ ſine ſtipitibus drachmas duas, vel unciam dimidiam,

midiam, ebulliant leniter. Colatura D. Alterum, quod pro cautela subiicio, hoc est: Species pectorales emollientes, quas vulgaris Praxis multifariis formulis componere docet, istam virginem ferre non potuisse, quia corporis ejus structura ex fibra molli, laxa & rara composita est. Ad *Cascarillam* quod attinet, hæc mihi excellentissimum tonicum, pectorale & pulmonale audit, qua in re subsequens historia practica me eo magis confirmavit. Erat juvenis decimum septimum annum agens, qui clara & elata voce orationem gallicam recitaverat, variisque insuper in oratoriæ artis exercitiis ingeninm linguamque dicendo acuerat, ut tandem ex pulmonum laxitate, & tono partium pectoris perdito, in siccam, ferinam eamque clangosam tussim incideret, quam per aliquot hebdomadas protractam, facile hæmoptoe & phthisis excipere potuisset. Iussu meo Elixirio pectorali Wedelii, cum Essentia Cascarillæ commixto, utitur, ita tamen, ut sub aurora in lecto dosin in potu Thee, cum regimine diapnoico, per diem vero orthostadius concisas, sed repetitas doses biberet. Qua circumspecta medicamenti adhibitione non parum levatus est, ut non diu post firmam sanitatem consequeretur. Fuit filius meus natu major, nunc Medicinæ Doctor & Practicus Chemnicensis, quem Deus fortunet! in cujus φιλοφροσυνην die VI. Octobr. MDCCLIX. *Paræneſin de Excitando observandi studio in Medicina* scripsi.

§. III.

Remediorum apparatu in *asthmate simplici & cachectico* facile abundamus, & adeo divite quidem, ut, obveniente casu quodam, quid optimum ex omnibus sit, quid saluberrimum, junior minimum Practicus ignoret. Neutiquam erravero, si dixerim, auxiliorum multitudinem artem salutarem perdere. Omnia experiri medicamenta, vita hominis non sufficit. Quæ in quibusdam ægrotis inter centena antasthmatica certum tutumque auxilium præstiterint, in hoc paragrapho aperiam, sunt nempe

Asa

Aſa fœtida & Squilla. Longo tempore quidam Chirurgus aſthmate moleſtiſſimo affectus erat, cum faciei pallore, appetitu dejecto, &, imminente acceſſione, manuum tremore, ut quiſque eundem Polypo laborare crederet. Pauca, ſed appropriata medicamenta, malum rebelle & periculoſum, miraculi inſtar, profligarunt. Nimirum hæ formulæ: Rec. Eſſentiæ aſæ fœtidæ, Liquoris mineralis anodyni, ana drachmas duas. S. mane & pomeridie ad guttas xxxv. Rec. Pulveris antiſpaſmodici Stahlii, ſcrupulos duos, Antimonii diaphoretici, ſcrupulum, Camphoræ granum unum. Miſc. F. quatuor doſes, quarum unam cubitum iturus ſumat. Atque his duabus formulis ſolis in integrum reſtitutus eſt. Eſſentia aſæ fœtidæ, quam noſtri ægroti *die Knoblauchs-Tropfen* appellant, eſt admirabile quoddam remedium antiſpaſmodicum, antaſthmaticum & pectorale, nec minus contra tympanitem efficaciſſimum prædicatur. In adfectibus hypochondriacis, hyſtericis & flatulentis ſingulari virtute id remedium pollere, experiundo cognovi. Conf. KÆMPFERI *Amœnitat. exot. p.* 543. Non ſemel & uno loco, ſed repetito, & plus quam vigeſies, ſequentem compoſitionem pulveris cujusdam antaſthmatici, vel anticachetici, & in effectu non ſatis extollendi, aſthmate cachectico preſſis, &, ſub acceſſu paroxyſmi, ſuffocari viſis, ordinavimus. Paratur is ex antiſpaſmodico ſalino, & pectorali reſolvente *Wedelii*, cujus ſingulis doſibus Squillæ præparatæ granum unum accedit. Præſentaneam efficaciam ſalutarem in muliere ex hoc pulvillo vidimus. Quodſi paullo plus Squillæ additur, e. g. duo vel tria grana pro doſi, facile excitatur vomitus, qui ægrotum levat. Alio tempore hanc compoſitionem ordinavimus: Pulveris aperientis, qui ex ſale Sedlicenſi, conchis & cinnabari parabatur, unciæ dimidiæ addita ſunt Scillæ grana decem, pro ſex doſibus. Lanionis viduæ, menſe Auguſto bene ceſſit. Alio tempore ita: Salis Sedlicenſis drachma una, Cinnabaris grana quinque, Squillæ granum unum, Miſc. pro una doſi; Centurioni, menſe Ianuario.

nuario. Alio tandem tempore ita : Pulveris salino-viscerales drachma, Camphoræ, Squillæ ana grana duo, Misc. pro duabus dosibus. Gaudere cepam marinam effectu resolutorio, stimulante, in cachecticis, asthmaticis, hydropicis, saluberrimo, diu jam nobis per experimenta patuit. Confirmat id quoque *Scribonius* LARGVS : *Ad suspirium*, inquit, Composit. LXXVI. *faciunt bene inter simplicia quidem acetum squillites, quod vocant, cochleario ter, quaterve sumtum in die. Prodest & ipsa scilla, argilla circumdata & furno cocta, purgatis exterioribus putaminibus, & quod tenerrimum est ejus, mellis duabus partibus attici admixtum, & tritum bene; cochleario semel in die bisve sumtum, profuit multis.* Conf. *Compos. LXXIX.* Quatuor habuimus morborum exempla, in quibus quidem ægri per tempus satis longum conservati sunt; sed continuatum ejus usum, ajunt, illud iterum diruere, quod antea ædificatum fuerat, ut homines tali remedio crebrius utentes plerumque tabe pereant. Hinc THONERVS *in Observat. p.* 290. *acetum*, inquit, *scilliticum insignem habet attenuandi facultatem, si non inveniat materiam, in quam agat, humidum substantificum adoritur, id atterens & quasi liquefaciens ac fluxile reddens.* At enim vero, unum tamen Pistorem, septuagesimum annum agentem, novi, qui hydrope scroti, abdominis, & œdematibus pedum, cum suspiriis, decumbebat & relictus videbatur, quem inter alia, satis quidem polychresta medicamenta, saltem immixta scilla in vivis conservavit, ut, morbo suo gravissimo levatus & plenarie liberatus, sanus, incolumis, vegetusque ad diem præsentem in publicum procedat. Limitibus igitur verba THONERI in hoc casu opus habent, etsi in aliis veritati respondeant. Conf. nostra *Dissert. epistolar. de differenda Hydropicor. morte, in Append. ad novor. Actor. phys. med. Nat. Curios.* Tom. I. p. 139.

§. IV.

In *hæmorrhoidum* negotio ad duo peculiariter momenta respiciendum esse, nos experientia docet, quorum alterum ad resera-

ſerationem, alterum ad diſcuſſionem pertinet. Non deſunt quidem in Praxi medica remedia permulta, quibus hæmorrhoidalem fluxum, ſi quando cum periculo ſubſtiterit, reſtituere ſolemus: at vero jam modo illam, quam menſe Aprili feci animadverſionem, conferam. Duo eo tempore occurrerunt ſubjecta, ad hæmorrhoidum ſtillicidium proclivia, quæ a me poſtulabant, ut curarem, quo ipſis aurea vena ſine periculo, & ne in exceſſum quendam degeneret, proritaretur. Re deliberata, incidi in Tincturam antimonii acrem, quam ipſe paraveram. Commiſtam hanc cum Liquoris mineralis anodyni parte æquali, utrique ſexagenario, exhibui, exitum felicem & ſalutarem augurans. Dictum factum eſt. Fluebant enim hæmorrhoides, medicamento vix ad dimidiam partem aſſumto, & in hunc uſque diem vivunt, florentque ſenes. Altera obſervatio trita & obvia quidem videtur, ſed tamen adhuc aliqua circumſpectione opus habet, quæ, opinor, non ubivis locorum reperiunda eſt. Decoctum herbæ millefolii cum floribus, probe ſaturatum, hæmorrhoides cœcas, auctore Riverio, egregie diſcutit, & dolores lenit: ſed ipſa ex hac herba parata eſſentia in hæmorrhoidibus cœcis intolerabiles dolores excitat. Qua in re non una objectio, ſed multiplex, mihi orta eſt, quo modo nimirum duplex effectus ex uno ſimplici ſequi poſſit? Ex hoc enim apparet, ſpiritum vini, qui Eſſentiæ parandæ inſervit, millefolii particulis imprægnatum, ſine omni dubio ſtringere nimis fortiter villos, tuberculis hæmorrhoidalibus tenſos, quos tamen Infuſum aquoſum millefolii herba ſaturatum, laxare potius ſolet atque rugare. Vid. Riverii *Obſervat. communicat.* 5.

§. V.

Quantas in afflictiones morboſas, quantas in anguſtias præcordiales, illi incurrant, quibus *alvus obſtruitur* & *flatus* in inteſtinis *incarcerantur*, dum quatuor, docente *Schola Salernitana*,

tana, ex retento vento in ventre veniunt, spasmus, hydrops, colica & vertigo, illis, qui Praxin medicam attente faciunt, incompertum non est. Flatus enim plurimus, intestinis conclusus, sursum sublatus ad præcordia, dolorem attollit hypochondriaque ita distendit, ut affectorum viscerum speciem præbeat. HIPPOCRATI πονοι περι υποχονδρια dicuntur, quorum vehementia mulier, *Lib. III. de morb. vulg.* periit. FOESIVS *p.* 1077. Ista plerumque symptomata hypochondriacis & hystericis communia sunt. Nullum tamen solamen ægrotis expectare licet, nisi flatus, membranaceum intestinorum canalem ultra elaterem extendentes, aperta porta, liberentur & in aërem prodeant. In tantis angustiis clinicis, cum præsentaneum vitæ periculum complicetur, nihil est, quod, præmisso remedio idoneo laxante, citius certiusque aërem incarceratum discutit & expellit, quam Mixtura ex Essentiæ Pimpinellæ albæ & Liquoris mineralis anodyni æqualibus partibus parata, & matutino tempore, ad guttas XL. exhibita. Tanto expeditius tamen curatio succedet, si pulveris antispasmodici camphorati drachmam dimidiam, pro dosi, substitueris. Eximiam horum remediorum operandi rationem in femina, natalium splendore conspicua, experiri licuit. Alio tempore contra affectum hypochondriacum flatulentum, vel morbum tympanitico-hydropicum ipsum, perquam eximiæ efficaciæ fuit pulvis hunc in modum compositus: Rec. Tartari vitriolati, Nitri depurati ana drachmam, Lapidum cancrorum, Antimonii diaphoretici ana drachmam dimidiam, Cinnabaris præparatæ scrupulum, Camphoræ grana sex, Misc. F. VI. doses, quarum una pomeridie, altera vesperi assumenda. Exhibitum fuit hoc remedium, & vix credibile est, quantam flatuum copiam illud expulerit, quibus emissis venter mollis redditus est. Cui nostro scopo THONERVS *Observat. medicinal.* p. 102. convenienter scribit: *Commendari medicamenta camphorata non ad corrigendam intemperiem frigidam, sed ad profliganda symptomata matricalia, si in*

culpa

culpa vapores corrupti & maligni, ad eos vi alexiteria infringendos. Neque tamen illa cautela hic negligenda eſt, quam l. c. p. 186. prædictus Auctor ſubjungit: *Etſi camphora alias in affectibus hyſtericis haud ignobilis, tamen reperiuntur complures feminæ, quibus illa adverſaria, præſertim quibus obtigit calidior capitis conſtitutio, cum ob ſpiritus volatiles illico caput petat, & cerebrum imbecillius feriat.* Conf. *Frid.* HOFFMANNI *Diſſ. de uſu interno Camphoræ ſecuriſſimo, §. XVII.*

§. VI.

Progredior ad nobiliſſimum remedium, etſi lippis & tonſoribus vile & vulgare viſum, certum tamen, certis in morbis, & efficaciſſimum, ubicunque cum medio curationis termino, ſive indicatione, convenit. Pro quam proletario medicamento præcipitante *Cancrorum lapides* a plebeiis habeantur, ut nihil eorum uſu notius ſit, abunde jam patet. Nihilo tamen ſecius contingere poteſt, ut varii ancipites caſus ex improviſo incidant, ubi ſic dicti hi lapides ex ea ratione, quod nimium vulgares videantur, negliguntur, cum tamen certo præſidio eſſent certioremque medelam, quam aurei vel ſolares pulveres, præſtare poſſent. Solutio lapidum cancrorum, cujus analyſeos HELMONTIVS inventor eſt, ut ex ejus *Oper. p.* 283. patet, præſentiſſimum remedium eſt, ad omnes inflammationes internas, ad contuſiones, coagulationes & congrumationes ſanguinis: gaudet enim cruorem diſſolvendi, atterendi, attenuandi & ex ſtaſi in motum reducendi diſſipandique facultate, ſi modo arte conſilioque ſervari potuerit æger. Ea, quæ dixi, tribus pluribusque confirmabo exemplis: nulli enim rei fides habenda eſt, cui experientia non reſpondet. Vir quidam habitus toroſi, menſe Iulio, equo inſidens præcipitem egit, ex quo intolerabilem in pectore dolorem, quoties ſe movebat, ſenſit, ut in metum incurreret, ſanguinem forte grumoſum & inflammationem, cum ſuperventuro empyemate, tunicæ pleuræ inhærere. Ego accitus, habito conſilio, locis affectis ſpi-

ritum vini alcoholisatum & more meo largius camphoratum, sæpius applicari jubeo, interne vero pulverem resolventem & antispasmodicum salinum, & Tincturam Rhabarbari, alternative, cum infuso herbæ Arnicæ præscribo. Sed hæc omnia, increbescente dolore, minus satisfaciunt resolvendi & discutiendi scopo. Ideoque sequentem potiunculam exhibui: Rec. Lapidum cancrorum pulverisatorum drachmas duas, Aceti triticei destillati uncias quatuor, ebullitione peracta singulis trihoriis dimidium circiter vasculi, pro sorbillando infuso Thee destinati, porrigatur. Hoc medicamentum intra triduum quater reiteratum & cum manifesta mutatione in melius adhibitum est. Si fucus placet, pro odore aliquot guttulæ Liquoris mineralis anodyni, & pro colore tantillum cinnabaris addi possunt. Aliud exemplum: Miles gregarius, quo Centurioni intererat, mense Februario in Nosodochio Chemnitiensi adeo acuta laborabat febre pleuritica, ut Chirurgi castrenses de ejus restitutione prorsus desperarent: nihil enim auxilii horum opinione supererat. Ambo igitur a Centurione ad me missi sunt, ut meam operam implorarent, si quadam adhuc juvandi arte pollerem. Non denegavi consilia; conspecto autem ægro, ille ob intensum pectoris dolorem vix spiritum trahere poterat, nullo plane sudoris aut sensibilis transpirationis indicio præsente. Transeo, an sanguis missus fuerit, longe enim post morbi initium ad ægrotum vocabar. Idem interim medicamentum, antecedenti §. descriptum, huic adhibitum fuit, quod dolores leniit, sudorem provocavit & expectorationem movit ita, ut intra aliquot dierum spatium iste Martis filius, in hoc dubio statu, ex mortis faucibus feliciter emigraret. Putas ne castrenses Chirurgos me adiisse, &, ut consilium ferrem, etiam atque etiam rogasse, si hujus remedii vires edocti fuissent? Minime gentium. Aliud exemplum addam: Chirurgus castrensis, die XVIII. Ian. in diem quintum febre pectorali inflammatoria, ex vomica pulmonum, decumbebat. Sanguis V. Sne extractus

post

poſt exiguam interjectam moram corio velut obtectus deprehendebatur, æſtus gravior & dolor inſignis aderat, & exporrectis pedibus æger jacere non poterat. Præſcripſi itaque hanc formulam: Rec. Aceti acerrimi uncias octo, Lapid. cancror. præparat. unciam unam, ebullitione peracta D. ad Vitr. & quarta qualibet hora duo cochlearia porrigantur. Die XIX. Ianuarii in toto corpore ejusque extremitatibus copioſa prodierunt exanthemata, remittente ſimul graviſſima illa doloris vehementia, ex quo poſtea convaluit, & pancratice nunc vivit. Vid. *Lexicon noſtrum medico-chymicum*, quod Chemnicii 1756. prodiit, pag. 127.

§. VII.

Quintum exemplum de uſu ſolutorum Lapidum cancrorum in puerperis dabo. His ſi lochia ſubſtiterint, & cauſam vel terror, vel ira, aut aliud quoddam animi pathema præbuerit, vel ſi etiam genitales puerperæ partes fortuito refrigeratæ fuerint: quale quodque vitæ & ſanitatis periculum, quæſo, inde oriri ſolet? proximum eſt, ut inflammatio uterum perdat. Sed nihil eſt, quod in principio tantis periculis magis reſiſtit, quam potiuncula ex Cancrorum lapidibus & rhenano vino, vel pro pauperioribus cum aceto parata, & tertia quartaque hora, vel etiam ſingulis horis in prædicta doſi exhibita. Mirum dictu eſt, quam celeriter inflammatio exſtinguatur & periculo provideatur, prout ſæpius, & nuper admodum, in tenerrima puerpera expertus ſum. Quodſi clyſterem, vel fotum, ex emollientibus ſpeciebus Flor. Sambuc. Verbaſc. & Chamomillæ cum lacte coctis, externe ſimul applicueris, tanto certius citiuſque optione potieris tua. Cerdonis mulieri, quintum puerperæ, die tertio poſt partum graviſſimo horrore correptæ, & ſubſiſtentibus lochiis (terror & ira præceſſerant), quarta qualibet hora drachmam Lapid. cancr. in duobus vel tribus cochlearibus aceti vini ſolutorum, præſentaneo cum effectu exhibui:

hibui: æstus quidem insignis, cum accelerato arteriarum pulsu & copiosissimus sudor subsequebantur, redeuntibus tamen altero die lochiis, ut quasi ex mortis faucibus erepta videretur ægra.

§. VIII.

In *diarrhœis torminosis*, *doloribus colicis*, *& passionibus hystericis*, in quibus Medici de consopiendo malo magis fatigantur, quam rogantur, promtiorem præsentioremque efficaciam a nullo unquam alio medicamento expectaturus es, quam a *Tinctura Rhabarbari:* secura est, certa est & cita in demulcendo, leniendo & mitigando eo, quod sensibiles intestinorum membranas & membranarum fibras irritat, lacessit & exacerbat. Peropportune vero saluberrima ista anima cum decocto quodam dilutiori, vel infuso sorbillatur, quod ex floribus Chamomillæ vulgaris & summitatibus Millefolii paratum est, veluti innumeris exemplis utriusque sexus, inprimis tamen in feminis, experti sumus, & indies adhuc experimur. Hæc etiam medicina mitigandis puerperarum doloribus, peracto partu adhuc vigentibus, satisfacere valet, & quidem citra majoris mali metum, quod aliis consopientibus minus tutis subrepere solet. Duo hæc præstantissima præsidia, Tinctura nempe rhabarbari & species præscriptæ, centena alia remedia virtute superant, & ipsis etiam balsamicis pilulis, non rite correctis, præferenda sunt; nullam enim stricturam, nullum stimulum in intestino recto relinquunt. Læti recordamur, hoc auxilii genus, in tenerrimis aliquibus puerperis cum successu atque ad votum adhibitum esse, & atrociores post partum dolores sedasse. Alio tempore etiam sequenti præsidio bono cum effectu usi sumus: Rec. florum Chamomillæ vulgaris, summitat. Millefol. ana manipulum dimidium, flor. Chamomillæ Romanæ pugillos duos, F. Species, coquantur in cerevisia, sæpiusque cyathus hujus decocti calide bibatur.

§. IX.

§. IX.

In vario *alvi fluxu* medendi ſcopum pro cauſarum varietate, & ægrotantium reſpectu, in hoc §. per aliquot exempla tradam, ut appareat, certa conſtare in certis hujus generis morborum cauſis, remedia. Femina puerpera menſe Iunio diarrhœa corripitur. Diarrhœa puerperarum quantum formidinis adſtantibus incutiat, lethales plerumque eventus, manifeſtum reddunt. Semper periculum in mora eſt. Sed teſtæ ovorum & parum Antimonii diaphoretici, cum Mixtura, ex eſſentia gentianæ & caſcarillæ compoſita, mane data, inprimis vero juſculum ſequens medicatum miram eidem tulit opem. Paratur illud ex pedibus & carne vitulina, floribus ſambuci, foliis altheæ ſeu bismalvæ, radice althææ & raſura cornu cervi, cum tantillo ſalis culinaris, croci & macis. Aqua ſufficienti copia affunditur, & vaſe clauſo coquitur. Decoctum ſæpius calide ſorbilletur. Acrimoniam, dolores & diarrhœam tollit, nec minoris effectus ipſa in dyſenteria eſt. Ad aliam obſervationem progredior, in qua, ob materialem cauſam, evacuatione anoterica opus fuit. Femina honeſta, teneriori fibra a natura donata, patiebatur tormina imi ventris, ructus ſingultuoſos & diarrhœam moleſtiſſimam ex eſu nucum minorum avellanarum, & ſuperbibito vino auſtero rubro, *Pontac* dicto. Conſilio noſtro radix Ipecacuanhæ & Lapides cancrorum, partibus æqualibus mixta, ad drachmam unam cum Infuſo theeformi porrecta ſunt, unde ſex vomitus & quatuor ſedes experta eſt ægra. Poſt hæc Mixtura, ex Eſſentia gentianæ & caſcarillæ compoſita, & ſequens pulvis viſceralis tonum primis viis reſtituerunt. Rec. Antimonii diaphoretici, Lapidum cancrorum, Cort. caſcarillæ, ſingulorum ſcrupulos duos. Miſc. F. vj. doſes.

§. X.

Aliam diarrhœam torminoſam, qua amanuenſis quidam jam aliquot dies graviter decumbebat, ita curatam ſcio, ut flo-

res chamomillæ vulgaris & summitates Millefolii, pro infuso theeformi, cum lacte parando, præscriberem, illudque sæpius calide bibendum suaderem. Deinde ordinavi pulverem præcipitantem & roborantem, ex putaminibus ovorum paratum, singulis quatuor horis sumendum, superbibendo simul prædictum infusum. Pro victu erat jusculum farinaceum, avenaceum & tenuis puls ex frumento Saracenico, pro siti autem exstinguenda, si forsitan urgeret, decoctum pedum vitulinorum calidum, omni interdicto cerevisiæ usu. Hoc vero adhuc annotandum volo, evacuans remedium in isto ægro non potuisse adhiberi, quoniam illud elapso jam morbi principio frustraneum fuisset, & in detrimentum cessisset. Imo dubito an etiam in initio diarrhœæ & Dysenteriæ illud semper proficuum sit: dubitat etiam LENTILIVS *Iatronnemat. P. II. p. 682. Purgantium*, inquiens, *in dysenteria usus mihi nunquam, etiam in benignis, probatus fuit, licet aliquando in praxis meæ incunabulis adhibitum testor. Absona est eorum sententia*, scribit b. STENZELIVS, *& consilium, qui in diarrhœæ, vel, quod majus adhuc est, in dysenteriæ medela, rhabarbaro & aliis purgantibus, de alcalini acrimonia salis participantibus utuntur; hic quippe de salibus acribus corrigendis, temperandis, implicandis, eluendis, haud exasperandis vel retinendis, Medicum decet sollicitum esse; unde evitatis quibusvis acribus, sola oleosa simplicia, demulcentia ac seroſa emolliendo evacuantia, in præsenti statu casuque optimorum titulum remediorum promerentur. Vid.* LINDESTOLPE *Lib. de Venen. p. 34. not. d.* SYDENHAMIVS autem experientia edoctus didicit, dysenteriam & certissime & celerrime curari, si, missis ambagibus, fluxus Laudano confestim sistatur. *Oper. p. 531.* Axioma practicum jam est pervetustum: per locum affectum nunquam evocandos esse humores. Diluentia & lubricantia non solum strictam & crispatam fibram laxant & mulcent, sed etiam causam acrem, intestina irritantem, hebetant, obtundunt & sine stimulo evacuant. Pluries vero, quam simplici vice, nos experti sumus, putamina

ovorum

ovorum bonum & certum esse præcipitans & optimum roborans, quod, instar omnium, satisfacit, & quorum usu coralliis quoque carere possumus. Meæ sententiæ adstipulatur celebris ille Medicus Cæsareus castrensis, KRAMERVS *in Medicina castrensi*, *P. I. p.* 21. Laborabat mense Augusto quidam Dysenteria alba cum intolerabilibus intestinorum doloribus, sub quibus filamenta quasi abrasa prodierunt. Hunc ita curavi, ut singulis binis horis testarum ovorum dosis, ad drachmam dimidiam, vel scrupulos duos, cum Essentiæ cascarillæ guttis xxv. in aqua Cumini calida ordinarem. Iuxta hæc quietam continentiam in lecto suasi, ne surgeret, sed erumpenti sudori occasionem præberet. Nemo enim ægrorum in diarrhœa & dysenteria absque blando diaphoretico regimine sanari potest. Superato morbo summam corporis debilitatem & virium prostrationem sensit per octiduum, id quod nos de morbi gravitate certos reddidit. Porro etiam viduæ cuidam honestissimæ in diarrhœa biliosa cum febre, mense Octobri sequentia cum effectu salutari dedimus: Rec. Testarum ovorum, Cornu cervi sine igne ppt. Antimonii diaphoretici, ana drachmam unam Misc. F. vj. doses, quarum una qualibet quarta hora, instillando prius eidem xx. guttulas Essentiæ Cascarillæ, cum Infuso Theæ, sumatur, expectando dein, sub tranquillo decubitu, lenem sudorem, hacque ratione brevi temporis intervallo convaluit.

§. XI.

Chirurgiæ tyroni in dysenteria incipiente dedi pulvillos, ex ovorum testis paratos, tres, quatuorque per diem, simulque præcepi, ut sequens jusculum calide in larga copia biberet. Ebulliant cerevisiæ bonæ, claræ & defecatæ lactisque partes æquales, addito tantillo croci & saccharo, ad modum, quo jura Paschalia heic loci a mulieribus parantur, sed sine pane. Detur, ad sorbillandum, quoties & quantum lubet. Quæ curandi ratio cum mense Septembri feliciter cederet, primum tyroni, deinde

deinde multis aliis salutari cum effectu præscripta est. Est enim tale jusculum nihil aliud, quam *Zythogala* SYDENHAMI, ad demulcendum, leniendum, invisçandum & mitigandum acre & noxium magnarum virium. In dysenteria juvenis Lintearii pulvis ex Cornu Cervi ust. Antimonio diaphoret. martial. Cort. cascarill. cum tantillo Opii, itemque Essent. Gentian. & Cascarill. certe & optime profuerunt. Puellæ æque, ac seni cuidam, utrisque imbecillibus, idem pulvis antecedens, additis insuper Conchis, Coralliis rubris & largiori Nepenthes dosi, desperata jam fere re, præsentissimam sanitatem attulit, ut more plebis, plus quam par esset, pulveris usum extollerent.

§. XII.

Medicamentum cardiacum est sacra anchora, ad quam confugimus, quando morbo convenienti ejusmodi remedium opponendum est. Hoc nomine intelligimus talem medicinam, quæ, ad mentem SYDENHAMI, motum sanguinis per arterias ad corporis habitum circumducit, sive ut Neoterici loquuntur, vim vitæ, i. e. motum cordis & arteriarum excitat, transpirationem promovet, corporisque robur adauget. *Liquor mineralis anodynus*, nostra sententia, hoc titulo præ aliis remediis merito gaudet: efficacissimum enim cardiacum est, etsi eum solum raro præscribere, sed plerumque cum pulvere quodam diapnoico dare consuevimus. In febribus acutis exanthematicis hujus cardiaci guttas x. vel xv. dosi pulveris miscendo præbemus, quo moderata corporis transpiratio tanto tranquillius succedat. Docet enim HIPPOCRATES, *Prænot. Coac.* §. 360. ἱδρωτες δε, οι μεν κατα μικρον ωφελεουσιν, οι δε αθροι βλαπτουσιν: *sudores autem partim quidem sensim procedentes iuvant, partim vero universim effusi, nocent.* Hac methodo, exeunte mense Augusto, spectabilem quendam ærarii tribunum, febri rheumaticæ purpuratæ implicitum, Deo benedictionem largiente, in pristinum sanitatis statum restituimus. Cum enim symptomata mali moris,

ris, ſcilicet ſpaſmi, vomitus, horripilatio corporis, & alia intercurrerent: nihil ſane horum medentem a medendi ratione tranquilliſſima avocare potuit, bene memorem illius regulæ: οἱ ἱδρῶτες μετα γαλαγμων καὶ ἁλμιζοντες, *moderatos & quietos ſuderes præſtare, tollere enim periculoſa ſymptomata.* Haud imparem medendi rationem ingreſſus ſum, antecedente ægroto reſtituto, cum menſe Octobri puerperam, laxa mollique fibra præditam, in purpura alba, quæ uſque ad digitorum apices venerat, in ſanitatis cura habebam. Pulveris diapnoici uſus, cujus ſingulis doſibus Liquoris mineralis anodyni guttæ decem inſtillatæ ſunt, tam pro morbo curando, quam pro viribus reficiendis, ſalutaris evenit, id quod ægra, ſumto medicamento, qualibet vice confeſſa eſt. In fine morbi Eſſentia quadam alexipharmaca, ex Scordii herba & radice Pimpinellæ parata, & æquali pondere Liquoris mineralis anodyni commixta, ad purgandum, ab heterogeneis & reſtitantibus adhuc purpureis particulis, ſanguinem, ſuccurrit. Convaluit primipara præter hominum expectationem.

§. XIII.

Quamvis *camphorata* remedia alias polychreſta ſint medicamenta, nullibi tamen auſpicatius res ſuas peragunt, quam in periculoſis *inflammatoriis affectibus externis*, ſive eryſipelas adſit, ſive gangrænoſa inflammatio vitæ abbreviationem minetur. Iuvenis quidam, annorum XXIV. angina per quatuor dies laboraverat, & hodie male cohærentia loquitur. An colli inflammatio retrogreſſa? Conſultus iubeo veſicantia humeris admovere, cum interpoſita mox deſcribenda potiuncula, & hoc conſilium ex voto ceſſit, ad ſententiam noſtri *Mechaniſmi V. S.* Chemnitii editi, p. 22. Dixerunt enim, primum potiunculæ cochlear per omnes ſtatim artus penetraſſe: credo. Fuit autem ſequens: Rec. Nitr. depurat. ſcrupulos quatuor, Conchar. ppt. Antimon. diaphor. ana ſcrupulos duos, Camphoræ gr. ſex, Aquæ fontanæ uncias quatuor, Liquor. miner. anodyn. guttas XX. D. ſingulis bihoriis duo cochlearia. Hoc tantum, ut moneam habeo, colli inflammatio-

nem, ex mea sententia, potius ad externas morborum species referendam esse. In antea dictorum veritatem duo adhuc casus, notatu sane haud indignos, proponam, in quibus gangræna a parte, quam tenebat, non remotior, quam actualis ignis, flamma in tecto erumpente, a prima domus contignatione, fuit. Famula honestæ feminæ, ex male tractata febre, & inde profecta mensium suppressione, sibi contraxerat, mense Iulio, tumorem pedis inflammatorio-erysipelaceum, & fere gangrænosum. Multa superstitiosa, per characteres etiam, adhibuerat. Vt locum affectum aqua reginæ Hungariæ largiter camphorata inungeret, & postea sacculum ex floribus Chamomillæ Romanæ & Sambuci paratum, sæpiusque calefactum imponeret, autor fui. Ne autem materia peccans, in cortice hærens, in vitæ periculum repellatur per externe adhibita, interne simul pulvilli polychresti, cum camphoræ grano uno & altero, mane & vesperi assumendi, dati sunt. Quibus usurpatis, intra biduum œdema gangrænosum, magno cum famulæ gaudio, discussum est. Vid. nostræ *Observat. therapeuticæ*, Lips. apud Langenheim. editæ p. 92. Nec minori attentione alter casus dignus est. Civis quidam septuagenarius interfuerat societatis canentium convivio, elapso triennio, consueto, & diebus XIX. & XX. mensis Octobris vino largiter potus est. Die XXII. ejusdem mensis corripitur vesperi aliquo horrore, quem æstus excipit. Die XXIV. Octobris erysipelas in pede conspicitur sinistro, cum dolore & virium prostratione. Consultus cubitum ituro dosin pulveris polychresti camphorati porrigo, post cujus usum, die XXV. Octobris relatum est, somnum inquietum fuisse, dolorem inflammatorium augmentum capere, & inflammationem ipsam totam fere tibiam, usque ad genu, occupare. Pulsus, quem accedens observabam, fortis erat, ut nihil, quam gangrænæ metus, supereresset: aderant enim tres inflammationis notæ, secundum *Corn.* CELSVM *Lib. III. Cap.* 10. rubor, calor, dolor, sine tamen tumore, quod tanto periculosius habendum est. Circa malleolum externum jam

escha-

eſcharam, gangrænæ ſignum & ſphaceli, animadverto. Hinc hora matutina ſeptima, & antemeridiana decima, ſequentem Mixturam præſcribo: Rec. Eſſentiæ Scordii drachmas duas, Pimpinellæ, Liquoris mineralis anodyni ana drachmam D. guttulæ XL. pro doſi cum calido infuſo Thee; hora autem pomeridiana tertia, veſpertina ſexta, & circa ſomni tempus decima, tres doſes pulveris polychreſti camphorati, ita, ut granum pro doſi veniret, exhibitæ ſunt. Externe ſacculum ex floribus chamomillæ & ſambuci paratum, inſperſo ſpiritu vini camphorato, admovere, & eſcharæ Liquorem balſamicum imponere juſſi. Die XXVI. Octobris nunciatum eſt: ſomnum quietum ſatis eſſe, ægrum per totum corpus tranſpiraſſe optime, αγαθοι οι ιδρωτες δια παντος τ̃ σωματος γιγνομενοι, HIPPOCRATES *Prognoſt. Lib. I.* & ruborem plus, quam duabus tertiis, minorem factum eſſe, dolorem tolerabilem ſatis eſſe. Quam ob cauſam hodie & ſequentibus diebus iisdem medicamentis perrexit, quo eryſipelas extrinſecus maneret & ſecure exhalaret. Dicit enim HIPPOCRATES *Coac. Prænot.* 366. Edit. Foeſ. p. 175. *Eryſipelas foras quidem exſtare utile, intro autem vergere lethale.* Quibus regulis attentius obſervatis periculoſe languens ad priſtinam valetudinem vigoremque, diu, adſpirante Deo, revocatus eſt.

§. XIV.

Sæpenumero factum eſſe recordor, ut in ſtatu *variolarum* anxio, quem adſtantes derelictum cenſerunt, pulvis quidam diapnoicus, vel alius ejusdem indolis, ex Antimonio diaphoretico & præcipitante paratus, ſed cum Regulo antimonii medicinali combinatus, mirabili & felici ſucceſſu miſere decumbentibus ceſſerit. Primi fructus quies & ſomnus fuerunt. Sic memini menſe Februario puellam decem annos natam, eruptis jam variolis confluentibus, convulſionibus vehementiſſimis diſtenſam eſſe: cui aliquot doſes deſcripti pulveris proſperrimum effectum miraculi inſtar attulerunt, ut tam gravem morbum vis vitæ, medi-

camento adjuta, feliciter superare valuerit. Quid quæso illis respondendum erit, qui de transitu hujus Reguli per vasa chylifera dubitant? Experientia contrarium evincit, quod nimirum ille certum, in hoc certo statu, medicamentum antispasmodicum, haud una vice, præbuerit. Nam eodem anno jam ad finem properante, eundem pulverem in duabus virginibus agnatis, altera nonum, altera decimum annum vix supergressis, quæ ambæ, dum febrem scarlatinam vix superassent, eo majori cum periculo nunc varioloſa ægrotabant, probatum expertumque compertus sum. Vna ex his, ob inquietam jactationem in lecto, jam pro deplorata habebatur; exhibito vero primo pulvillo per integram horam, secundo, per bihorium quiescebat, ut parentes honorifici & effectum & relictum in cochleari argenteo colorem sulphureo-aureum, admirarentur. Alios adhuc, & quamplurimos casus, enarrare possem, in quibus pulvis diapnoicus cum Regulo antimonii medicinali partibus æqualibus commistus, saluberrimus deprehensus est, e. g. in variis lymphæ vitiis chronicis, affectibus scabiosis, cum & sine exanthematibus, aliisque sanguinis impuritatibus, quæ multiplicia hujus generis mala inducere pollent; sed Lectoris patientia ne abutar, filum hic abrumpo.

§. XV.

Regulum antimonii medicinalem, Aethiopem mineralem & antimonialem satis activa medicamenta esse, quæ gigantibus, seu morbis magnitudinis modum excedentibus, non vero nanis & pumilionibus opponenda sunt, multiplici experientia edoctus sum. Sunt enim prælaudata remedia tantæ efficaciæ, ut eorum circumspecto usu variolæ in pueris in tantum præcaveri queant, in quantum curationis successus iisdem facilior redditur. Ista enim medicamenta, eximia virtute prædita, in interiores corporis humani recessus & occultos glandularum angulos & mæandros penetrant, materiam futuram specifice ulcerosam invertunt & inertem faciunt, ut posthinc varioloſæ pustulæ

læ non adeo insigni in copia in cute prodeant. Hinc SYLVIVS *Prax. Lib. IV. Tractat. I. §. 69. inter medicamenta*, inquit, *tunc usurpanda* (de variolis & morbillis loquitur) *expertum præ aliis omnibus commendo antimonialia, tum quia summam possident, sanguinem a quovis humore noxio mundandi, efficaciam & vim, tum quia sæpenumero pluribus possunt satisfacere indicationibus, atque, pro re nata & operatione desiderata, per plures vias humores noxios expellere.* Sic etiam WEDELIVS in *Opiolog.* p. 93. & 94. hæc habet: *Antimonium totum fere in sulphur converti potest, & nisi extravertatur hoc ipsum, ut cum sale sortiatur prædominium, vomitum non movet, uti constat, Antimonium in substantia contra epilepsiam dari, vel per se, vel cum castoreo, asa fœtida & gummi ammoniaco mixtum, unde consurgit pulvis*, niger *dictus, in epilepsia hysterica magni usus. Vtinam osores mercurialium & antimonialium secum reputarent, quanta & qualia arcana, non dicam arcanorum miracula, sub horum tegmine natura occultasset.*

§. XVI.

Quis quæso tentaturus est, subjecto, bis in anno horrenda colica spasmodica afflicto, contra manum scabioso-ichoroso-ulcerosam prurientem, qui affectus per integrum jam duraverat annum, per duos menses, Septembrem & Octobrem, prævia intestinorum per laxans a recrementis absersione & purgatione, Aethiopem mineralem, ex florum sulphuris & mercurii depurati æquali portione paratum, mane & vesperi, cum Antimonii diaphoretici iterum æquali parte commixtum, exhibere? ita, ut pro dosi de solo Aethiope primum dimidius scrupulus, dein grana quindecim, tandemque iterum grana duodecim admixta fuerint. A die XIII. mensis Septembris, usque ad diem XXIII. Octobr. cuidam Nobili homini octonæ & octogenæ doses de hoc pulvere ordinatæ sunt; & licet ultima portio se ad novem vel duodecim dies extenderet, tamen intra quinquaginta & trium dierum spatium de mercurio currente, cum sulphure subacto, quantitatem unciæ unius assumsit absque ulla noxa. Die XXIII.

Octobr. litteras accepi, in quibus sperabat ægrotus, se liberationem a malo obtenturum, cum jam optime degeret. Die vero XXIX. Octobr. ostendit manum siccam, sanam & ab ulcere purgatam. Quid æthiops antimonialis in tumore scirrhoso labii superioris cujusdam feminæ, ex suppressa coryza per quinquennium malo hoc afflictæ, & jam eventui, de quo fortuna judicat, relictæ, præstiterit, stupendum est auditu dictuque.

§. XVII.

In *vitiis excretionis urinæ*, & partium proxime adjacentium, utplurimum occultum ulcus, ubicunque locorum etiam lateat, in causa est, & symptomata exinde dependentia nequaquam tolluntur, nisi ulcus funditus sanatum fuerit. Hujus igitur morbi causa sollicite perveſtigata, nullam commodiorem viam, occultum tale ulcus tollendi, deprehendi, hacce medendi ratione: Horis matutinis Mixturam ex Essentiæ pimpinellæ, succini, ana uncia dimidia, spiritus Terebinthinæ drachma dimidia, semper antea probe agitatam, ad guttulas triginta in sequenti infuso haurire jubeo: Recipiantur specierum ordinariarum, quæ ex millefolio, radice pimpinellæ & corticibus aurantiorum parantur, manipuli duo, infundantur pugilli aliquot cum lacte fervido, & mane paulo largius, ad scutellas octo, vel decem, infusum hoc bibatur, quo guttulæ balsamicæ probe diluantur, &, quadantenus temperatis oleoso-acrioribus partibus, ad sensibilissimas membranarum fibrillas innoxiæ ferantur. Pomeridie & vespertino tempore, ad temperandam massam sanguineam, & motum febrilem internum hecticum, qui ex causa ulceris, & remedii terebinthinati, forsitan augeri posset, pulveris, ex Magnesiæ albæ, Nitri depurati & Tartari vitriolati partibus æqualibus compositi, drachmam dimidiam, cum aqua fontana exhibui, & in tribus subjectis curationem feliciter peractam recordor.

§. LVIII.

Tandem etiam, quid de medicamentis in curatione *febris epide-*

epidemicæ, quæ anno præterito per Europam graſſata fuit, ſentiam, quæque aliis remediis effectus certitudine palmam præripuere, cum Lectore candide communicabo, hocque facto, totum inſtitutum meum æquis, & rerum peritis, ad quos provoco, arbitris dijudicandum relinquam. Symptomatum hiſtoriam, ab aliis fusius delineatam, non attingo, id tantum adiiciens, febrem malignam partim exanthematicam fuiſſe, partim peſtis tardioris more proceſſiſſe, & quod hujus imperio omnes pene alii morbi ſubjecti fuerint, & facili obſequio ſe conjunxerint. Hinc ſingulis menſibus ſchema quadantenus mutavit. Omnes igitur occurrentes ægroti una eademque ratione tractari non poterant. Primum quod commodum & conveniens videbatur, primarum viarum abſterſio fuit, magis tamen per emetica & digeſtiva, quam per laxantia; hinc in aliquibus pulverem, ex radicis Ipecacuanhæ & lapidum cancrorum partibus æqualibus compoſitum, in aliis digeſtiva, ex ſolo arcano duplicato, utilia deprehendi. Hoc facto ad bezoardica, non tamen volatilia, ſpirituoſa, calidiora, alexipharmaca vel cardiaca, ſed ad fixa, progreſſus ſum, quæ ex Antimonio diaphoretico, Conchis & Succino præparato commixta erant. Ceterum hoc loco celare nolo, quod pulverem ſingularem ex Nitri, Antimonii diaphoretici & Corticis peruviani partibus æqualibus compoſitum, & κατ ἐξοχην *epidemicum* nominatum, inſigni cum effectu ægrotis exhibuerim. Aliis vero potiunculam epidemicam, ex aqua florum tiliæ, acaciæ, pulvere diapnoico, ſyrupo acetoſitatis citri & Liquore minerali anodyno paratam, interpoſui, ſemper madorem, vel quoque ſudorem, abinde expectando, imperando. Quem in finem, ut ſcilicet ſudoris materia nunquam deficeret, Infuſum theeforme ſæpius bibendum ſuaſi, & adſtantibus, ut exhiberent, juſſi. Superato tandem morbo, *Mixturam* meam *epidemicam*, quæ ex ſpiritu tartari rectificato & Liquore minerali anodyno, rarius cum eſſentia ſcordii, pimpinellæ, vel tantillo alexipharmacæ temperatiſſimæ, compoſita erat, exhibui, ad lenem exhalationem & tranſpiratio-

rationem corporis promovendam; ad nervoſum autem genus roborandum, corticis chinæ de china eſſentiam. Aliis, quibus inflammatorii quid interfuit, ſolutio lapidum cancrorum cum aceto vini in morbi progreſſu profuit, ad modum, quem ſupra tradidi: aliis in fine morbi, poſt uſum pulveris epidemici, ad appetitum reſtaurandum, tenerrimi Tartari vitriolati uſus proficuus erat, ita quide m, ut plures ex ægrotis meis ſtomachica, balſamica, viſceralia & calidiora abhorruerint. De venæſectione in febribus malignis ita ſentio: corpora ſuccis exhauriuntur neceſſariis, coctio febrilis impeditur & turbatur, præcipue in iis, qui diætæ ſpirituoſæ minus adſueti ſunt. Ego quidem multas febres malignas & acutas, ſine omni ſanguinis miſſione ſanatas, & rite regulariterque curatas vidi, cum viciſſim aliæ, in quibus ob generoſi victus rationem ſanguis ſubtractus eſt, funeſte decurrerunt: aliæ etiam, ob eandem ſanguinis amiſſionem, aut perverſe & incongrue, aut ambigue ſatis terminatæ ſunt. Mittant itaque ſanguinem humani ſanguinis cupidi, brevem medendi methodum amantes; parcant ingenio ſuo, ſuperſedeant meditationibus clinicis, in ſalutem ægrotantium inſtituendis, deſperato, ſi quid fit, plerumque conſilio eluctantur ægroti, ſi modo eluctari ſoleant. Medicis, ne in perniciem deducantur, tres regulas aureas commendatas eſſe volo: 1) ne turbato animo ad ægrotos accedant: 2) ne liquidum nerveum, quod veteres ſpiritum vitalem appellarunt, intenſioribus meditationibus peſſundent, ſed 3) tranquilli τὸ θεῖον in Epidemia agnoſcant.

D. IOAN-

D. IOANNIS PETRI EBERHARD

MEDICINAE IN REGIA FRIDERICIANA HALENSI PROF. PVBL. ORDINAR. ET PHILOSOPH. EXTRAORDINARII, ACADEMIARVM, CAESAR. NAT. CVRIOSOR. COLLEGAE ET ELECTORAL. MOGVNTIN. SCIENTIAR. VTILIVM ADSESSORIS ORDINARII,

COMMENTATIO DE COLORE AËRIS.

D. IOANNIS PETRI
EBERHARD
MEDICINAE IN REGIA FRIDERICIANA
HALENSI PROF. PUBL. ORDINAR. ET PHILOSOPH.
EXTRAORDINARII, ACADEMIARUM, QUAE IN GERMANIA
SUNT, COLLEGAE, ET PHYSICORUM MOSQUENSIUM
SOCIETATIS, UTRIUSQUE ADSESSORIS

COMMENTATIO
DE
COLORE AERIS.

§. I.

Introductio.

Aëris variæ ſunt qualitates phyſicæ. Eſt enim *gravis*, *elaſticus*, *pellucidus*, *rarus*, forte etiam, ut vero admodum eſt ſimile, *electricus*. Et hæ fere omnes qualitates ita ſunt comparatæ, ut vel ſtatim in ſenſus incurrant, vel experimentis ſaltem vulgaribus & facillime inſtituendis poſſint detegi. Sic aqua in ſcypho inverſo & chartula tecto, pendula, aëris demonſtrat gravitatem, dum aquam ab aëre in æquilibrio ſervari oſtendit. Imo ſola ſuctio, aquam elevans, idem declarat, ut mirum adeo ſit, non prius cognitam fuiſſe hanc veritatem, & univerſam Phyſicorum, ante GVERICKII tempora, gentem ita fuiſſe occœcatam, ut tanto opus fuerit experimentorum apparatu ad demonſtrandam naturæ legem tam facile perſpiciendam. In eo equidem jam omnes conveniunt Phyſici, & gravem eſſe aërem, & elaſticum: verum *an colore aliquo gaudeat*, an vero omni colore ſit deſtitutus, de eo non omnes eadem ſentiunt. Neque adeo inutile eſſe exiſtimo, de hoc argumento quædam jam commentari.

§. II.

Color quid?

Antea autem quam ad ipſam explicationem de colore aëris accedam, neceſſe eſt, ut quid per *colorem in genere* intelligamus, accurate determinetur. Solet nempe hæc vox vario ſenſu non ſolum a vulgo ſumi, ſed & ab ipſis eruditiſſimis Philoſophis. Communiter autem coloris vox quadruplici ſenſu ſumitur. *Primo* per colorem intelligimus *peculiarem aliquam in oculo factam a lumine ſenſationem*. Si nempe de rubro vel cœruleo loquor colore, peculiarem aliquam in oculo intelligo ſenſationem, quæ ideam in animo meo excitat, quam rubrum vel cœruleum

colorem dicimus. Obſervavit BOYLEVS *a*), in Peſte quadam ſubjectis peſtifero veneno infectis, omnia colorata apparuiſſe. Hi colores neque in ipſis objectis fuere, neque in lumine, ſed a peculiari retinæ ſenſibilitate, ab irregulari reddito influxu liquidi nervei, fuere producti. Idem non raro hyſtericis æque ac hypochondriacis contingit *b*). *Secundo* colorem vocamus *peculiarem radii cujusdam qualitatem*, quam in diverſa luminis celeritate conſiſtere, olim jam demonſtravi. Hoc ſenſu lumen dicimus rubrum, ſi radius, rubedinis ideam in nobis excitans, a reliquis radiis fuerit ſeparatus. Vero autem ſimile eſt, hunc radium eum eſſe, cujus particulæ celerrimo motu feruntur, aut, ſi cum Illuſtri EVLERO luminis vibrationes aſſumimus, is, cujus vibrationes celerrime ſe excipiunt *c*). *Tertio* colorem dicimus *corporis certam qualitatem, qua vel rubros, vel alios coloratos radios tantum, aut reflectit, aut refractione a reliquis ſeparat.* Sic ſanguinem dicimus rubro gaudere colore, quia propter peculiarem lamellarum craſſitiem rubros tantum radios reflectit, uti hoc alio loco a nobis demonſtratum eſt *d*). *Quarto* colorem eo ſenſu accipimus, quo a pictoribus ſumitur, pro peculiari ſcilicet corpore, quod, aliis corporibus illitum, efficit, ut hos vel illos radios reflectant. Sic cinnabarim rubrum colorem, gummi guttæ flavum colorem vocant pictores.

§. III.

Color aëris quid.

Facile intelligitur, nos, dum de aëris colore diſputamus, hanc vocem neque primo, neque ſecundo ſignificatu ſumere. Neque

a) Experimenta & conſid. de colorib. cap. 2.

b) Inſigne tale exemplum hyſtericæ femellæ BOYLEVS l. c. affert, quod olim jam in meo *de Coloribus* edito libello adduxi fuſiusque explicavi.

c) Vid. ejus Nova theoria lucis & colorum. Opuſc. T. I. p. 169.

d) Vid. Diſſert. mea inauguralis de Sanguificatione p. 30.

Neque enim ad ſenſationem hic reſpicimus in animo factam, neque ad radiorum qualitates. Imo neque eo ſenſu colorem aëri ineſſe, quo pictores illum corporibus quibusdam tribuunt; ſed, cum aër medium ſit tenue atque diaphanum, quod radios luminis refringit: colorem aëri tribui, ſi facultatem ei adſcribamus, radios quosdam coloratos fortius refringendi. Notum enim eſt ex phyſicis 1) non omnes radios luminis a mediis diaphanis æquabiliter refringi, ſed eſſe refractionem maximam violacei, coloris rubri vero minimam. 2) Radios coloratos a diverſis mediis pellucidis vario modo refringi, ita ut medium aliud diaphanum rubros radios fortius refringat, quam reliquos, aliud in cœruleos fortius agat. 3) Produci inde colorem medii diaphani. Aër itaque ſi colore quodam gaudet, gaudebit facultate quadam quosdam radios coloratos fortius refringendi. Quæ qualitas an revera aëri inſit, iam erit determinandum.

§. IV.

Experientia quid doceat.

Animadvertimus 1) *Aërem non mutare colorem corporum propinquorum.* Sic omnes florum aliorumque coloratorum corporum colores in vacuo Guerickiano, eosdem deprehendes, quos in pleno & libero aëre. 2) *Remotorum corporum colores ſi admodum fuerint vividi, uti albus color vel ruber, vel plane non, vel parum tantum mutantur.* Sic lunæ color albus & ſplendidus colorem ab aëre nullum accipit. Alba turris in diſtantia unius milliaris Germanici eodem modo alba videbitur. 3) *Alia vero corpora, quorum color flavus, viridis ac violaceus vel griſeus eſt, ſemper, in diſtantia certa, cœrulea apparebunt.* Fit inde, ut ſylvæ ac montes ad horizontem cœrulei appareant. Montium altiſſimorum cacumina ob eandem cauſſam, inſignem nempe altitudinem, cœruleſcunt. 4) *Cœlum ſudum, ſemper cœruleum apparet, qui color eo magis eſt ſaturate cœruleus, quo propior eſt vertici; eo magis vero albeſcit,*

quo remotior. Cum cœlum non ſit corpus aliquod peculiare, fornicis in modum curvatum aut plane rotundum, uti antiquiores Philoſophi ſomniarunt, & vulgus adhuc quoque exiſtimat: patet, colorem hunc non poſſe cœlo tribui, ſed aëri. An vero aëri proprius ſit & peculiaris, an vero per accidens tantum oriatur, de eo infra diſputabitur.

§. V.

Generalis horum phænomenorum explicatio.

Duplici modo explicari poſſunt hæc phænomena. *Primo* enim aſſumi poteſt, aërem per ſe omni colore deſtitui, & cœruleum illum colorem, quo remota corpora tincta apparent, & quo cœlum etiam ſudum gaudet, oriri ex mixtione lucis cum umbra, ſeu ex reflexione radiorum lucis albæ, cum atro colore cœli & remotorum objectorum. *Secundo* in ipſo aëre aſſumi poteſt facultas quædam radios cœruleos objectorum fortius refringendi, unde cœruleus fiat objectorum color. Cum utrumque poſſibile ſit, in ſcientia autem naturali non poſſibiles rerum tantum requirantur explicationes, ſed tales, quæ revera exiſtunt; hinc oportet ut diſquiramus, quænam harum explicationum vero ſit magis ſimilis, & experientiæ quam maxime conſentanea. Tota itaque de aëris colore tractatio eo redit, ut *primo* argumenta eorum proponantur, qui colorem aëris ex lucis cum umbra mixtione explicant. *Deinde* demonſtretur, hanc explicationem non ſufficere, niſi in ipſo aëre colorem aſſumat. Et *tertio* tandem hæc ipſa opinio ab objectionibus liberetur.

§. VI.

Hiſtoria opinionis de aëris colore.

Non equidem omnes jam Phyſicorum opiniones de aëris colore recenſere animus eſt, neque temporis & negotiorum ratio jam permittit, ut omnia nunc Phyſicorum ſcripta evolvam: ſuffi-

ſufficiat aliquot tantum adduxiſſe. *Honoratus* FABRI *e)* jam cœruleum illum colorem ex reflexione luminis ab atomis & corpuſculis in aëre volitantibus deducit, unde talis oriatur luminis modificatio, quæ cœruleum colorem produceret. Succenſet ſimul FROMONDO, qui eundem colorem a lumine molli, ſubluſtri, & ſemidigeſto opaco permixtum deduxerit. Videtur FROMONDVS in eadem ſententia fuiſſe cum plurimis recentiorum Phyſicorum, qui colorem aëris cœruleum uti §. antec. diximus, a mixtione luminis ab aëris particulis elementaribus reflexi, cum atro illo colore, qui a vacuo illo ſpatio oritur, quod cœlum dicimus, oriri; cum FABRI contra ſolam luminis ab aëre reflexi modificationem pro cauſſa aſſumat. *Ioan. Caſp.* FVNCCIVS edito peculiari libello *f)* de cœli coloribus egit, ibique p. 99. rationem exponit coloris cœrulei, eandemque ut ipſius verbis utar, deducit ex combinatione umbrarum plurimarum cum radiis paucioribus, ſive uti p. 100. ſe explicat, æther nigricans, per aërem pellucidum tranſparet, hinc videtur cœruleus. Eodem fere modo plurimi recentiorum Phyſicorum colorem aëris explicant, uti *Perilluſtris* WOLFIVS *g)*, celeberr. *Pet. van* MVSCHENBROECK *h)*, aliique. *Mariotte i)* autem colorem aëri proprium tribuit, & peculiarem cœruleum, ſed admodum tenuem, indeque colorem cœruleum remotorum objectorum deducit. G. *W.* KRAFTIVS *k)* nihil hic certi definire audet, ſed dum reliquas aëris qualitates enarrat, *aër*, inquit, *colore cœruleo tinctus eſſe aut videtur tantum, aut revera eſt.*

§. VII.

e) In Phyſica ſua, Tractatu V. Propoſ. 221.
f) Liber de Coloribus cœli. 8. Vlmæ, 1716.
g) *Vernünftige Gedanken von den Würk. der Natur*, §. 202.
h) Inſtit. Phyſic. §. 1123. Edit. vernac.
i) De la Nature de l'Air p. 181.
k) Prælection. in Phyſic. theor. P. I. §. 389.

§. VII.

Possibile est colorem cœruleum oriri ex mixtione nigri cum alba luce.

Color in quantum ad oculum refertur, est sensatio peculiaris in retina a lumine excitata (§. 2.). Omnis autem sensatio a caussa externa excitata, dependet a vi corporis extra nos positi, & in nervos nostros agentis. Colorum itaque sensatio a vi luminis produci debet in retinam agentis. Iam vero vis corporis sub eadem massa diversa esse potest, si celeritas fuerit diversa. Verum diversa quoque esse potest, manente eadem celeritate, si massa alteretur. Duplex adeo esse potest colorum origo. Colores primigenei & lumini proprii, oriri videntur a diversa celeritate radiorum luminis. Hinc propter diversam celeritatem, diversa vi retinam oculi afficiunt, & diversos producunt colores. Et celeritas quidem rubri radii maxima videtur, violacei minima, cum flavi, viridis & cœrulei media sit inter illas, uti hoc peculiari libello jam anno 1749. edito demonstrare conatus sum *l*). Iam pone album lumen, quod summam celeritatum reliquorum radiorum continet, quoniam e reliquis coloratis radiis simul sumtis oritur, quoad massam minui. Minuetur inde ejus vis, hinc ejusdem in retinam actio, hinc sensatio producta. Facile inde apparet, albam lucem eo usque minui posse, usque dum eadem inde in retina producatur sensatio, quæ alias a cœruleo radio fuerat producta. Cum umbra nihil sit, nisi luminis imminutio ab opaco quodam corpore producta, patet, mixtionem luminis, ejus tantum esse aliquam imminutionem, quoad massam. Hinc apparet, *mixtionem luminis albi cum umbra producere posse lumen cœruleum.* Fac e. g. vim luminis cœrulei sub certa quadam massa esse = 20. vim albi luminis sub eadem massa esse = 100. Iam vero massam albi luminis

l) *Versuch einer nähern Erklärung von der Natur der Farben, zur Erläuterung der Farbentheorie des Newton.*

minis minui, reſorptis, aut alio modo interceptis radiis, ita, ut quinta tantum pars remaneat, erit $\frac{100}{5} = 20$. hoc eſt, remanens albæ lucis vis æqualis eſt vi radii cœrulei, hinc eundem producet effectum.

§. VIII.

Experimentis evincitur hæc coloris cœrulei origo.

Exper. 1. Chartam luſoriam perpendiculariter in tabula lignea erectum lunæ ſplendenti oppoſui, umbra, ut ſolet, apparuit nigra. Candelam ardentem ad latus appoſui, ita ut duplex umbra oriretur. Vbi duæ umbræ coincidebant, nigredo erat maxima, ea pars umbræ, quæ a ſolo lunæ ſplendore efficiebatur, pallidior erat, reliqua pars umbræ, a radiis candelæ ardentis terminatæ, perfecte *cærulea* apparuit.

Exper. 2. Fumus aſcendens eminus conſideretur per aërem a radiis ſolis valde illuminatum, & videbitur ſubcœruleus.

Exper. 3. In conclavi obſcuro fumus excitatus tranſmittatur per luminis radium per exiguum aliquod foramen incidentem. Fumus hic, ſi non nimis fuerit denſus, ſubcœruleus videbitur.

Exper. 4. Fvnccivs l. c. affirmat, carbonem linteo ſubtili involutum, apparere cœruleum. Eundem colorem oriri, ſi carbonem contuſum cum cretæ tantillo remiſceas, in pulverem redactum carbonem per linteum aut chartam foraminulis pertuſam tranſmittas, & chartæ albæ adſpergas. Vtrumque numquam mihi ſucceſſit, etſi ſucceſſive cretæ copiam auxerim, & mixtum inde pulverem in variis diſtantiis conſideraverim. In venis autem humani corporis occurrens externus cœruleus color, debetur utique venarum tranſparentiæ, & luminis ab externa ſuperficie reflexioni. Sanguis enim in venis contentus ab iisque incluſus, dum lumine caret, nigreſcit, cum qua nigredine remixti albi luminis radii cœruleum efficiunt colorem.

Exper. 5. Atramenti guttulæ, charta alba exceptæ, adſperſi tantillum cretæ; hæc, ſi oculus in certa quadam diſtantia, & charta non nimio lumine illuſtrata erat, cœruleſcens adparuit, ſed fatendum tamen, non tam diſtinctum eſſe huncce colorem, quam in primo experimento.

Ex his omnibus experimentis ſequitur, e certa quadam luminis albi cum nigredine mixtione, eodem modo oculum affici poſſe, quo alias a radio cœruleo. Patet itaque a poſteriori etiam, quod cœruleus cœli color produci poſſit per lumen a particulis aëris elementaribus, vel a vaporibus in aëre hærentibus reflexum. Sed infinitis exemplis docemur in naturali Philoſophia, a poſſibilitate explicationis cujusdam phænomeni non ſtatim ad veritatem hujus explicationis poſſe concludi, niſi per experientiam fuerit demonſtratum, hanc vel illam cauſſam revera vel adeſſe, vel non adeſſe. Inquirendum itaque jam eſt, an cœrulei coloris cauſſa in aëre revera a tali mixtione pendeat, vel non.

§. IX.

Cœruleus aëris color non oritur a mixtione luminis cum umbra.

Primum Argumentum.

Diximus ſupra §. VII. cœruleum colorem poſſe produci, ſi maſſa luminis albi ita minuatur, ut vis ejusdem æquaret vim radii cœrulei, tunc enim effectum, hoc eſt productam inde ſenſationem, eandem fore, quæ alias a lumine cœruleo pendet. Sequitur inde, ut, aucta denuo maſſa albi luminis, ejus quoque augeatur vis, hinc actio in retinam, adeoque inde producta ſenſatio. Producetur inde color vel magis vel minus vividus, prout vis hæc vel aucta eſt, vel imminuta. Oportet itaque, ut, ſi ortum e tali mixtione cœruleum lumen quoad maſſam minuatur, violaceus prodeat color; ſi augeatur, viridis vel flavus, aut purpureus, imo plane ruber. Iam porro argumentamur: Quicunque color ex mixtione luminis albi cum umbra oritur,

oritur, ille, mutata luminis maſſa, vel aucta umbræ quantitate, mutari debet in alium colorem: atqui color aëris ſemper manet cœruleus, neque unquam mutatur, mutata licet luminis in atmoſphæra copia: Ergo *color aëris cœruleus non oritur e mixtione luminis cum umbra.*

Regeri quidem poſſet contra hoc argumentum, quod color aëris revera aliquando mutetur in rubrum aliumque, tam oriente Sole, eodemque occidente, quam noctu quoque. Quale phænomenon, *cœli ardentis* nomine inſignitum, anno hujus ſeculi trigeſimo ſexto fere totam terruit Europam. Sed facile patet, hanc coloris in aëre mutationem non dependere a mutatione mixtionis lucis cum umbra, ſed a ſeparatione rubrorum radiorum a vaporibus in aëre collectis facta. Notum enim eſt ex theoria colorum Newtoniana, pro varia lamellarum craſſitie, alios radios transmitti, alios reflecti. Sic rubri radii ſub craſſitie $6\frac{3}{4}$ partis millionariæ digiti Londinenſis in aqua reflectuntur, cum cœrulea lux reflectatur ſub craſſitie $1\frac{4}{7}$. Si itaque craſſiores evadant lamellæ vaporum in aëre contentorum, ruber color reflectetur, ſi tenuiores, iidem radii transmittentur. Veram autem eſſe in ſyllogiſmo propoſito hypotheſin, lumen in atmoſphæra modo augeri, modo minui, nemo facile negaverit, qui non ignorat, luminis copiam majorem eſſe poſt ortum Solis, quam ante illum, itemque eo plures in noſtram atmoſphæram incidere radios, quo minus oblique incidunt, hoc eſt, quo altior eſt Sol. Meridiano ergo tempore, æſtate potiſſimum, color aëris mutari deberet e cœruleo in viridem ſimilemque vividiorem colorem, id quod numquam obſervatur. Color enim atmoſphæræ conſtans manet, & non ſolum cœruleus eſt ſemper, ſed continuo ſimul eadem manet cœrulei coloris ſpecies. Probabile itaque non eſt, quod color atmoſphæræ cœruleus a mixtione lucis cum umbra dependeat.

§. X.

Secundum argumentum.

Porro cum ſciamus, quod ad cœrulei coloris generationem ex mixtione lucis cum umbra, requiratur certus numerus radiorum lucis, hoc eſt, certa quædam luminis maſſa; & certum porro ſit, quod pro alterata hac maſſa, color etiam alterari debeat: patet, colores alterari debere, ſi lux a corpore denſiori reflectatur. Corpus enim denſius plures habet partes materiales, hinc plures radii in has partes incurrunt, adeoque plures etiam reflectuntur. Si itaque color aëris cœruleus reflectitur ab alio corpore denſiori, plures radios reflectente: ſequeretur, ut hic color augeri vel in vividiorem colorem tranſire deberet. Concludimus inde ſequentem in modum: Si color aëris cœruleus dependet a mixtione lucis albæ cum umbra, ſub tali vero mixtione color per reflexionem a corpore denſiori fit magis vividus; ſequitur, ut & color aëris per reflexionem ab aqua, vitro, ſimilibusque corporibus aëre denſioribus, fiat magis vividus: atqui hoc non contingit: ergo *color aëris cœruleus non dependet a mixtione lucis cum umbra.*

Docet nempe experientia, aquam ſudo cœlo eundem colorem cœruleum referre, quem in cœlo animadvertimus. Notum autem eſt, aquam per ſe omni colore plane deſtitui: hinc concludimus, colorem hunc cœruleum oriri a reflexione cœrulei coloris cœli, cujus imago in aqua uti in ſpeculo ſiſtitur. Iam ſcimus, aquam aëre eſſe octingenties fere ſpecifice graviorem, hinc toties quoque denſiorem. Adeoque aquam longe plures radios reflectere debere, ac aërem. Ponamus jam, numerum radiorum, ad cœruleum colorem producendum requiſitorum, & ab aëris particulis elementaribus reflexorum, eſſe $= n$. Erit numerus radiorum ab aqua reflexorum $n + d$: ſi l exprimat differentiam radiorum ab aqua & aëre reflexorum. Iam cum numerus radiorum n requirebatur ad produ-

cen-

cendum cœruleum colorem; patet, colorem ab auctiori copia radiorum $n+d$ productum, non posse esse cœruleum, saltem non ejusdem speciei, cum unius coloris plures dentur species. Regerere quidem aliquis posset, numerum radiorum reflexorum ab aqua augeri hic ideo non posse, quod nulli alii radii in aquam incidant, quam qui ex aëre ad aquam pervenere. Verum hæc objectio vana est: certum enim est, radios laterales quoque in aquam magna copia incidere, cum imagines ripæ, arborum, ædificiorum, aliarumque rerum in aqua veluti in speculo conspiciantur. Ad latus incurrentes hi radii efficiunt, ut ab aqua plus reflectatur luminis, quam ab altissimis atmosphæræ partibus ad superficiem aquæ pervenit. Objecit quidem ante aliquot annos huic argumento, in Physica mea jam proposito *m*), Vir clarissimus, C. G. LIEBERKÜHN *n*), Iridis colores reflecti ab aqua absque mutatione, hinc, ut existimat, argumentum hoc foret vanum. Sed quod pace doctissimi LIEBERKÜHNII dixerim, tantum abest ut argumentum meum inde refutetur, ut majus ei potius exinde robur accedat. Iridis enim colores ideo sub reflexione ab aqua non mutantur, quia sunt colores constantes, non orti a mixtione luminis cum nigro seu umbra, sed separatione radiorum coloratorum in decidentibus pluviæ guttulis. Docuit autem summus NEWTONVS, hos colores, ex separatione radiorum ortos, non mutari, neque refractione ulla, neque reflexione, sed semper manere eosdem. Sic ruber radius in prismate a reliquis luminis radiis separatus, non solum manet ruber, si speculo fuerit exceptus atque reflexus, sed etiam si vel centies fiat densior in foco lentis convexæ. Licet enim in foco color rubicundus longe sit vividior, numquam tamen desinit esse rubicundus. Idem reliquis coloratis radiis accidit. Cum itaque Iridis colores lon-

m) Vid. *Erste Gründe der Naturlehre.* P. II. cap. 3. §. 225.

n) Vid. *Neue Erweiterungen der Erkäntniß.* P. XII. N. 9.

ge differant a colore aëris, ſecundum LIEBERKÜHNII mentem e mixtione lucis & atri coloris orto: ab iis quoque ad reflexionem cœrulei coloris aëris concludere nequit. Imo confirmatur potius inde noſtra ſententia. Diſcimus nempe, a reflexione colorum Iridis & priſmatis eos tantum colores per reflexionem integros & immutatos manere, qui orti fuerunt per ſeparationem, adeoque colores ſunt primigenii; vero enim inde fit ſimile, cœruleum aëris colorem, quia per reflexionem ab aqua non mutatur, ſimili modo eſſe primigenium, per ſeparationem radiorum cœruleorum a reliquis ortum.

§. XI.

Experimenta theoriam exhibitam confirmantia.

Diximus §. IX. quod color aëris cœruleus mutari deberet in viridem aliumque, ſi ex mixtione luminis cum umbra originem traheret. Confirmari hoc poteſt variis experimentis, quorum quædam nunc referam jam anno 1755. a me inſtituta, quæ inter reliquas obſervationes meas phyſicas reperio.

Experim. I. Die 6. Novembris, hora matutina ſeptima, cœlo ſudo, umbra cujuscunque corporis opaci in diſtantia trium digitorum rhenlandicorum virideſcentem præ ſe ferebat colorem, in diſtantia unius digiti cœrulea videbatur, & ſi propius admovebatur oculus, plane nigra.

Experim. II. Poſt horæ quadrantem virideſcens color paullatim evanuit, & umbra cœruleum colorem præ ſe ferebat, non abſimilem colori aëris.

Experim. III. Vmbra vitri cylindrici, aqua repleti, in margine virideſcentem referebat colorem pallidum, qui in fine quadantenus cœruleſcebat. Eadem umbra, oculo ad diſtantiam quatuor digitorum remoto, rubere videbatur.

Experim. IV. Cubus vitreus, cujus latus fere eſt unius polli-

pollicis cum dimidio, lumini in aperta feneſtra oppoſitus, cum ejus umbra charta alba exciperetur, referebat umbram diverſorum colorum. In margine pallide vireſcens apparebat color, tum magis & intenſius viridis, ſequebatur rubeus color, & prope corpus cubi nigreſcebat.

Experim. V. Charta luſoria normaliter erecta nigram exhibuit umbram. Admoto cereo ardente cœruleſcebat. Appoſui ſpeculum, ita ut & cerei & umbræ imago in eodem conſpiceretur. Longe fuit intenſior umbræ color in ſpeculo, imo fere virideſcens.

Ex his experimentis, omni cura & accuratione inſtitutis, apparet: 1) oriri colores varios e varia luminis & umbræ mixtione, eodem modo, quo per ſeparationem radiorum coloratorum oriuntur; hos vero colores 2) non eſſe conſtantes, ſed pro vario luminis admiſſi gradu variari. Vnde confirmatur ſententia noſtra, quod cœruleus aëris color non ſimili modo oriatur ex mixtione reflexi luminis cum atro cœli colore, quoniam parum hunc colorem mutari animadvertimus.

§. XII.

Sententia vera proponitur.

Demonſtratum jam eſt, colorem aëris cœruleum non oriri e mixtione luminis cum umbra, ſed eſſe conſtantem aliquem & homogeneum colorem, in atmoſphæra ortum. Iam determinandus eſt modus, juxta quem aër hunc colorem producat. Experientia docet, a lumine albo oriri colores, ſi radii colorati vel per reflexionem a minimis lamellis pellucidis corporum, vel per refractionem a ſe invicem ſeparantur, ita ut is, qui maxime ſeparatur, fortius oculum afficiat, & coloris ideam producat. Debet itaque in aëre adeſſe vis quædam radios cœruleos a reliquis ſeparandi & fortius refringendi. Hæc vis nulla videtur alia eſſe, quam adhæſio. Scimus enim generalem

lem cauſam refractionis radiorum in adhæſione, ſeu ſi mavis in attractione corporum pellucidorum poſitam eſſe. Quo magis itaque propter ſingulares concurrentes circumſtantias pellucidum corpus cum radio cohæret, eo fortior erit refractio. Si itaque ponas, aëris minimas particulas cum cœruleo radio magis cohærere, quam cum reliquis radiis, refractio radii cœrulei erit major, indeque orietur cœruleus color. Cum aër admodum ſit ſpecifice levis, cohæſio ejusdem cum quovis radio non erit inſignis, neque idcirco refractio erit magna, adeoque & cœruleus color, inde ortus, non erit inſignis. Cum cœruleus color per ſe admodum ſit obſcurus, patet, paucis radiis cœruleis ad oculum pervenientibus, debilem tantum inde oriri ſenſationem. Iam notum eſt, præſente majori quadam ſenſatione debiliores ſenſationes evaneſcere, uti Sole præſente fixarum lumen non ſentimus. Mirum inde non eſt, quod cœruleus quoque aëris color non ſentiatur, ſi alia adſit & fortior luminis actio.

Scholium. Quod de cauſſa ſeparationis radiorum cœruleorum a reliquis ab aëre facta diximus, id licet vero ſit admodum ſimile, pro unica cauſſa tamen accipi non debet. Forte enim tremor in minimis corporum particulis ortus, aliquid etiam confert ad hujus vel illius colorati radii ſeparationem, uti hoc olim jam de omni radiorum coloratorum ſeparatione, in minimis lamellis facta, ſuſpicatus ſum.

§. XIII.

Phænomenorum explicatio.

Explicari poſſunt, ex tradita huc uſque de colore aëris theoria, phænomena §. IV. exhibita. Et *primo* quidem, quare propinquorum corporum colores non mutentur, licet per aërem coloratum tranſeant lucis radii ab iisdem reflexi. Cum enim radii cœrulei parum tantum a reliquis coloratis radiis ſub tranſitu per aërem ſeparentur; hæc ſeparatio notabilem in oculo

oculo effectum producere nequit, si obiecta fuerint propinqua. Divergentes enim radii eo magis a se invicem recedunt, quo longior est, per quam transeunt, via. Iam si sub transitu per aërem cœrulei radii parum tantum refringantur: paullulum tantum a reliquis coloratis radiis recedunt; hinc non soli, sed cum reliquis mixti, oculum ingrediuntur, adeoque color inde non mutabitur. Porro cum a propinquis objectis plures radii ad oculum perveniant, quam a remotis: sensatio inde producta eo erit major & magis vivida, quo objectum est propinquius. Iam vero cum color cœruleus aëris sit admodum exiguus, fortiori sensatione præsente is non erit sensibilis. Idem contingit *secundo* in remotis objectis, sed admodum vivida luce gaudentibus, vel quorum colores saltim sunt nimis vividi. Sic Solis discus non apparet cœruleus, neque luna, neque albus paries in satis notabili licet distantia. In hisce enim casibus omnibus lux est vivida nimis, quam ut exigua cœruleorum radiorum separatio notabilem in oculo efficere possit sensationem. *Tertio* patet, quare remota objecta, colore non nimis vivido prædita, cœrulea videantur. In remotis enim objectis cœruleus radius propter maiorem distantiam, a reliquis coloratis radiis magis recedit, hinc separatus a reliquis fortius oculum afficit, & ideam excitat cœrulei coloris. Deinde lux eo magis minuitur, quo magis a puncto radiante recedit. Scimus enim, luminis vires inverse proportionatas esse quadratis distantiarum. Objectorum itaque remotorum lux debilior sensationem validam in oculo producere nequit, hinc cœrulei coloris ideam non turbat. *Quarto* tandem ratio inde potest reddi, quare cœlum sudum cœruleum appareat. Omnes enim radii colorati simul sumti albam lucem producunt: hinc si in aëre nulla eorundem fieret separatio, transeuntes per aërem radii albi manerent, uti per se sunt. Cum vero aër gaudeat vi peculiari cœruleos radios magis refringendi, quam reliquos, hi quoque magis refracti radii ideam in oculo excitabunt cœrulei coloris. Neque

ſane mirum eſt, hanc refractionem ſatis fieri notabilem; radii enim lucis per ſatis magnam tranſeunt diſtantiam, dum atmoſphæra ad altitudinem aliquot milliarium Germanicorum elevatur. Statim enim ſub ingreſſu primæ altiſſimæque regionis atmoſphæræ, cœrulei radii jam ſeparantur a reliquis. Dum itaque ſeparati aliquantulum radii per aliquot adhuc milliaria progrediuntur, augetur eorum a reliquis ſeparatio eo modo, ut ſoli oculum ingrediantur. Neque porro adeſt vividus aliquis color, hanc cœrulei coloris ideam turbans. Aër enim in regionibus altiſſimis atmoſphæræ admodum eſt rarus, & parum adeo luminis reflectit. Poſt aërem autem nihil in cœlorum ſpatio adeſt, niſi ſubtiliſſima materia, quæ itidem vel parum vel nihil luminis reflectere poteſt. Hinc in oculo orta coloris cœrulei ſenſatio nullo modo turbatur.

§. XIV.

Singulare phænomenon explicatur.

Licet omnium radiorum coloratorum conjunctio album efficiat colorem, lux tamen Solis magis videtur flaveſcere, quam albeſcere. Non improbabilis hujus phænomeni explicatio ex noſtra theoria poteſt exhiberi. Experientia nempe docet, colorem album, in foco vitri convexi ortum, ſtatim mutari, ſi unus vel alter coloratorum radiorum intercipiatur, & vel reflexione vel refractione impediatur, quo minus cum reliquis in foco concurrat. Iam cum radii lucis, atmoſphæram ingreſſi, aliquam partem cœruleorum radiorum, refractione facta, amittant; color quoque albus remanere nequit, ſed aliquantum ab albo recedet & flaveſcet. Facili negotio hæc per priſma vitreum triangulare examinari, & experimenta idcirco poſſent inſtitui, niſi temporis anguſtia, & aliorum negotiorum copia, me impedirent, quo minus ſumma cum accuratione hæc jam ſuſcipere queam.

§. XV.

§. XV.

Obſervatio peculiaris.

Solent Geometræ, dum altitudines montium menſurantur, radium a montis cacumine ad oculum pervenientem pro recta linea aſſumere, ut ſcilicet altitudo montis, ejus diſtantia ab oculo, & radius lucis, e montis apice ad oculum ductus, ſimul efficiant triangulum rectangulum. Hanc Geometrarum hypotheſin falſam eſſe, Optici demonſtrant. Luminis enim radius dum tranſit per varias aëris regiones, diverſæ denſitatis, varie refringitur, & a recta linea hinc recedit. Præter hanc autem deflexionem a recta linea, alia etiam videtur ratio, quare radius a recta linea recedat. Cum enim remotorum objectorum illi radii, qui cœruleum colorem referunt, fortius in aëre refringantur, recedent hi a reliquis, adeoque accuratio geometrica, in menſurandis altitudinibus, inde turbatur.

§. XVI.

Objectiones diluuntur.

Obiicit Mvschenbroeckivs huic theoriæ, cur non omnia corpora cœrulea adpareant, ſi aër ſit cœruleus? Sed facile e §. XIII. reſponderi poteſt, in propinquis corporibus hunc colorem animadverti non poſſe, quoniam radii cœrulei, prope diſtantiam nimis exiguam, non ſatis recedunt a reliquis radiis, hinc non ſatis poſſunt animadverti, & quia propinqua objecta nimis vividis coloribus gaudent. Remota vero corpora revera cœrulea adparent. Porro quærunt, quare luna non adpareat cœrulea, licet radii ab ea reflexi per totam atmoſphæram tranſeant? Sed & huic objectioni in antecedentibus jam repoſuimus, lumen a luna reflexum ſenſationem excitare nimis magnam, quam ut debiles cœrulei radii poſſint animadverti. Supereſt tandem adhuc ſatis ingenioſa objectio ſupra jam citati Lieberkühnii, qui maculas ſaltem lunæ cœruleas apparere debere

exiſtimat, ſi color aëris eſſet cœruleus. Verum maculæ ideo colore nullo tinctæ videri poſſunt, quia propter exiguum lumen, quod reflectunt, ne cœrulei quidem radii tam notabili copia ſeparari poſſunt, ut effectum edant in oculo ſufficientem. Sic Solis maculæ per tinctam lentem conſideratæ nigræ videntur. Nigredo enim conſiſtit in defectu luminis; defectus autem luminis neceſſario ſupponit defectum coloratorum radiorum, adeoque defectum etiam radiorum cœruleorum.

§. XVII.

Concluſio.

Vero itaque, ex iis quæ ſupra diſputata fuere, videtur ſimile, aërem levi colore cœruleo eſſe tinctum. Fateor equidem plura adhuc experimenta requiri, ſi hæc theſis ad ſummum probabilitatis phyſicæ gradum deduci debeat. Neque, ſi per bellicas turbas & alia negotia licebit, deſinam ulteriora hac de re experimenta capere, quæ alio forte tempore explicabuntur. Hæc itaque interim de aëris colore diſputaſſe ſufficiat.



BREVIS HISTORIA NATVRALIS

ARBORIS SASSAFRAS

DICTAE

LAVRI SPECIEI

ET QVAEDAM

DE

LAVRI SPECIEBVS IN GENERE

OCCASIONE OBSERVATIONIS LXXXII.

SVPERIVS INSERTAE

CONSCRIPTA

A

D. CHRISTOPHORO IACOBO TREW

ACADEMIAE CAESAREAE NAT. CVRIOSOR.

DIRECTORE.



D. CHRISTOPHORO IACOBO

LARI SPECIEI

ARBORIS SYSTEMA

PRAEFATIO.

Clariſſimus Dominus EHRETVS ab eo tempore, quo amicitiam invicem contraximus per triginta nunc annos continuatam, rerum naturalium collectionem meam variis locupletavit atque ornavit acceſſionibus. Inter has eminent rariſſimarum novi orbis plantarum in Anglia cultarum picturæ ab illo ipſo tam docte quam artificioſe ad naturæ ductum elaboratæ, quæ in præſenti jam aliquot centurias explent. Quum hujus theſauri ſingularis uſum publico invidere nolui: harum effigierum quinque decades ſeu quinquaginta ſpecimina a Dn. HAIDIO, chalcographo & pictore Auguſtano, æque artificioſe ad ſimilitudinem efficta, titulo *Plantarum ſelectarum* in communem uſum jam proſtant; illæ vero effigies, quibus laudatus EHRETVS *Cedri Libani* characterem botanicum explicavit, occaſionem mihi dederunt, celebratiſſimæ hujus arboris certiorem conſcribendi hiſtoriam, quæ, ut primo novorum horum Academiæ Cæſareæ Actorum tomo inſeratur, curavi. Quum vero ſententiam ibidem probatam, hanc cedrum nempe omnino eandem eſſe, ac illam, quæ in ſacro codice *Aeres* nomine ſæpius decantata fuit, quidam oppugnarunt ex eo præcipue, quod Arabes nomine huic affini, *Ers* pronunciando, aliam ſtirpem indigitaverint, & quod cedrorum vetuſtarum in Libano relictarum habitus, qualis noſtro ævo adhuc obſervatus & deſcriptus eſt, operibus illis magnificis ex Aeres truncis olim fabricatis non reſpondeat: mecum quidem conſtitui, his non obſtantibus ſententiam latam ab omni dubio in altera lucubratiuncula,

culâ, alteri huic noſtrorum Actorum tomo inſerenda liberare: dum nunc poſſum argumentis ex ipſis Arabibus collectis probare, eos æque, ac alias gentes, priſcis temporibus in nominum res naturales ſignificantium uſu fuiſſe valde incertos, & ex picturis a laudato EHRETO interea ulterius abs me ſollicitato acceptis demonſtrare, cedros naturæ ſuæ ſeu ſibi relictas eundem in rectitudinem creſcendi modum tenere, quem ſtirpes congeneres, abies nempe pinusque, ſervant; præterea plusquam vero ſimile eſt, illas, quæ ex vetuſtis in monte Libano adhuc reperiuntur ab hac regula recedentes, ob hanc monſtroſitatem (quæ ipſis ex cauſſis præternaturalibus in prima ætate contigit) intactas relictas, poſtea vero, accedente ſuperſtitioſo cultu, conſervatas fuiſſe. Sed aliæ occupationes impedimento fuerunt, quo minus omnia ad hoc propoſitum pertinentia colligere atque digerere hucusque potuiſſem. Coactus ergo fui, hoc propoſitum Deo volente exſequendum alii reſervare tempori. Interea laudati EHRETI citata obſervatio de Saſſafras arboris charactere botanico mecum communicata & ſuperius p. 326. inſerta me ſtimulavit, hujus arboris per duo ferme ſæcula ob egregias virtutes ſuas medicas in Europa celebratæ, brevem hiſtoriam ex Auctoribus, qui mihi ad manus ſunt, compilare propterea, quia, quæ de illa annotata ſunt, hinc inde valde adhuc diſperſa reperiuntur, huicque hiſtoriæ, quoniam nunc in confeſſo eſt, hanc ſtirpem legitimam Lauri ſpeciem eſſe, quædam de hujus generis ſpeciebus hactenus a variis Auctoribus recenſitis in genere annectere eum in finem, ut illa, quæ circa earundem fructificationis partes nondum ſatis clare expoſita deprehendi, aliorum ulteriori diſquiſitioni commendem.

HISTORIA

HISTORIA.

Diu jam ante, quam hujus arboris uſus medicus Europæis innotuit, is Floridæ inſulæ incolis ad varios & ſonticos morbos profligandos celebris fuit, de quo Galli, poſtquam pedem ibidem fixerunt, ab iisdem, & porro, Gallis ab Hiſpanis inde expulſis, Hiſpani a Gallis remanentibus edocti fuerunt. Hiſpani, quum ipſi hunc uſum probatum invenerunt, eundem denique in Europa decantarunt, ſimulque hanc mercem illuc transmiſerunt & ab initio pretio ſatis charo vendiderunt. Hæc ſine dubio primus expoſuit Nic. Monardvs *a*), ſimul-

a) *Primera y ſegunda y tercera partes de la hiſtoria medicinal de las coſas, que ſe traen de nueſtras Indias occidentales, que ſiruen en Medicina* &c. *hechos por el Doctor* Monardes, *Medico de Sevilla* &c. En Sevilla 1574. 4to pag. 51. a — 64. a. Huius hiſtoriæ partes duas priores primum interpretatus eſt Clvsivs & hoc titulo edidit: *De ſimplicibus medicamentis ex occidentali India delatis, quorum in Medicina uſus eſt, Auctore* D. Nic. Monardes, *Hiſpalenſi Medico, interprete* Car. Clvsio *Artebate.* Antverp. 1574. 8. Has duas partes poſt octennium ſequuta eſt *tertia, eadem forma eodemque titulo.* Ibid. 1582. cum qua duæ priores partes iterum recuſæ ſunt in meo exemplari deficientes. Decennio elapſo duæ priores partes iterum recuſæ ſunt hac inſcriptione: *Simplicium medicamentorum ex novo orbe delatorum, quorum in medicina uſus eſt, hiſtoria, Hiſpanico ſermone duobus libris ſcripta a D.* Nic. Monardo, *latio deinde donata & in unicum volumen contracta, inſuper annotationibus iconibusque affabre depictis illuſtrata a* Car. Clvsio. *Tertia editio auctior & caſtigatior* &c. ibid. 1593. 8. cum qua eadem forma eodemque anno ibid. ſimul, ſed ſigillatim, iterum prodiit *ſimplicium medicamentorum* &c. *liber tertius* &c. *alterа editio auctior & caſtigatior.* Denique hos libros Clvsivs ſuis Exoticorum libris X. ibid. 1605. fol. maj. editis inſeruit hoc titulo: *Exoticorum liber decimus, ſive ſimplicium medicamentorum*

ſimulque ipſius arboris deſcriptionem communicavit his (ſecundum Cluſii interpretationem) verbis: „ *Dicitur hæc arbor In-*
„*dis* **Pavame**, *Gallis, neſcio quam ob cauſſam,* **Saſſafras.** *Ar-*
„*bor eſt magna, Pini mediocris magnitudine & forma (tametſi mino-*
„*res inveniantur) unico trunco nudo* (ſine aliis flagellis vel ramis,
„uti Palma, addit exemplar Hiſpanicum) *ramis in cacumine ex-*
„*panſis, uti Pinus repurgata,* cortice, *quem integit tenuis cinera-*
„*cea quædam pellis, ex gilvo nigricante, aliquantulum acri ſapore,*
„*ſed aromatico, nonnihil ad fœniculaceum accedente, odorato, ita ut*
„*pauca ejus quantitas cubiculum ſuo odore impleat:* Materie *trunci &*
„*ramorum alba ad cinereum colorem tendente, non adeo aromatici ſa-*
„*poris & odoris uti cortex:* Folio *ficulneo in angulos deſinente, novel-*
„*lo*

ex novo orbe delatorum, quorum in Medicina uſus eſt, hiſtoria, Hiſpanico ſermone tribus libris deſcripta a Nic. Monardo, *Hiſp. Med. Latio deinde donata & in unum volumen contracta, inſuperque locupletibus ſcholiis iconibusque affabre depictis illuſtrata a* Car. Clvsio. *Quarta editio auctior & caſtigatior* &c. Harum editionum dedicationes & præfationes collatæ docent, Monardum hanc ſuam hiſtoriam non uno eodemque tempore in lucem protuliſſe, ſed per intervalla, prout videlicet ab iis, qui ex America revertebantur, medicamentorum vires intelligebat, Cluſium vero A. 1575. primo duos priores libros nactum eſſe nuper evulgatos (quæ procul dubio eſt editio anni 1569. in 4to, cuius Segvierivs Biblioth. bot. p. 282. mentionem facit) &, quum poſterior plura repeteret in priori jam contenta, eum in verſione latina utrumque in unum contraxiſſe, nec non, quum eodem anno, quo prima verſionis editio inprimebatur, Monardus tertiam hiſtoriæ ſuæ partem evulgabat, cui duas priores denuo junxit, (quæ eſt illa mei exemplaris ſupra indicata) hanc tertiam partem eum pariter latine reddidiſſe & in quarta editione, ordine mutato, omnia inter ſe conjunxiſſe, hinc e tribus libris unum feciſſe, ſcholiis præterea illuſtraſſe atque (omiſſis ineptis Monardi iconibus, quarum 11. nonnullis capitibus addidit) alias plerasque veras & legitimas (no. 17.) repoſuiſſe.

„lo vero folio *Pyri folium æmulante, ſed quod veſtigia angulorum ha-*
„*beat, ſemper virente, h. e. foliis novellis, his quæ decidunt, ſemper ſuc-*
„*cedentibus, colore viridi obſcuriore, odorato, præſertim ſi ſiccum ſit:*
„*an* florem fructumve *ferat, adhuc incompertum:* radicibus *nunc*
„*craſſis, nunc tenuibus pro arborum magnitudine, levibus ſed minus*
„ *quam lignum, per ſummos terræ ceſpites expanſis, ut facile evelli pos-*
„*ſint; quod fere commune eſt omnibus arboribus indicis* -- Cortex ra-
„dici *firmius inhæret cineraceus, ipſiusque arboris cortice magis aro-*
„*maticus* -- *Naſcitur in maritimis & locis temperatis, h. e. neque ni-*
„*mium ſiccis, neque nimium humidis, ut in portubus S. Helenæ & S.*
„ *Matthæi: nam alibi per univerſam Floridam haud facile invenies: iſtic*
„*vero ſunt integræ ſilvæ, quæ, ob ſuavem, quem ſpirant, odorem,*
„*ab Hiſpanis primum eo venientibus, arborem Canellæ eſſe exiſtimaban-*
„*tur* &c.“ Huic deſcriptioni addidit Monardus totius arboris ejusque radicum figuram, ſed tam vilem & procul dubio ad deſcriptionem tantum fictam, ut Cluſius eam omiſerit, qui in ſcholio, quod quartæ editioni ſubjunxit, addit: „*& in Wingandecao, ab Anglis, qui eam occuparant, Virginia dicta, naſci intellexi, & inde virgulta ejus arboris in Angliam eſſe delata.*“ Ceterum hic ſaporem ejus cum illo herbæ Draconis ſeu Tharconis comparat.

Quum ergo & figura & deſcriptio, quam Monardus ſuppeditavit, valde manca eſt, inquiſivi, quousque utraque ad noſtra usque tempora aucta emendataque fuerit. Auctores, quos hunc in finem evolvi, ordine chronologico ſunt ſequentes. 1) Io. Fragosvs *b*) qui arboris habitum tribus tantum verbis Pi-

b) Hiſpanico pariter ſermone edidit hiſtoriam ejusdem argumenti Madriti 1572. in 8, cujus titulum indicat Segv. Biblioth. bot. p. 65. Eadem poſtea latine verſa hoc titulo evulgata eſt: *Aromatum, fructuum & ſimplicium aliquot medicamentorum ex India utraque, & Orientali & Occidentali, in Europam delatorum, quorum jam eſt uſus plurimus, hiſtoria brevis, utilis & jucunda.* Con-

no aſſimilat, reliquaque ex Monardo tantum exſcripſiſſe videtur. 2) Io. Goropivs *c*). Ab hoc A. arboris huius, quam *Saſſafras nominat*, habitus quidem non deſcribitur, ejus tamen vires potiores indicantur. 3) Andr. Cæsalpinvs *d*). Hunc pauca, quæ refert, ex Monardo hauſiſſe, liquet; addit tamen, lignum ſpecie & odore Caſiæ ſimile eſſe. 4) Castor Dvrante *e*). Hic A. iterum Monardi vitulo aravit, cujus vilem Saſſafras figuram viliſſime refictam exhibent Italicæ editiones, in Germanica autem omiſſa eſt. 5) Iac. Dalechampivs

Conſcripta primum Hiſpanice a Io. Fragoso, *nunc latine edita opera ac ſtudio* Israel. Spachii *cum notis marginalibus atque indice.* Argentinæ 1601. 8. min. p. 78. b.

c) *Opera* Io. Goropii *Becani*, *hactenus in lucem non edita* &c. Antverpiæ excudebat Chriſtophorus Plantinus 1580. fol. quibus ultimo loco titulo peculiari addita ſunt eius ita inſcripta *Hiſpanica*, ubi L. VII. p. 113. aliquot lignorum virtute medica præſtantium mentionem facit. Erat quidem medicus, ſed philologico & critico ſtudio præcipue incubuit longaque itinera peregrina fecit. Hic ligni hujus virtutes novit ſi non ante Monardum & Fragoſum, certe illorum tempore; ſiquidem privilegium ejus opera poſthuma imprimendi jam A. 1574. datum eſt.

d) *De Plantis L. XVI.* Florentiæ 1583. 4. c. 24. p. 59. Eivsd. *Appendix ad libros de Plantis & Quæſt. peripat.* Romæ 1603. 4to. ubi vero nihil huc pertinens addidit.

e) *Herbario nuovo di* Castore Dvrante, *Medico & Cittadino Romano, con figure, che rappreſentano le vive Piante, que naſcono in tutta Europa, & nell' Indie Orientali & Occidentali* &c. in Vinetia 1584. fol teſte Segu. l. c. p. 59. *Eodem titulo* eademque forma recuſum Romæ 1585. p. 410. Venet. 1684. p. 396. &, jam 1609. in Germanicam linguam verſum hoc titulo: *Hortus ſanitatis, das iſt, ein heylſam und nützliches Gährtlin der Geſundheit* &c. *erſtlich von* Cast Dvrante, *einem Römiſchen Artzt und Simpliciſten, verfertiget, nun in unſere Hochteutſche Sprache verſetzt durch* Petr. Vffenbachivm. 4to maj. p. 896.

PIVS *f*). Ab hoc A. deſcriptio & icon iterum deſumptæ ſunt ex Monardo, quem citat. 6) IAC. THEOD. TABERNÆMONTANVS *g*). Hic A. duo tantum delineanda curavit fruſta rami vel radicis cum cortice ſuo & cum inſcriptione *Lignum Pavanum b*), & BRAVNIVS in expoſitione ingenue fatetur, *niſi ſit* ***Lignum Moluccenſe***, *indigenis* ***Panava*** *dictum, cujus mentionem fecit* CHRISTOPH. *a* COSTA (id autem non eſſe, declarant vires longe aliæ ex eodem hic recenſitæ) *de illius habitu & viribus nihil ſe reperire potuiſſe.* Eædem icones eademque expoſitio reperiuntur in reliquis editionibus *i*) ut ut auctis & emendatis, ſine omni hujus ligni hiſtoriæ emendatione. 7) Io. GERARDVS *k*) De-

 ſcriptio

f) *Hiſtoriæ generalis plantarum pars altera* &c. ſine A. nomine. Lugd. 1586. fol. maj. p. 1586. Idem opus in Gallicam linguam traductum, proſtat hoc titulo: *Hiſtoire generale des plantes* &c. *tirée de l'exemplaire latin de la Bibliotheque de Mr.* JACQVES DALECHAMP, *puis faite Françoiſe par M.* JEAN *des* MOULINS &c. à Lyon 1653. fol. maj. T. II. p. 721.

g) *Kreuterbuchs ander und dritter Theil* (Opus poſthumum) *digerirt und vollbracht durch* NIC. BRAVN. *Med. Doct. Marpurgenſem.* Franckfurt am Mayn 1591. fol. maj. Pars III. p. 632. *Prima pars* prodiit ibid. eadem forma 1588.

b) Rectius Pavamum: vocatur enim ab indigenis Pavame (vid. ſupra p. 282. Monardum) non Pavane.

i) *Omnes tres partes per* C. BAVHINVM *Doct. & Vniverſ. Baſ. Prof. ord. emendatæ & auctæ eodem titulo* eademque forma excuſæ ſunt Francof. 1613. p. 654. & 1625. Part. III. p. 23. iterum Baſil. 1664. itemque *per* HIERON. BAVHINVM *D. & Prof. Baſil. reviſæ* ibid. 1687. p. 1339.

k) *The Herball, or general Hiſtorie of plantes, gathered by* IOHN GERARDE, *of London Maſter in Chirurgerie*, London 1597. fol. p. 1341. *Editio altera*, quæ vulgo dicitur *emaculata*, ibid. 1636. eodem titulo excuſa eſt, additis: *very much enlarged and emanded by*

ſcriptio illi Monardi iterum reſpondet, cujus etiam icon addita eſt, quam tamen Iohnſon in altera editione auxit figura ramuli foliis integris & unico trilobato in ſummitate cincti, ex horto D. WILMOT (*at* Bow) deſumti, quæ arbor poſt aliquot annos periit. Anglis vocatur *Ague-tree*, quia febres curat. Creſcit in plurimis Indiæ occidentalis regionibus, præcipue circa promontorium Floridæ, Wingaudico (in altera editione Wingandico) & Virginiæ alias Norebega dictæ. 8) REMB. DODONÆVS *l*). Quæ in hoc opere utriusque editionis eadem reperiuntur de hac arbore, omnino translata tantum ſunt ex Monardo ſecundum verſionem Cluſianam. 9) CASP. BAVHINVS *m*). Hic Auctor primus hanc arborem nomine latino diſtinxit: dicitur namque illi *Arbor ex Florida ficulneo folio*; deinde Auctores citat, qui ante illum Saſſafras nomine eandem reddiderunt cognitam, quibus addit nomen Winauk *n*), & deni-

by THOMAS JOHNSON, *citizen and Apothecarye of London*, fol. maj. p. 1524.

l) *Kruydt-Bœck van* REMBERTVS DODONÆVS, *volgens ſyne laetſte Verbeteringe: met Byvegſeels achter elck capittel, wt verſcheyden Cruydt Beſchryvers: item in't laetſte een Beſchryvinge van de Indianſche gewaſſen, meeſt getrooken wt de Schrifften van* CAR. CLVSIVS. Tot Leyden 1608. fol. maj. p. 1553. Recuſum eodem titulo, addito: *nu wederum van nieuws overſin ende verbetert* t' Antwerpen 1644. fol. maj. & charta ampliori p. 1463.

m) *Pinax Theatri botanici* &c. Baſil. 1623. 4. maj. p. 431. ibid. eadem forma 1671. eadem pagina.

n) ex *Indiæ occidentalis* parte I. ab illo citata, ubi p. 8. hoc nomen occurrit ſine deſcriptione & figura aut virium recenſione, circa quas ibidem pariter ad Monardum provocatur. Huius Collectionis partes IX. cum variis additamentis Francof. ad Mœnum a Dieter. de Bry ejusque hæredibus A. 1593. ſeqqu. Germanorum vernacula edita ſunt.

denique iterum omnium primus fructus oblongi, rugoſi, longiſſimisque pediculis donati mentionem facit. 10) DANIEL NEANDER *o*). Hic A. in ſuo commentario, quem in laudem ligni Saſſafras ſigillatim conſcripſit, eius hiſtoriam iisdem ferme Cluſii verbis (quem tamen non citat) deſcripſit, nec alia addidit, quam quæ de viribus agunt. 11) Io. de LAET *p*). Hic ex FRANCISCO XIMENE *q*) pauca, nec nova, de arboris habitu refert ejusque figuram ex Dalechampio repetit; in indice capitum vero hæc addit: „*Accepimus a quodam noſtrorum ex No-*„*vo Belgio redeunte fructus arboris hujus, uti ferebat, qui forma non* „*multum differunt a Baccis Lauri, ſed longe ſunt minores, cortice te-*„*nero & pene nigro, exterius rugato, qui continet intus nucem albam,* „*ſapore ſubamaro in duas partes diviſam.*" 12) Io. PARKINSONVS *r*). Hic Indorum nomen *Winanke* *s*) adducit & eandem iconem, quæ in Gerardo emaculato reperitur, repetit. Habitus arboris deſcriptio convenit cum illa Monardi, nonnullas tamen ejus partes accuratius definit. *Cortex* eſt ſaporis multo acu-

o) *Saſſafraſologia, h. e. Tecmarſis nobile Saſſafras lignum dextre ac feliciter in omnibus ferme corporis humani incommodis in uſum ducendi. Autore* Io. NEANDRO, *Bremano, Philoſopho ac Medico.* Bremæ 1627. 4. p. 1—8.

p) *Novus Orbis ſeu Deſcriptionis Indiæ occidentalis Libri XVIII. Auct.* Io. *de* LAET *Antverp.* Lugd. Bat. 1633. fol. L. IV. c. XV. p. 216.

q) Qui de natura plantarum & animalium in uſum medicinæ in Nova Hiſpania receptorum hiſpanico idiomate quatuor edidit libros Mexici 1615. Titulum proprium vid. ap. Segu. l. c. p. 313.

r) *Theatrum botanicum. The Theater of Plantes, or an univerſall and complete. Herball, compoſed by* JOHN PARKINSON, *Apothecarye of London and the Kings Herbariſt.* London 1640. fol. maj. p. 1606.

s) Alii Winauk, vid. numerum ſuperiorem 9. Forſan unum vel alterum vitium typographicum eſt.

acutioris & acrioris quam lignum aut radix. *Folia* sunt lata, obscure virentia, singula alterno ordine sita, ejusdem ac radicis saporis, sed debilioris, in una eademque arbore alia in tres partes divisa quodammodo siculneis similia, sed maximam partem dimidio minora. Costa media excurrit per singulas divisiones & duæ aliæ ad internas sectiones cum venis lateralibus; alia folia sunt leviter vel plane non divisa, utraque glabra & ad margines non dentata. Ex Io. Tradescantii relatione *flores* sunt exigui, lutei, illis Corni maris valde similes; *Fructus* sunt baccæ parvæ nigricantes, quas excipiunt calyces seu capulæ exiguæ longis pedunculis racematim collectis insidentes; *radices* non magnæ teguntur simili cortice ac lignum & rami, sed paullo magis rufescente, saporis aromatici. 13) Francisc. Hernandvs *t*) Operis sui utraque editio latina p. 61. exhibet iconem

t) *Rerum medicarum Novæ Hispaniæ Thesaurus, seu plantarum, animalium, mineralium Mexicanorum historia ex* Fr. Hernandi, *novi orbis Medici primarii, relationibus in ipsa Mexicana urbe conscriptis a* Nardo Ant. Reccho &c. *collecta ac in ordinem digesta, a* Io Terrentio, *Lynceo* &c. *notis illustrata* &c. Romæ 1648. fol. quod opus postea eadem forma ibid. 1651. prodiit hoc titulo paullulum mutato: *Nova plantarum, animalium & mineralium Mexicanorum historia a* Franc. Hernandez, *Medico in Indiis præstantissimo, primum compilata, dein a* Nardo Ant. Reccho *in Volumen digesta, a* Io. Terentio, Io. Fabro & Fabio Colvmna, *Lynceis, notis & additionibus illustrata* &c. cui posteriori editioni nonnulla accesserunt, vid. *meum Catalogum III. Auctorum, quorum opera in secunda Herbarii Blackwelliani emendati & aucti Centuria citantur*, huic centuriæ præfixum pag. 58. Quousque vero differat Auctoris exemplar hispanica lingua editum, doceant illi, quibus ad manus est: *Catalogus, libros a* Iosia *de* Rathgeb *comparatos & Vindobonæ a. 1759. auctione publicatos exhibens*, illud p. 75. n. 935. hoc titulo indicat: Francesco Hernandez *quatro libros de la natura-*

leza

iconem ligno exciſam cum adſcripto nomine *Saſſafras*. Arbor ſic deſcribitur; „ *eſt magna, folia ferens crenata & in tres* „ *partes diviſa, ſtipites leves ſubrubeos & Aniſum olentes. Naſcitur in* „ *provincia Florida & Michuacanenſi.*“ Floris & fructus nulla fit mentio. Ex ramo delineato ſatis craſſo prodeunt alterno ordine tam folia, quam rami laterales tenues, itidem foliis inſtructi; hæc omnia, ad petiolum ſatis longum fere usque ter diviſa, per totum ambitum ſuum profunde potius dentata, quam crenata, apparent. Quæ Columna p. 868. his adjecit, ex Monardo, quem citat, deſumſit. 14) Gvil. Piso *u*). In hujus quoque operis utraque editione, fuſius vero in ſecunda, attamen nec in hac ſatis diſtincte, duas vel tres, ut monet, deſcribit inſignium & fragrantium arborum ſpecies in vaſtiſſimis & diſſitis ſaltibus reperiundas, quæ *Anhuiba* ab indigenis vocantur „ *quarum quædam* (ſunt verba Auctoris) *albicante &* „ *flaveſcente ſunt ligno, ac proinde Luſitanis* *Cedro-branco*, *vel* „ *Canella ob odorem dictæ: Braſilenſes* *Anhuypitanga* *vo-* „ *cant. Foliis ſunt parvis, anguſtis & tenuibus. Quædam* *Anhuy-* „ *ba-peayba dictæ, quarum lignum merito ab Hiſpanis* *Pao-* „ *funcho nominatur, quod inſigni Fœniculi fragrantia totam domum* „ *repleat tam ipſum lignum, quam cortex & radix. Proinde Monar-* „ *dis deſcriptioni circa lignum Saſſafras non acquieſcendum, licet accu-*

„ *rate*

leza y virtudes de las plantas en la Nueve Eſpana. En Madrit 1615. 4to, quod occaſione hujus auctionis iniquo fato mihi ereptum eſt.

u) Hic A. primo Saſſafras arboris deſcriptionem dedit in quarto tractatus ſui de Medicina Braſilienſi libro p. 98. Qui tractatus unacum Ge. Marggravii de Libſtad Hiſtoriæ rerum naturalium Braſiliæ libris VIII. prodiit hoc titulo communi: *Hiſtoria naturalis Braſiliæ* &c. Amſteled. 1648. fol. maj. p. 78 & deinde in peculiari opere, cui titulus, Gvil. Pisonis, *Medici Amſtelod. de Indiæ utriusque re naturali & medica Libri XIV.* ibid. 1658. fol. pag. 145.

„*rate usum & abusum ejus descripserit: nam cum de delectu & præstan-*
„*tia partium arboris agit, Sassafras Floridæ decorticatum lignum vix*
„*dignitatis ullius esse affirmat, cum hoc Brasilienſe eximiæ virtutis &*
„*dignitatis habeatur atque a cortice liberatum in aliquot annos immune*
„*ſerveter. Ad hæc fortioris odoris est & efficaciæ, atque ad ſecundum*
„*caloris & ſiccitatis gradum accedit.*“ Post hæc ad illas pergit, quæ inter majores ſpecies *Anhuiba* ſive *Saſſafras* recenſentur, quarum deſcriptionem iisdem pene Monardi verbis tradit, (ſi excipias, quod folia dicat laciniata & Vitis albæ foliis ſimilia) & huic eandem illius figuram ligno exciſam in hac editione addit; num autem ea ipſa *Anhuyba-beãyba* ſit, ut videtur, non ſatis declarat. Denique de tertia ſpecie, *Anhuiba-miri* nomine diſtincta, refert „*quantum duabus prio-*
„*ribus magnitudine inferior, tantum virtutibus ſuperior, omnibus pa-*
„*riter incolis in quotidianos uſus repoſita. Folio eſt Lauri ſeu minori,*
„*fructu odorifero & nigro ubi maturuerit, eoque ſimul cum foliis, lig-*
„*no, cortice & radice intenſe calidis. Huius iconem nondum licuit nan-*
„*ciſci*“ (neque vero primæ ſpeciei appoſuit, & ſecundæ non aliam, quam illam ineptam Monardi) „*quia in hoc diſtrictu vix oc-*
„*currit.* Ex his liquet, quam imperfecta ſit harum ſpecierum deſcriptio atque diſtinctio: & quum non ſolum figuræ (ſecundæ quoque ſpeciei propria) deſunt, verum etiam floris omnium ut & ambarum priorum fructus, deſcriptio deſideratur, dubium reliquum eſt, an ſingulæ hæ arbores unius generis ſint ſpecies genuinæ, an virtute tantum medica aliisque qualitatibus conveniant. 15) Io. Bavhinvs *v*). Totius arboris icon ligno exciſa eiusque deſcriptio, ut indicatur, ex Monardo deſumta eſt, duo-

v) *Hiſtoria plantarum univerſalis, Auctoribus* Io. Bavhino *Archiatro, &* Io. Henr. Cherlero *Doctore, Baſilienſibus, quam recenſuit & auxit* Dominic. Chabrævs *Dr. Genevenſis, juris vero publici fecit* Frid. Lvd *a* Graffenried *Dn. in Gertſenſee &c.* Ebrodini 1650. fol. maj, T. I. p. 483.

duorum vero ligni fruſtorum figuræ cum illis Tabernæmontani conveniunt, addit tamen, procul dubio ex figuræ tantum ſimilitudine, ramos in orbem poculi inſtar circumactos & truncum, ut & ramos, flexilem. „ *Lignum*, porro addit, *parum* „ *ponderoſum eſt, corticeque tegitur, extimo quidem tenui cinericeo,* „ *interiore craſſiuſculo, ruffeſcente, fungoſo nonnihil, molli; materies* „ *ſubjacet alba vel ex albo ruffeſcens, aliqua interdum etiam parte ad ci-* „ *nereum vergens, mollitie & pectinibus tiliaceis, odore & ſapore ſuavi* „ *aromatico acriuſculo & ſubdulci, quodammodo Aniſi.*“ Ceterum etiam mentionem facit *ligni hujus arboris, quod eundem exhibuit ſaporem & odorem, ſed texturæ erat raræ & veluti poroſæ, pediculorum Nymphææ inſtar:* an ex diverſa ſpecie? 16) Olavs Wormivs *x*). In hoc opere nihil reperies, præter deſcriptionem & iconem a Monardo citato mutuatas. 17) Io. Ionstonvs *y*). In priori opuſculo nil novi reperitur præter nomen ***Saſſafras, Saſſepes & lignum Floridum,*** & in maiore opere A. repetit tantum nomina indicata iisque addit ***Pavame indorum, indica Saſſifragia, indica radix quæ Saſſafras,*** Virginenſibus ***Winanck,*** ibique hiſtoriam & tabula LXV. fig. 1. arboris ejusque ligni icones ex Io. Bauhino, ſed æri inciſas & paullulum imminutas, jungit, paucaque ad fructus conformationem pertinentia ex de Laet (ſupra n. 11.) exſcripta addit. Ceterum ad hanc arborem ea referenda eſſe autumat, quæ Goropius de

x) *Muſeum Wormianum, ſeu hiſtoria rerum rariorum, tam naturalium quam artificial. &c. adornata ab* Ol. Worm. *Med. D. & in Reg. Hafn. Acad. olim Prof. publ.* Lugd. Bat. 1655. fol. pag. 173.

y) *Notitia regni vegetabilis* &c. Lipſ. 1661. 12. p. 46. Eivsd. *Dendrographias ſive hiſtoriæ naturalis de arboribus & frutic.bus tam noſtri quam peregrini orbis L. X.* Io. Ionstonvs *M. D. concinnavit & ex veter. ac neotericor. commentariis propriaque obſervatione recenſuit.* Francof. ad Mœn. 1662. fol. p. 218.

ligno Anisi refert z); sed Io. Bauhinus *aa*) ex eo, quod in Sassafras ligno etiam Anisi odorem deprehendit, jam monuit: „*Sane si Goropius non separasset Sassafras a suo ligno Anisi, suspicati fuis-*„*semus, idem cum Sassafras. Saltem colorem & formam quoque in-*„*dicasset.*“ 18) Dominic. Chabræus *bb*). Figuræ sunt eædem, quæ in Io. Bauhini opere supra n. 15. recensito reperiuntur, historia quoque eadem est, sed valde contracta. 19) Abraham Mvnting *cc*). In utraque prioris operis sui editione eadem de-

z) Loco supra nota *c* indicato, ubi vero hæc pauca tantum extant: *inter alia lignum vidi, quod anisi odorem ita spirabat, ut Anisi lignum nuncuparem.*

aa) Qui supra n. 15. citatus p. 485. hujus ligni Anisi ut & alius eodem nomine a D. Thoma Platero accepti, mentionem fecit.

bb) *Stirpium icones & Sciagraphia cum scriptorum circa eas consensu & dissensu* &c. *Aut.* Domin. Chabræo, *Med. Doct.* Genevæ 1666. Idem exemplar, cum nova tantum tituli plagula prostat hac inscriptione: *Stirpium Icones & Sciagraphia cum omnibus, quæ de plantarum natura, natalibus, synonymis, usu & virtutibus scitu necessaria, quibus accessit scriptorum circa eas consensus & dissensus* 1677. Ibid. eodem anno, sed ab alio bibliopola, tituli pagina hunc exhibet titulum: *Omnium stirpium sciagraphia & icones, quibus plantarum & radicum tum in hortis cultarum, tum in urbium fossis* &c. *provenientium nomina* &c. *docentur*, cum dedicatione & præf. recusa; ipsum opus vero a prioribus editionibus non differre, aperte demonstrat amplissimus sphalmatum typographicorum index idem ac primæ editionis, ad calcem additus.

cc) *Waare Oefening der Planten* &c. *Beschreeven door* Abrahamvs Mvnting, *der Med. Doctor, ende Professor Botanices in d'Academie van Stad-Grœningen en Ommelanden.* T' Amsterdam 1672. 4. p. 75. & eodem titulo eademque forma recusum ib. 1682. p. 81. Idem opus, sed multo auctius & splendidius, post A. obitum prodiit hoc titulo: *Nauwkeurige Beschryving der Aardgewassen* &c. Te Leyden en t' Utrecht 1696. fol. maj. p. 110. & denique sine A. descriptione hoc titulo: Eivsd. *Phytographia curiosa, exhibens arborum, fruticum, herbarum & florum icones* &c. *varias earum denominationes latinas, gallicas, italicas, germanicas, belgicas aliasque* &c. *collegit & adjecit* Francisc. Kiggelaer, *botanophilus.* Amstelæd. 1710. fol. maj. tabula æn. XIX. & XX.

deſcriptio eædemque figuræ reperiuntur. Hic A. non ſolum delineavit & deſcripſit, verum etiam ipſe coluit duas Saſſafras ſpecies diſtinctas. Vna dicitur *folio ficulneo*, altera *crenato*. Huius folia in tres partes profunde ſunt ſecta &, Paſſifloræ flore roſeo clavato adinſtar, apice acuto margineque ſicut ſerra dentato ; illius folia ſunt margine integro & plano, etiam trifido, neque tamen vix ad medium usque diviſa, cujus medius lobus maximus & quaſi rotundus eſt, laterales multo minores & paullo acutiores, ambarum vero ſpecierum rami cute ex brunno rubeſcente eleganter ornati ſunt. Vtræque figuræ æri inciſæ in unica tabula, folii quadruplicati magnitudinis, delineantur ita, ut prioris ſeu crenato folio, integra ſtirps, poſterioris vero tantum ramus illi ſubjectus cum foliis in inferiori parte trilobis, in cacumine ſimilibus & integris repræſentetur, attamen, quod ultima deſcriptionis verba indicare videntur, ſecundum folia tantum ſiccata. Ceterum addit, ſe has ſtirpes ex Virginia per mercatorem Amſtelodamenſem a. 1655. accepiſſe, illamque ficus folio ſeptem annos vegetam & ad quinque pedum altitudinem excreſcentem; alteram autem folio crenato (quæ ſimillima eſt illi Hernandi, quem non citat) calorem intenſiorem expoſcentem, vix quinque annorum ſpatio ad duorum cum dimidio pedum altitudinem perductam conſervaſſe ea cultura, quam ſollicite deſcribit. In opere poſthumo majori figuræ ſunt majores & ſpecioſiores. Ambæ in tabula propria, attamen naturali magnitudine inferiores, ſiſtunt ramum eo modo, quo ex trunco procedit, & illum ficus folio omnibus foliis trilobis onuſtum, ſed omnia tam levi cura, ut artificis ingenio plus quam naturæ reſpondeant. Deſcriptio eſt eadem, ac in prioribus editionibus, ſi excipias foliorum colorem eorumque coſtarum atque venarum diſtributiones, quæ hic adduntur majorique accuratione, quam in figuris, indicantur, ubi etiam monet, poſterioris foliorum magnitudinem, compagem, rigiditatem venarumque multitudinem ab illis prioris parum differe.

re. In virtutum recenſione hic A. quoque Saſſafras cum ligno Moluccenſi confundit *dd*). Kiggelærii editio nil continet, quam icones operis poſthumi & ſynonyma, ubi inter illa prioris ſpeciei ſeu crenato folio Hernandum citat; num vero hæc ſpecies inter illas, quas Piſo deſcripſit, reperiunda ſit, in dubio relinquit. Secundum Muntingium ergo de exiſtentia harum ſpecierum ſatis diſtinctarum nullum dubium reliquum eſſet, dummodo in recenſendis & delineandis ſtirpibus fidei ſemper integerrimæ deprehenſus fuiſſet. Num Hernandus ſuæ iconis delineationem ipſe curaverit, eaque hiſpanico exemplari jam inſerta fuerit, num vero ejus commentatores illam ſecundum deſcriptionem tantum compoſuerint, judicent alii: Hernandi deſcriptio hoc dubium non ſolvit, & æque ad folia communis ſpeciei applicari poteſt; accedit, quod diſtinctæ illi ſpeciei Floridam inſulam pariter pro patria aſſignat, ubi tamen nemo ſimilem annotavit *ee*.) 20) Erasmvs Francisci *ff*). Hunc auctorem ſilentio præteriiſſem, niſi illum ab aliis citatum inveniſſem, ratus, eum plura haud indicare potuiſſe, quam quæ ex aliis hactenus citatis operibus compilavit. Atque omnino omnia, quæ profert, ex Hernando, Piſone atque Monardo ab illo citatis hauſit in germanicam linguam verſa. 21) Iac. Breynivs *gg*). In utraque editione nihil reperitur,

dd) Conf. ſuperius Tabernæmontanus n. 6.

ee) Henr. Mvntingii (Abrah. Patris) *Hortus & univerſæ medicinæ Gazophylaceum*, Groningæ jam a. 1646. in 12. editum, ſimplex eſt ſimpliciſſimorum nominum Catalogus, in cujus parte poſteriore inter ligna occurrit Saſſafras nomen, prætereaque nihil.

ff) *Oſt- und Weſt-Indiſcher wie auch Sineſiſcher Luſt- und Stats-Garten.* Nürnberg 1688. fol. P. I. p. 750. Tabula ænea XXVII. fig. 8.

gg) *Prodromus Faſciculi rariorum plantarum a. 1679. in hortis celeberrimis Hollandiæ* &c. *obſervatarum a* Iac. Breynio *Gedanenſi* &c.

ritur, niſi nomen a Monardo & C. Bauhino indicatum. 22) PAVL. HERMANNVS *hh)*. In utraque huius catalogi editione nihil occurrit, præter p. 507. Saſſafras arboris nomen, unacum illo Hernandi, Piſonis, Caſp. & Io. Bauhini, tanquam Synonymis. In illa editione, quæ primam ſequebatur *ii)* hæc ſtirps omiſſa eſt; in opere vero poſthumo *kk)* hæc leguntur: Lignum Saſſafras „*eſt* „*arboris*

ſi &c Gedani 1680 4to p. 18. EIVSD. *Prodromi Faſciculi rariorum plantarum primus & ſecundus* &c. *cura & ſtudio* Io. PHIL. BREYNII, *Iac. filii*, ibid. 1739. 4to maj. p. 14.

hh) *Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogus, exhibens plantarum omnium nomina, quibus ab anno 1681. ad a. 1686. hortus fuit inſtructus* &c. *Auctore* PAVLO HERMANNO, *Medicinæ & Botanices Profeſſore.* Lugd. Bat. 1687. 8vo maj. quod idem exemplar ſine mutatione (ſi excipias Auctoris nomen omiſſum & horti hiſtoriam præmiſſam) etiam proſtat hoc titulo: *Index plantarum, quæ in Horto Academico Lugduno Batavo aluntur* ibid. 1720.

ii) Titulo: *Floræ Lugduno-Batavæ Flores, ſive Enumeratio ſtirpium Lugduno-Batavi methodo, naturæ veſtigiis inſiſtente, diſpoſitarum & a. 1689. in lectionibus tam publicis quam privatis expoſitarum a* PAVL. HERMANNO, *Med. & Bot. P. P.* &c. *opera* LOTH. ZVMBACH, *condicti Cœsfeld, Medicin. Cand.* Lugd. Bat. 1690. 8vo.

kk) PAVL. HERMANNI *M. D. & Prof. Lugd. Bat Cynoſura materiæ medicæ* &c. *in lucem emiſſa a* Io. SIGISM. HENNINGERO *M. D. & Prof. Publ ord.* Argentor. 1710. 4to p. 105. Eodem titulo, additis: *diffuſius explanata & compoſitor. medicamentorum recenſione aucta, curante* Io. BOECLERO *Phil. & Med. D. Bot. atque Chym. P. P.* &c. ibid. 1726. 4to p. 222. Hermannus ipſe quidem nihil de materia medica typis evulgavit, ſed ſciagraphiam tantum in uſum prælectionum compoſuit, & aliquot ſuorum diſcipulorum deſcribendam communicavit, inter quos etiam erat CHRISTIAN. LVD. WELSCHIVS, qui hanc opellam *Lapidis materiæ medicæ Lydii* titulo, facta honorifica ſui præceptoris defuncti mentione publicavit

„*arboris Virginianæ folio ficulneo Pavame dictæ. Radix deberet pro-*
„*stare, nam melior est, & sic describitur, sub cortice tenui, foris cine-*
„*reo, intus sanguineo, includens materiam ex albo rufescentem, ligno-*
„*sam, aliquantulum ponderosam, saporis subacris, subdulcis, tenuis, a-*
„*romatici, odoris fragrantis & fœniculati. Transfertur ex Virginia*
„*& Florida. Dicitur Sassafras quasi* **Saxifraga**, *ob virtutem*
„ *Lithontripticam. Duplex ejus species, altera folio ficulneo, floribus*
„*pentapetalis* (quod ante illum, quantum scio, nemo annotavit)
„*habentibus odorem Anisi, quos flores sequuntur baccæ: & hæc usualis*
„*est.* Altera (procul dubio intelligit illam Hernandi) *non, Cum*
„*fructibus Corni, exceptis foliis, valde convenit.* 23) Leon. Plukenetivs *ll*). Hic A. in Phytogr. P. II. primus accuratiorem iconem rami folioſi exhibuit, atque etiam baccam cum pedunculo &, uti videtur, ejus nucleum ſimul delineavit; ſed bacca,

licavit Lipſiæ 1703. 8vo, quæ eadem forma Lugd. Bat. 1704. absque mutatione recuſa eſt. In hoc opere ſimplicia ſic dicta in certas claſſes ſecundum vires diſponuntur & uni earum Saſſafras lignum adſcriptum reperitur, ſed ſine ulla ejus hiſtoria. Monuit autem jam Welſchius in ſuæ editionis dedicatione, auditorum nonnullos diſcurſum ſuper hanc ſciagraphiam habitum calamo volante excepiſſe. Ex his etiam fuiſſe Henningerum, hic ipſe in Cynoſuræ præfatione indicat; illum autem omnia, quæ Hermannianis addidit, cancellis incluſiſſe, affirmat Bœclerus in ſuæ editionis præfatione. Ejusmodi additamentum, memorato ſigno diſtinctum, in hiſtoria hujus ſtirpis phyſica non extat, nec Bœclerus quicquam adjecit, qui ſuum commentarium ad calcem ſingulorum capitum ſcholii in modum ſubjunxit.

ll) Leon. Plukenetii *Phytographia ſeu ſtirpium icones fideliter & exquiſite ad vivum delineatæ, Pars altera, æneisque tabulis illuſtratæ* &c. Londini 1691. fol. min. ſeu 4to max. Tab. CCXXV. fig. 6. Eivsd *Phytographiæ Pars quarta ſ. Almageſtum botanicum* &c. *Phytographiæ Plukenetianæ Onomaſticum methodo ſynthetica digeſtum* &c. ib. 1696. forma ead. p. 120. Eivsd. *Amaltheum botanicum* &c. ibid. 1705. forma ead. p. 66.

ca, ſi recens, juſto minor eſt; ſi ſiccata, non rugoſa repræſentatur; pedunculus quoque valde brevis & nimis tenuis eſt, atque præterea capula ſeu extremitate ampliata & excavata caret. Huic iconi in eadem tabula adſculpta ſunt nomina a Monardo, Io & Caſp. Bauhino ut & Piſone huic arbori aſſignata, in Almageſto vero ad notum jam plantarum genus refertur hæc arbor, dum nominatur *Cornus mas* mm) *odorata, folio trifido, margine plano, Saſſafras dicta*, ubi ſimul ſynonyma modo indicata repetuntur. In Amaltheo additur *Cornus mas ſeu Saſſafras Laurinis foliis indiviſis, ex provincia Floridana: Saſſafras forte Laurinis foliis Piſonis:* ſed neque deſcriptio neque icon additur. 24) Petr. Pomet nn). Nomen huius arboris ab hoc A. ſcribitur *Saxafras* & additur *Bois de Canelle* ou *Pavame*. Icon addita ficta eſt ſecundum illam Monardi, ſed baccis globoſis, brevibus pedunculis ſigillatim adhærentibus, male aucta. Hiſtoria brevis quoque & manca eſt, nihilque novi continet. His addit Auctor: quum nova adhuc merx eſſet charoque pretio veniret, nonnulli fraudulenti Abietis ligni fruſta decocto ſeminis fœniculi impræegnata pro ligno Saſſafras ven-

mm) Num hanc fructus cum Corno ſimilitudinem Hermannus (vid. n. anteced.) an Plukenetius prius obſervaverit, dubium manet; hic tamen hoc demum declaravit in Almageſto a. 1696, quo anno Hermannus mortuus jam erat.

nn) *Hiſtoire generale des Drogues* &c. *par* Pierre Pomet, *Marchand Epicier & Droguiſte.* A Paris 1694. & novo hoc titulo: *Le Marchand ſincere ou Traité general des Drogues ſimples & compoſées* &c. ibid. 1695. fol. maj. in utraque editione p. 110 Proſtat etiam in germanicam linguam translatum hoc opus titulo: *Der aufrichtige Materialiſt und Specerey-Hændler* &c. Leipzig 1717 fol. p. 137.

vendiderunt, ſed nunc, quia genuinum vili pretio conſtat, de hoc mangonio nemo amplius ſollicitus eſt. 25) BERNARD. VERZASCHA *oo*). Icon & deſcriptio ex Monardo ſecundum Dalechampium mutuatæ ſunt, nihilque acceſſit, quam quod florum exiguorum, luteolorum, filamentoſorum (ſatis male, niſi ſtamina intelligat) illis Corni ſimilium & baccarum parvarum, calyculis exiguis incluſarum, in denſis racemis ex longis pedunculis naſcentium mentio fiat. 26) NICOL. LEMERY *pp*). Icon ex Pomet deſumta valde imminuta & adhuc vilior repræſentata eſt. Deſcriptio iterum ex Monardo excerpta eſt. Quæ de fructu refert, a C. Bauhino mutuatus eſt. 27) MICH. BERN. VALENTINI *qq*). Hic A. ſiſtit Hernandi ſupra n. 13. citati figuram,

oo) *Theatrum botanicum, das iſt, neu vollkommenes Kräuterbuch* &c. *erſtens von* H. BERNH. VERZASCHA, *vermehrt und verbeſſert durch* THEOD. ZWINGERVM, *Med. D. und zu Baſel Profeſſor.* Baſel 1696. fol maj. p. 209. Ipſius Verzaſchæ opus antea prodiit in folio paullo minori ibid. 1678. titulo: *Neu vollkommenes Kräuterbuch* &c. *erſtlich von* PETRO ANT. MATTHIOLO, *darauf zum viertenmal durch* IOACH. CAMERARIVM, *jezund verbeſſert von* BERNH. VERZASCHA, *des Raths Deputaten und Statt-Artzt zu Baſel.* Sed in hoc opere nulla adhuc Saſſafras mentio facta eſt: quæ ergo in denuo aucta editione de illo reperiuntur, Zwingerus addidit.

pp) *Dictionaire ou Traité univerſel des Drogues ſimples* &c. *par* NIC. LEMERY, *de l'Acad. Roy. des Sc. Docteur en Medicine. Troiſieme edition revûe, corrigée & beaucoup augmentée par l'Auteur.* A Amſterdam 1716. 4. p. 487. tab. XX. fig. 4. Seguierius l. c. p. 272. indicat primam editionem Pariſiis 1698. ſine iconibus; ſecundam ibid. 1714. utramque in 4to. Hæc iconibus procul dubio a bibliopola Batavo tantum, de ſelectu parum ſollicito, additis aucta eſt. p. 487. tab. XX. fig. 4.

qq) *Muſeum muſeorum oder vollſtändige Schaubühne aller Materialien und Specereyen* &c. *unter Augen geleget von D.* MICH. BERNH.

ram, ſed æri inciſam & ſatis accurata imitatione expreſſam. In deſcriptione hanc arborem ab illa Monardi non, ſed a *ligno Pavano* *rr*) diſtinguit, quod, ut opinatur, eſt *lignum Molluccenſe*, ſeu *Pavana*, cuius p. 279. brevibus mentionem facit; ſed errat: hoc enim rectius Panava, quod pro ſynonymo habet, ſcribitur *ss*). Ceterum monet, mercem illam, quæ Saſſafras nomine in officinis pharmacevticis hodie communis eſt, eſſe radicem ligno præſtantiorem *tt*) præſertim cortice ſuo adhuc tectam, nec adeo diu raſam vel conciſam. 28) Em. Koenig *uu*). Deſcriptio eadem eſt, quæ in Zwingeri Verzaſcha ſupra n. 25. citato reperitur. 29) Barthol. Zorn *vv*). Inter alia Synonyma jam indicata refert hic A.

Bernh. Valentini, *Leib- und Hof- Medico, Prof. Ord. zu Gieſſen* &c. Franckf. am Mayn 1704, alteraque editio ibid. 1714. in fol. maj. in utraque p. 264.

rr) Conf. nota ſuperior *b* & *dd*.

ss) Quo & ligni Moluccenſis nomine a Christoph. *a* Costa *aromatum & medicamentorum in Orientali India naſcentium libro*, Antverpiæ. 8v. 1582. p. 54. & ibid. 1593. p. 278. ut & Clvs. *exotic.* p. 277. deſcribitur charactere, habitu, & viribus multum differentibus, quemadmodum etiam *Pavate* l. c. edit. primæ p. 30. ſecundæ p. 256. tertiæ p. 277, quæ nomina facile inter ſe confundi poſſunt.

tt) Hoc jam docuit Ge. Hier. Velschivs, quem citat, *Acad. Cæſ. N. C. Ephem. A. I. p. 332. Obſ. CLII.* & confirmavit P. Hermannvs, vid. ſupra n. 22.

uu) Eman. König, *Philoſophi & Medici Baſil. Regni vegetabilis liber ſecundus* Baſil. 1707. 4. p. 1001. Hoc opus eſt *pars altera* Eivsd. *Regni vegetabilis quadripartiti* ibid. cum anno 1708. præfixo: paginarum enim numerus continuus eſt. In illa autem editione, quæ *partis alterius* titulo ibid. jam a. 1696. prodiit, de Saſſafras altum ſilentium eſt.

vv) *Botanologia medica* &c. Germanica lingua conſcripta *a* Barthol.

Xylomaratrum, lignum fœniculatum & lignum anticatarrhale. Descriptio iterum eadem est, quam Zwingerus in sua Verzaschæ editione supra n. 25. publicavit. 30) IACOB. PETIVER *ww*) paucis refert, *Sassafras ferre florem album* (quod forte ex siccato exemplari communicato, quod naturalem colorem jam perdidit, suspicatus est) *& nigras baccas.* Ab eodem jam antea quidem *xx*) indicatur ***Sassafras facie arbor condaica;*** sed quum hujus nulla descriptio vel delineatio addita est, in dubio manet, an vera Sassafras species sit. Mirum sane est, hunc Auctorem, qui rariora naturæ producta undique collegit eorumque figuras in centum tabulis publicavit, Sassafras arboris, suo tempore in Anglia satis jam notæ, nec iconem nec sufficientem descriptionem cum publico communicasse.

Ex hactenus recensitis palam est, historiam hujus stirpis, per sesqui ferme sæculum ob virtutes suas jam celebratæ, parum vel nihil emendatam fuisse, si excipias C. BAVHINVM n. 9. qui fructus externam faciem ejusque pedunculos longissimos descripsit; de LAET n. 11. qui eundem cum baccis Lauri comparavit ejusque structuram internam satis apte explicavit; PARKINSONVM n. 12. qui ejusdem capulam observavit atque foliorum compagem accuratius descripsit itemque flores cum illis Corni ex TRADESCANTII relatione comparavit; HERMANNVM n. 22.

THOL. ZORN. *D.* Berlin 1714. 4t. cum rariorum figuris æri incisis. pag. 608.

ww) *Petiveriana III. seu Naturæ Collectanea domi forisque Auctori communicata a* IAC. PETIVER, *Reg. Societ. Socio.* Lond. 1717. fol. p. II. n. 232.

xx) *Gazophylacii naturæ & artis decas quinta* &c. *a* IAC. PETIVER, *Pharmacop. Londinensi & Reg. Soc Socio.* Londini 1706. 8v. ubi p. 95. annectitur *an Addition to my Hortus ſiccus* &c. n. 24.

n. 22. qui floris petala ſeu ſegmenta quinque numeravit; IOHNSONVM n. 7. & præcipue PLVKENETIVM n. 23. qui foliorum integrorum & triloborum figuram accuratius delineatam exhibuit, poſtremus præterea de genere, cui adſcribenda ſit hæc ſtirps, ut & de nomine ejus ſpecifico primus cogitavit, ſed, ut mihi videtur, ex ſola baccæ ſimilitudine: vix enim probabile eſt, eum floris quoque ſtructuram noviſſe, quia hujus nec iconem nec deſcriptionem propalavit.

Poſt longum itaque ſilentium, quantum mihi conſtat, nempe a. 1737. denique 31) MARCVS CATESBY *yy*) rami cum foliis, flore & fructu figuram genuinam, ac inſuper vivis coloribus illuſtratam, ſervato *Corni* nomine Plukenetiano, ſecundum obſervationes in ipſa Florida factas, cum publico communicavit. Deſcriptio ejus brevis, cum inſertis notis ex ipſis Auctoris figuris deſumtis & cancellis incluſis, hæc eſt latine verſa. *Eſt arbor plerumque parva, cujus truncus utplurimum pedem craſſitudine non excedit; folia in tres lobos valde profunde inciſa* (quorum quatuor tantum petiolis ſatis longis adhærentia ramus depictus ſiſtit: integra & in deſcriptione & in figura omiſſa ſunt). *Martio menſe profert faſciculos florum exiguorum luteorum, qui ſinguli ex quinque petalis* (nunc quinque nunc ſex eorum, atque præterea involucrum commune tetraphyllum vel pentaphyllum, cinerei colóris, tres floris pedunculos, proxime ad hujus ſegmenta ortos, & flores ſpicatim diſpoſitos ſuſtinentes includens *zz*) ſed

yy) *Hiſtory of Carolina, Florida and the Bahama Islands* &c. *by* MARK CATESBY *F. R. S.* Vol. I. Lond. 1731. fol. max. p. & t. 55. Idem Opus in Germanicam linguam verſum & cum GE. EDWARDI avium hiſtoria conjunctum opera Io. Mich. Seeligmanni Norimbergæ prodiit titulo: *Sammlung verſchiedener und ſeltener Vögel*, &c. dritter Theil fol. 1753. ubi tab. X. eadem reperiuntur.

zz) Vt in Tab. noſtræ VI. fig. 8. *f* & fig. 12. *l.* alio tamen ordine & numero. Conf. explicatio harum figurarum ſupra p. 327. ſq. ubi involucri

matureſcente fructu non perſiſtens, icon oſtendit) *conſtructi ſunt, quibus ſuccedunt baccæ, magnitudine & figura Lauri baccis haud diſſimiles, ex longis pedunculis* (ex longo pedunculo, in quo nullum involucri communis veſtigium ſuperſtes eſt, prope folii cujusdam petiolum orto, in duos longiores diviſo & denuo in duos ſatis adhuc longos ſubdiviſo) *rubris* (coloris miniati) *pendentes & calyci* (ſatis magno) *pariter rubro* (miniato & ad oras crenato ſeu dentato) *uti glandes, inſidentes.* (Conf. tab. VI. fig. 20. ejusque explicatio ſup. p. 329.) *Baccæ, primum virides, maturæ cæruleſcunt. Creſcunt hæ arbores in plerisque terræ continentis Americæ ſeptentrionalis regionibus & plerumque in ſolo fertili. Anglico climati adſueſcunt, quemadmodum Peckhami in horto D.* COLLINSONI *& Fulhami in horto D.* GRAY *per aliquot annos frigori reſtiterunt.* 32) Idem ***Corni*** nomen pariter retinuit PHIL. MILLERVS in tertia, (& forſan jam in duabus prioribus) ſui Dictionarii Hortulanorum editione *a* 3) ut & in quinta *b* 3). In utraque editione citata habitus totius ſtirpis non deſcribitur, fuſius autem ejus cultura tum per nucum plantationem, tum per radicum reptilium propagationem.

volucri hujus partes pro gemmæ ſquamis ſeu ſtipulis declarantur & pedunculorum florigerorum ortus potius prope novella folia, in gemma ſimul contenta *g* fig. 8. *m* fig. 12. indicantur.

a 3) *The Gardeners Dictionary* &c. *by* PHIL. MILLER, *Gardener to the Worſhipful Company of Apothecaries at their Botanick-Garden at Chelſea, and F. R. S. the third edition corrected.* London 1737. fol. maj.

b 3) Teſte Germanica translatione, titulo: *Das Engliſche Gartenbuch, oder* PHIL. MILLERS, *Gärtners der Preißwürdigen Apothecker-Geſellſchafft in dem Kräuter-Garten zu Chelſea, und Mitgliedes der Königl. Engliſchen Societät der Wiſſenſchafften, Gärtner-Lexicon* &c. *nach der fünfften, vermehrten und verbeſſerten Ausgabe aus dem Engliſchen auf das ſorgfältigſte in das Deutſche überſetzet von D.* GE. LEONH. HVTH, *der Republik Nürnberg ordentlichen Phyſico.* Erſter Theil. Nürnb. 1750. fol. maj.

nem. Additur, creſcere hanc ſtirpem copioſe & in Virginia & in Carolina. 33) Poſt hos vero CAROLVS LINNÆVS, ſyſtematum botanicorum reformator celeberrimus, hanc ſtirpem ***Lauri*** generis ſpeciebus adſcripſit *c* 3) & ***Laurum foliis integris & trilobis*** vocavit *d* 3).

Nihilominus nonnulli adhuc inter nomina arboris Saſſafras vulgaria illius ſpecifici Plukenetiani tantum mentionem fecerunt, e.gr. 34) ISAACVS RAND *e* 3) qui præter corni nomen & aliquot

c 3) In ſui *Syſtematis Naturæ prima editione* Lugd. Bat. 1735. fol. max. regni veget. p. ultima *Saſſafras* a *Lauro* adhuc diſtinxit ita, ut hanc octandriis, illam decandriis adſcripſerit, atque præterea ſigno † notaverit, quod ipſi denotabat genus novum a ſe conſtitutum. In *prima* etiam *Generum Plantar. eorumque characterum naturalium* &c. *editione* ibid. 1737. 8vo maj. in *monendis ſeu obſervationibus circa genera data pro uberiori explicatione* p. 382. ad pag. 120. num. 338. (ubi Lauri character proponitur) adhuc dubius Saſſafras cum Lauro conjunxit & propterea in indice illam iterum ſigno † notavit. Eodem vero adhuc anno 1737 in Horto Cliffortiano, Amſtelod. fol. maj. edito, p. 154. non ſolum hanc ſtirpem nominavit *Laurum*, ſed etiam in nota adjecta hanc ſuam ſententiam confirmavit his verbis: „*Arbor etiamnum apud nos non floruit, flores tamen nobis ob-*„*tulit Cl. D. Dillenius in Muſeo Sherardiano, quibus examina-*„*tis apertiſſime patuit, hanc arborem nil cum Corno commune* „*habere, ſed abſolute hujus generis eſſe.*“ Hinc in *Generum Plantar. editione ſecunda aucta & emendata* Lugd. Bat. 1742. 8. maj. p. 114. n. 400 eandem aliasque ſtirpes plures, pro diſtinctis generibus ab aliis habitas, aperte cum Lauri ſpeciebus conjunxit.

d 3) *Hortus Cliffortianus* l. c. *Viridarium Cliffortianum* &c. Amſtelod. 1737. 8. maj. p. 35. *Materia medica L. I. de Plantis.* Holmiæ 1749. 8vo. p. 65. n. 193. *Species Plantar. T. I.* ibid. 1753. 8. maj. p. 371. n. 10.

e 3) *Horti Chelſeani Index compendiarius* &c. *Conſcripſit* Is. RAND, *Phar-*

quot ſynonyma antiqua nil addidit. 35) SAM. DALE *f* 3). Hic A. p. 324. *b.* ſtirpem hanc adſcribit *arboribus fructu calyculato, ſeu quorum fructus calyci inſidet acetabuli inſtar concavo, monopyrenus, nucleo integro, fructu per maturitatem ſicco, folio laciniato ſeu anguloſo, floſculis parvis luteis, baccis parvis nigricantibus, racematim congeſtis*, quem characterem imperfectum repetit p. 326. *b.* Ceterum inter ſynonyma illud Corni Plukenetianum adducit, ſed ne quidem a reliquis vulgaribus ordine diſtinguit, prætereaque nil novi addit. 36) CASP. NEVMANNVS *g* 3). Circa hiſtoriam natu-

Pharmaeopœus Londinenſis, R. S. S. Horti Præfectus & Prælector Botanicus. Londini 1739. 8. maj. p. 60.

f 3) SAM. DALEI *M. L. Pharmacologia* &c. *quarta editio.* Lugd. Bat. 4. maj. Editionem hanc tantum recuſam, exemplar vero Londini biennio circiter ante eam impreſſum eſſe, ex præfatione colligi poteſt. *Prima editio* prodiit Londini 1693. 8. & eadem forma recuſa eſt Bremæ 1705. ut & *ſecunda vice cum A. Supplemento* 1713. *tertiam* editionem non vidi.

g 3) *D.* CASPAR. NEVMANNS, *geweſenen Königl. Preuß. Hof-Raths und Profeſſoris publici chemiæ practicæ, Decani beym Collegio Medico-Chirurgico in Berlin, Mitgliedes des Königl. Ober-Collegii medici, Adjuncti der Röm. Kayſ. Academiæ Nat. Cur. desgleichen Königl. Groß-Britanniſchen und Königl. Preuß. wie auch Päbſtl. Societät der Wiſſenſch. Mitgliedes, auch erſten Hof-Apothekers Prælectiones chemicæ, herausgegeben von D.* Io. CHRISTIAN ZIMMERMANN. *Medic. Practico in Schneeberg.* Berlin 1740. 4. p. 910. quæ editio vero mutila & vitioſa eſt. Prodiit autem alia ſecundum exemplar Autoris correctior & multo auctior cura Dn. CHRISTOPH. HENR. KESSEL, titulo D. CASP. NEVMANNS &c. *chymiæ medicæ dogmatico-experimentalis oder der gründlichen und mit Experimenten erwieſenen mediciniſchen Chymie* &c. IV. tomi (qui ſummatim comprehendunt X. partes) Züllichau 1749—1755. 4. ubi tom. II. Part. III. p. 239. Saſſafras examen reperitur. *Idem opus in compendium redactum* eodem titulo II. Voluminibus ibid. excuſum eſt 1756. 4. ubi Vol. I, p. 887. idem argumentum

naturalem Saſſafras quæ adducuntur, omnia ex Auctoribus citatis deſumta ſunt, & inter ſynonyma Corni nomen Plukenetianum quoque occurrit. Ceterum aſſeritur, Saſſafras Hernandi eſſe eandem ſtirpem, ac illam Piſonis, quod tamen nec cum deſcriptione, nec cum icone utriusque convenit.

Ex Auctoribus ejusdem ævi nonnulli, quorum opera poſt demum citata in lucem edita ſunt, de ullo charactere & nomine generico nondum ſolliciti fuerunt, ad quos pertinet 37) ELISAB. BLACKWELL *b* 3). Hæc vivis coloribus exhibet, præter fruſtum radicis cortice adhuc tectæ & corticis ſeparati, ramum hujus ſtirpis cum foliis integris, bilobatis & trilobatis, petiolis valde longis præditis, ut & hujus ramulum florentem cum quinque pedunculis, ex faſciculo foliolorum integrorum pallide virentium & a gemmæ ſtipulis nudatorum provenientibus, quorum brevibus pedicellis lateralibus, foliolis linearibus ſuffultis, adhærent ſpicatim flores exigui lutei hexapetali: & hæc omnia ſatis apte repræſentavit; ſed racemus, quem addidit, baccarum exiguarum oblongarum, coloris badii, & calyculis ſeu capulis reſpectu baccarum magnis dilute ſpadiceis brevibusque pedunculis ejusdem coloris adhærentium, alius procul dubio ſtirpis productum eſt. Arbor dicitur magna & Virginiæ incola. Ceterum nomen tantum officinale illudque C. Bauhini adducitur, quem defectum vero editio Norimbergenſis *i* 3) ſupplevit. 38) IAC. NEWTON *k* 3) qui iconem arboris tum

tum exponitur. Singulæ hæ editiones poſthumæ ſunt: A. namque 1737. diem ſupremum obiit.

b 3) *Curious Herball* &c. *by* ELIZABETH BLACKWELL &c. Vol. II. Lond. 1739. fol. maj. tab. 267.

i 3) *Herbarium Blackwellianum emendatum & auctum* &c. Centuria III. Norimb. 1757. fol. maj. tab. & expoſ. lat. atque germ. n. 267.

k 3) *Compleat Herbal of the late* JAMES NEWTON, *Med.* London 1752.

tum foliis ficulneis cum ramulo Johnſoni ex Gerhardo, tum folio dentato ex Muntingio ſiſtit: priori adſculptum eſt *the Saſſafras tree Ger.* poſteriori *the Saſſafras tree with indented leaves Munt.*

Alii deinde nomen Linnæanum quidem adduxerunt, ſed inter reliqua ſynonyma ita, ut haud conſtet, quodnam nomen pro generico genuino habeant. Huc pertinet 39) STEPH. FRANCISC. GEOFFROY *l* 3). Hic ligni genuini characterem his tradit: „*Lignum eſt ex rufo albicans, rarum & leve, cortice fungoſo,* „*foras cinereo, intus ferrugineo, ſapore acri, ſubdulci, aromatico;* „*odore*

8. maj. tab. 164. Hoc opus in tabb. 176. continet tantum inſignem numerum iconum ſtirpium æri incifarum, ſed valde imminutarum: unica enim pagina ſeu tabula ſiſtit viginti & plures figuras, quibus nomen Anglicanum tantum adſculptum eſt. Præfatio docet, auctorem jam a. 1680. cœpiſſe has icones colligere & ætate provectiorem ſecum quidem conſtituiſſe, easdem deſcriptione illuſtrare; ſed morte ſubitanea e vivis ereptum ultra pomiferarum arborum expoſitionem (quæ ſigillatim acceſſit & tabb. 35. comprehendit) non perveniſſe, totum autem opus diu latuiſſe & nunc absque mutatione in publicum editum eſſe, hinc etiam ex ſyſtematicis botanicis tantum citantur Moriſonus, Raius, Hermannus & Tournefortius.

l 3) *Tractatus de materia medica ſive de medicamentorum ſimplicium hiſtoria, virtute, delectu & uſu. Auct.* STEPH. FRANC. GEOFFROY *Doct. Med. Pariſienſi, Reg. Scientiar. Academiæ Pariſienſ. Regiæque Soc. Londinenſis Socio, nec non Chymiæ in Horto Reg. & Medicinæ in Regio Franciæ Collegio Profeſſore. Tomus ſecundus de vegetabilibus exoticis.* Pariſiis 1741. 8. maj. p. 244. In Gallicam linguam traductus titulo: *Traité de la matiere medicale, traduit en François par M.* Tome ſecond traité des Vegetaux Sect. I. de medicamens exotiques.* Paris 1743. 12. maj. p. 422. In Germanicam linguam verſus titulo: *Abhandlung von der Materia Medica &c. Zweyter Theil von den ausländiſchen Pflanzen aus dem lateiniſchen überſetzt.* Leipzig 1761. 8. maj. p. 361.

„odore fragrante ad Fœniculi odorem accedente. Ex Virginia, Braſi-
„lia aliisque Americæ provinciis ad nos venit. Adulteratur nonnunquam
„Ligno aniſato, ſeu ligno aniſi I. B. m 3) quod a ligno Saſſafras odo-
„re ſeminis aniſi, gravitate, reſinoſa denſaque ſubſtantia facile diſtin-
„guitur.“ Hæc ſequuntur ſtirpis hujus nomina vulgaria, in-
„terque hæc illud quoque Plukenetianum & Linnæanum, ejus-
que deſcriptio ex Monardo, Io. Bauhino & Piſone collecta, qui-
bus hæc adduntur: „*Flores racematim congeſti, longis pedunculis*
„*inſidentes parvi ſunt, quinquefidi, laciniis deciduis* (quod perperam
„aſſeritur, conf. p. ſup. 329.), *quos excipiunt baccæ Lauri baccis ſimi-*
„*les, corolla rubra veluti cupula comprehenſæ.* Diſtinguit ab hac ſpecie
duas illas, quas Piſo deſcripſit, cujus verba breviter repetit.
40) Frid. Zwingervs *n* 3) hiſtoriæ hujus ſtirpis nihil addi-
dit, præter nomen Linnæanum ſpecificum & has notas imper-
fectas: „*folia laciniata triloba; floſculi lutei racematim congeſti;*
„*fructus uniformis per maturitatem niger baccis Lauri ſimilis.*“

Alii denique, & quidem Botanici celeberrimi, nomen ge-
nericum & ſpecificum a Linnæo propoſitum ut ſolum genui-
num elegerunt, qui ſunt 41) Io. Frid. Gronovivs o 3). Hic
A. indicat 1. nomen Linnæanum ex H. Cliff. 2. Plukenetianum

m 3) Dequo conf. pag. ſuper. 291. n. 17. ut & not. *z* & *aa*.

n 3) Theod. Zwingeri *der Artzneyk. Doct. Prof. und Stadt-Artztes zu Baſel, wie auch Hochf. Baden-Durlach. Geheim. Hof-Raths und anderer Deutſchen Reichs-Fürſten Leib-Medici, Theatrum botanicum, überſehen und vermehrt durch* Frid. Zwinger. *des ſeel. Authors Sohn, der Philoſophie und Artzneyk. Doctor, des Durchl. Baden-Durlach. Hauſes Hofrath und Medicus.* Baſel 1744. fol. maj. p. 239. conf. n. 25.

o 3) *Flora Virginica, exhibens plantas, quas V. C.* Io. Clayton *in Virginia obſervavit atque collegit. Eaſdem methodo ſexuali diſpoſuit ad genera propria retulit: nominibus ſpecificis inſignivit & minus cognitas deſcripſit* Io. Fred. Gronovivs. *Pars I.* Lugd. Bat. 1739. & unacum parte II. ibid. 1743. 8. maj. p. 46.

(quo Clayton usus fuit), quibus ut synonyma junguntur 3. Cornus mas seu Sassafras laurinis foliis indivisis &c. Pluk. Amalth. *p* 3) & 4. Sassafras forte Lauri foliis Pis. *q* 3). 42) Adrianvs van Royen *r* 3). Hic pariter utitur nomine Linnæano & tanquam synonymum addit Plukenetianum. 43) Io. Ge. Henr. Kramervs *s* 3). Hic inter Lauri species recenset Sassafras solo Linnæano nomine specifico. 44) Christian. Gottlieb Lvdwig. *t* 3). Hic pariter, ad mentem Linnæi, Lauri generi adscribit Sassafras, huicque pro charactere specifico tribuit folia trilobata, trinervia; flores ex alis foliorum in involucris (quibus gemmas intelligit: vid. Eiusd. charact. gener.) tetraphyllis; florem & fructum Lauri. 45) Ever. Iac. van Wachendorff *u* 3) qui inter Lauri species n. 7. solum nomen Linnæanum affert. 46)

p 3) Vid. supra n. 23.

q 3) Vid. supra n. 14.

r 3) Adr. *van* Royen, *M. D. Medicinæ, Botanices & Collegii practici in Batavia, quæ Leydæ est, Academia Professoris Floræ Leydensis prodromus, exhibens plantas, quæ in Horto Academico Lugduno-Batavo aluntur.* Lugd. 1740. 8 maj. p. 227.

s 3) Io. Ge. Henr. Kramer *Philos & Medicinæ Doctoris Tentamen botanicum emendatum & auctum, sive Methodus Rivino-Tournefortiana emendata & aucta* &c. Viennæ Austr. 1744. in tabulis fol. ord. & maj. p. 141.

t 3) D. Christ. Gottl. Lvdwig, *Med. P. P. extraord & Colleg. B.M. V. h. t. Præpositi Definitiones generum plantarum auctæ & emendatæ* Lipsi. 1747. 8 maj. n. 133. p. 36. *Ejusdem, Ord. Med. in Acad. Lipsi. Decani, Definitiones Generum Plant. olim in usum auditorum collectas nunc auctas & emendatas edidit D.* Ge. Rvd. Boehmer *Med. Prof. publ. ord. Wittebergensis.* Lipsi. 1760. num. 188. p. 64.

u 3) *Horti Vltrajectini Index. Auctore* Ever. Iac. *van* Wachendorff, *Med. Doct. Medicinæ, Chem. & Bot. Prof. Ord.* Traj. ad Rhen. 1747. 8. maj. p. 259. n. 724.

46) CONWALLADER COLDEN *v* 3). Hic poſt nomen ſpecificum Gronovianum (ſeu Linnæanum) omnium fructificationis partium characterem his tradit. Calyx: *nullus, niſi fundum corollæ Calycem diceres.* Corolla: *Petala ſex ovato-acuminata.* Stamina: Filamenta *novem, compreſſa;* Antheræ *erectæ compreſſæ, ſtaminibus latiores, fere quadratæ;* Corpuſcula *ſex, globoſa, mollia, petiolo breviſſimo affixa, germen circumſtantia.* Piſtillum: Germen *globulare;* Stylus *unicus, in quibusdam floribus ejusdem arboris ſtyli duo;* Stigma *obtuſum.* Pericarpium: Drupa *fere ſicca, in calyce locata, ſicut glans quercina, quæ, quum areſcat, fit* Nux *globularis, parum compreſſa;* Nucleus *ejusdem figuræ.* His ſubnectit: „*Stamina* „*facile deiicit; Flores pedunculati, in racemis, ad extremitates ramo-*„*rum; Folia ſurculorum unius anni elliptica, integra, ligni veterioris* „*trilobata.*“ 47) IO. HILL *x* 3) inter Lauri ſpecies n. 5. recenſet hanc ſtirpem nomine ſpecifico Linnæano cum ſolo C. Bauh. ſynonymo. Deſcriptio arboris brevis latine verſa hæc eſt: „*radix brachiata valde longa & ſparſa, ſolum haud profunde penetrans;* „*truncus ſimplex, mediocriter craſſus, non valde altus; frondoſa pars* „(the top) *ramoſa & ſparſa; folia ramis irregulariter adhærentia,* „*perpetuo virentia, juniorum aliqua figuræ ovalis, indiviſa & in ex-*„*tremitate obtuſe mucronata, reliqua in tres lobos diviſa & fici foliis* „*quodammodo ſimilia, ſuperius obſcure viridia, inferius albicantia; flo-*

 „*res*

v 3) *Plantæ Coldenhamiæ in Provincia Noveboracenſi Americes ſponte creſcentes, quas ad methodum Cl. Linnæi ſexualem anno 1742. &c. obſervavit & deſcripſit* CONWALLADER COLDEN. pag. 119. n. 94. Reperiuntur hæ plantæ deſcriptæ in *Actis Societatis Reg. Scientiarum Vpſalienſis ad annum 1743.* Stockholmiæ 1749. 4. maj. p. 81 — 136. & *ab anno* 1744. *ad* 1750. ib. 1751. p. 47 — 82. in ſumma 237 plantæ.

x 3) *General Hiſtory or new and accurate Deſcriptions of the animals, vegetables and minerals* &c. *by* JOHN HILL *Med. Doct. Acad. Reg. Scient. Burdig.* &c *Soc. Volumina III.* Lond. 1748—1752. *Volumen II. a Hiſtory of Plants* 1751. p. 412.

„*res, racematim longis pedunculis inſiſtentes, parvi; baccæ figura & mag-*
„*nitudine Lauri.*“ 48) PHIL. MILLERVS ſupra n. 32. citatus y 3). In binis poſterioribus editionibus laudatus Auctor nunc inter Lauri ſpecies Linnæi nomine ſpecifico recenſet Saſſafras, edit. ſexta n. 11, ſeptima n. 7. In ſexta dicuntur hæ ſtirpes Americæ ſeptentrionalis indigenæ, ubi plerumque creſcunt in ſolo parum humido (*on low ſwampy ground*), nunquam vero ad altitudinem inſignem aſſurgunt, neque earum trunci valde craſſi evadunt, quare fruticibus annumerari poſſunt. Radices earum ſub terra ſerpunt & in nativo ſolo producunt permultos ſtolones; ſed in Anglia hæ ſtirpes haud facile longævæ fiunt: hiemis enim ſeveræ frigore plerumque deſtruuntur & æſtatis fervidæ ſiccitate ſæpius pereunt etſi ſolo valde humido implantentur, neque hiemali tempore in caldariis melius conſervantur. Poſt hæc fuſior ſequitur inſtructio, quomodo tum baccis tum radicibus propagari queant, cujus ope harum ſtirpium aliquæ ultra ſeptem pedes aſſurgebant ramis bene inſtructæ. In Anglia fructum haud fert hæc ſtirps, ſed baccæ ex America petuntur. In ſeptima editione hæc illuſtrantur ſequentibus. Saſſafras arbor valde communis eſt in plerisque Americæ ſeptentrionalis partibus, ſed raro octo vel decem pedes altitudine ſuperat. Radices ibidem valde luxuriant & ſtolonibus ſuis ſolum longe lateque occupant, ubicunque hoc augmentum ipſis conceditur. Rami ornantur foliis differentis figuræ & magnitudinis: quædam eorum ſunt figuræ ovalis & integra, quatuor circiter digitos longa, tres lata; alia profunde dividuntur in tres

y 3) *The Gardeners Dictionary* &c. *The ſixth edition carefully reviſed, and adapted to the preſent practice by* PHIL. MILLER *F. R. S.* &c. *and Member of the Botanic Society at Florence.* London 1752. *The Gardeners Dictionary* &c. *the ſeventh edition, reviſed and altered according to the lateſt ſyſtem of Botany, and embellished with ſeveral copper Plates, wich were not in the former Editions. by* PHIL. MILLER &c. London 1759. fol. maj.

tres lobos, & hæc ſex digitos longitudine totidemque latitudine extremitatibus loborum lateralium æquant; ſitum tenent alternum petiolo valde longo inſtructa, lucido virore gaudent, autumno cadunt. Quam primum verno tempore propullulant folia, mox comparent flores proxime infra illa ſuper tenuibus pedunculis, quorum ſinguli ſuſtinent tres vel quatuor exiguos flores luteos ex quinque ovalibus petalis concavis & octo ſtaminibus conſtructos in maſculis, qui reperiuntur in ſtirpibus a femineis diſtinctis: feminei flores inſtructi ſunt germine ovali, quod poſtea abit in baccam ovalem, quæ matura cærulea fit. 49) DU HAMEL DU MONCEAU z3) Ab Auctore hujus operis p. 350. inter Lauri ſpecies n. 7. recenſetur Laurus foliis integris & trilobis *Lin. H. Cliff.* Cornus *Pluk.* Saſſafras *C. B. P.* & p. ſeq. affirmatur, omnes Lauri ſpecies tempore hiemali ſua retinere folia. P. 352. ille addit, Gallos obtinere Saſſafras ex Canadæ regione Iroquoenſium, ſed valde raram adhuc eſſe hanc ſtirpem in Gallia. Notum tantum eſſe, ejus lignum, quod illis ex Florida aliundeque affertur, ſaporis eſſe acuti, aromatici, odorisque fœniculacei, quibus tribus verbis addit uſum ejus medicum. His jungit, ipſam arborem vulgarem eſſe in Luiſiana; lignum ejus flammam haud concipere, niſi ab aliis lignis excitetur, moxque extingui, quam primum ignis removetur; D. SARRAZIN retuliſſe, hanc arborem amare ſolum bonæ notæ, eundemque comperiſſe, eam in Canada ſimpliciter vocari Laurum. His denique p. 352. ** n. 7. accedit icon ligno exciſa ſolius folii trilobati, æque ferme lati ac longi, cujus lobus medius quidem latiſſimus, ſed lateralibus vix longior eſt (conf. Obſer-

z3) *Traité des Arbres & Arbuſtes, qui ſe cultivient en France en pleine Terre. Par M.* DU HAMEL DU MONCEAU, *Inſpecteur general de la Marine; de l'Academie Royale des Sciences, de la Societé Roy. de Londres, Honoraire de la Societé d'Edimbourg & de l'Academie de Marine.* Tome premier à Paris 1755. 4. maj. pag. 350.

Obſervat. tab. VI. fig. 10.) quorumque omnium apices repræſentantur acuti. 50) PETRVS KALM *a* 4). Hic A. ſtirpem hanc ad mentem LINNÆI p. 219. n. 31. pariter vocat *Laurum*, eandemque ſponte, & quidem copioſe, creſcentem a. 1748. invenit in Penſylvania prope Philadelphiam p. 216, & 290; inter Philadelphiam & Willmington p. 294, & in Nova Jerſey, regione citra fluvium Dellaware orientem verſus Penſylvaniæ oppoſita p. 481. Quæ ſigillatim de eadem arbore recenſet, p. 290. reperiuntur, quorum primaria hæc ſunt. In Philadelphiæ vicinia hinc inde creſcebat in ſilvis, fruticetis, & ad ſepes. In arvis ut ſilveſcerent ceſſatis inter primas erat arbores, quæ propullulabant, & quidem in tanta copia, uti in Suecia Betulæ in tractibus ſilvoſis, vetuſtis exuſtisque (*alte ausgebrante Waldſtriche*, *Svecis Swedjeland*). Humus, quæ illam alebat, arida atque laxa erat, coloris lateritii pallidioris, & maximam partem

a 4) *Des Herrn* PETER KALMS, *Profeſſors der Haushaltungskunſt in Aobo, und Mitgliedes der Königl. Schwed. Akademie der Wiſſenſchafften, Beſchreibung der Reiſe, die er nach dem Nördl. Amerika auf Befehl gedachter Akademie und öffentl. Koſten unternommen hat. Der zweyte Theil Eine Ueberſetzung.* Göttingen 1757. 8. quæ pars conſtituit partem decimam illius itinerum collectionis, quæ ibid. ſumtibus viduæ Abrami Vandenhœk prodiit titulo: *Sammlung neuer merckwürdiger Reiſen zu Waſſer und zu Lande.* LINNÆVS Syſt. nat. edit. X. Holm. 1760. citat hoc opus titulo: KALM. *Iter Americæ Sept.* Holm. 1756. 8. ſed hoc exemplar Suecica vernacula conſcriptum eſt. Alia autem verſio Germanica nunc ſub prælo ſudat Lipſiæ apud Gottfr. Kieſewetter pariter in 8. cujus prima pars jam in publicum prodiit hoc titulo: *Reiſe nach dem Nördlichen America, welche auf Befehl der Königl. Schwediſchen Akademie der Wiſſenſchafften und auf allgemeine Koſten von* PETER KALM, *öffentl. Lehrer der Oeconomie zu Abo und Mitglied der Königl. Schwediſch. Akad. der Wiſſenſch. iſt verrichtet worden.* Leipz. 1754. Altera pars nondum excuſa eſt.

partem ex ſabulo conſtabat pauco luto mixto, nec pinguis ſed macra apparebat, qualis etiam humus Novæ Jerſey pag. 472. deſcribitur & quidem magis adhuc ſabuloſa & valde macra. Occurrebat autem hæc ſtirps in ſilvis aliis arboribus interſerta, ſæpe etiam ſparſim ad ſepes, ubique vero eodem gaudebat virore; nunquam autem A. illam reperit in locis udis humilibusve. Radices ejus longe lateque ſe extendunt & hinc inde ſtolones protrudunt, qui vero propagationi haud inſerviunt, quia perpaucas fibras ſpargunt, proptereaque nullam firmitatem in humo acquirere poſſunt. Pro plantanda ergo hac ſtirpe acquirendæ ſunt baccæ, quæ autem difficulter obtineri poſſunt, quia aves plerumque illas devorant antequam matureſcunt. Teneris ſtolonibus vaccæ avide inhiant, quas ubique inveſtigant. P. 481. his addit ſequentia. Sueci in Nova Jerſey degentes hanc arborem vocant & *Saltenbras* & *Salſenfras*: prius tamen nomen magis commune eſt. Quando hujus arboris lignum igni injicitur, eundem edit ſtrepitum, ac ſi ſal inſperſus fuiſſet: unde Sueci procul dubio ſuam denominationem deſumſerunt & nomen Saſſafras proprium detorſerunt. Quando novelli ſtolones vel arboris rami abſciſſi admoventur naribus, fortem quidem, ſed gratum ſpirant odorem. 51) Iacob. Christian. Schæffer *b* 4). Ab hoc A. P. III. p. 269.

b 4) Iacobi Christiani Schæffer, *Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Daniæ Norwegiæ a Conſiliis, Philoſoph. Doct. Gymnaſ. Acad. Alton. Profeſſoris honorarii, Eccleſ. Evang. Ratisb. Miniſtri, Acad. Imper. Roboret. Berol. ac Bavaricæ Societ. Litterar. Duisb. & Teuton. Gœttingens. nec non Liber. Art. Lipſienſ. Socii, Botanica expeditior, genera plantarum in tabulis ſexualibus & univerſalibus æri inciſis exhibens.* Ratisbonæ 1760. 8v. max. f. 4to. anguſtior. *Pars I. Tabulæ ſexuales exhibentes Syſtema Linneanum. Mar. Eliſ. Fridrichin ſculpſit Ratisbonæ. P. II. Tabulæ univerſales, ſiſtentes omnes fructificationis partes ſecundum Syſtema Rivino-*

p. 269. n. 228. Sassafras officinarum etiam ***Lauri*** speciebus adnumeratur eique ut notæ specificæ tribuuntur folia triloba trinervea, flores ex alis foliorum in involucris tetraphyllis c 4).

Plures Auctores, qui hujus stirpis figuram vel descriptionem aliquam dederunt, nunc quidem haud recordatus sum. Eosdem ex itinerariis conquirere, supervacaneum duxi, quia illorum Auctores raro iis instructi sunt qualitatibus, quæ in accurato observatore desiderantur. Speciminis loco sint 52) HISTORIA VNIVERSALIS REGIONVM POPVLORVMQVE AMERICÆ d 4). Vbi de Canadæ, Luisianæ & Floridæ regione ex CHARLEVOIX e 4) relatione p. 479. seqq. agitur, p. 544. indicat, circum-

Rivino-Tournefortianum. Eadem sculpsit ibid. P. III. Synonymia generum plantarum. Accedit *index generalis in tres partes.*

c 4) Alio in opere, quod IDEM Germanica lingua edidit hoc titulo: *Erleichterte Arzneykräuter-Wissenschafft, nebst vier Kupfer-Tafeln mit ausgemahlten Abbildungen*, Regenspurg 1759. 4to. huius stirpis nulla adhuc fit mentio.

d 4) *Allgemeine Geschichte der Länder und Völcker von America. Zweiter Theil* &c. Halle 1753. 4to.

e 4) P. *de* CHARLEVOIX *Journal d'un Voyage fait par ordre du Roy dans l'Amerique septentrionale* &c. Quod constituit partem quartam operis sui, quod inscribitur: *Histoire & Description generale de la Nouvelle France* à Paris 1744. Tabulæ, quas idem A. Historiæ Iaponiæ (*Histoire & Description generale de Iapon* &c. *par le P. de* CHARLEVOIX, *de la Compagnie de Jesus, Tome II. à Paris 1736. 4. maj.*) pro illustranda historia naturali pag. 552. seqq. addidit, ex ENGELB. KÆMPFERI Historia Iaponiæ (*Histoire naturelle, civile & ecclesiastique de l'Empire du Japon. Composée en Allemand par* ENGELB. KÆMPFER, *Docteur en Medicine à Lemgow, & traduite en François sur la version Angloise de* IEAN. GASPAR SCHEVCHZER, *Membre de la Societé Rojale & du College des Medecins a Londres. Tome I. a la Haye 1729. fol. maj.*

Idem

cumcirca munimentum ſeu caſtellum, ad ſinum maris Michigan in Luiſiana exſtructum, arva ſtirpibus Saſſafras eſſe refertiſſima, unde aura balſamicum ſpirat odorem; ibidem vero nullam earum in altam aſſurgere arborem uti in Canada, ſed frutices manere humi propemodum ſerpentes; p. 574. e contrario docet, arbores regionis Floridæ plerumque ſtupendam acquirere altitudinem & craſſitudinem, interque eas etiam occurrere illas Saſſafras variarum ſpecierum. P. 724. addit, hanc ſtirpem magna in copia etiam provenire in Nova Georgia, in vicinia Vrbis Eben-Ezer, quæ Salisburgo emigrantibus conceſſa eſt. P. 813. ubi inſulæ Tabago hiſtoria traditur, peculiaris deſcribitur arbor, quæ ***Lignum Cinnamomi*** (*Zimmetholz*) itemque Floridanorum ***Pavame*** Europæorumque ***Saſſafras*** vocatur, & elegantiſſimis Novi Orbis arboribus comparatur. Brevis eius deſcriptio latine reddita hæc eſt. „*Recto aſſurgit trunco, qui viginti quinque trigintaque pedum al-*
„*titudinem attingit prius, quam ramos ſpargit. Folia eius tum figu-*
„*ra & colore, tum etiam odore, Lauri foliis ſimilia ſunt. Lignum*
„*eius rubeum eſt & ſuavis odoris, ſolidum, planum & ad ſcriniario-*
„*rum opera inde paranda aptiſſimum. In hac inſula ædificia ex eo*
„*ſtruuntur. Rami tam denſe conferti ſunt, ut nihil ſub iis procreſcere*
„*poſſit, præter herbam exilem perpetuo virentem & bene olentem. Eius-*
„*modi arbor fert grana piperi rotundo ſimilia fortisque ſaporis, quæ pſittaci*
„*amant: hinc etiam nidos ſuos ſuper his arboribus ædificant, quia præterea*

„*fron-*

Idem opus eodem titulo prodiit Amſteled. 1732. *in* 8v. *ſeu* 12. *maj.*, *quæ editio vero his tabulis caret)* & EIVSD. Amœnitatibus exoticis *(Amœnitatum exoticarum politico-phyſico-medicarum Faſciculi V.* &c. *Auctore* ENGELB. KÆMPFERO, *D. Lemgoviæ* 1712. 4 *maj.)* mutuatæ, ſed multum imminutæ, earumque expoſitiones etiam ex eodem potiſſimum hauſtæ ſunt, nec illis novæ acceſſerunt. Num ea, quæ in Novæ Franciæ hiſtoria occurrunt, pariter ex aliis tantum compilata, an ex propriis obſervationibus collecta ſint, me latet: hoc opus enim ad manus meas nondum pervenit.

„*frondium denſitas omnem illis præbet ſecuritatem earumque viror plu-*
„*marum colori reſpondet. Corticem arboris aromaticam omnes deſide-*
„*rant, qui diarrhœis corripiuntur, quæ inſuper ventris tormina in ge-*
„*nere ſedat, aſthma tollit obſtructionesque. In aëre ſiccata ferculis pa-*
„*rem conciliat ſaporem gratum, ac Cinnamomum, unde etiam par no-*
„*men obtinuit.* Ex hac autem deſcriptione, utut imperfecta & manca, facile elucet, hanc arborem Pavame & Saſſafras perperam appellari multumque ab illa differre & potius Cinnamomi ſilveſtris ſpeciem quandam eſſe; probat vero illa ſimul, quam facile ſeduci queant peregrinatores, obſervationum fundamentis minus ſufficienter inſtructi. 53) Anno 1746. in publicum edi cœpit gallica traductio ampliſſimæ HISTORIÆ GENERALIS ITINERVM *f* 4) quam erudita Anglorum Societas concinnavit & vernacula ſua conſcripſit, in Gallicam vero traduxit ANTON. FRANCISC. PREVOST, Abbas & Sereniſſ. Principis de CONTI Eleemoſynarius *g* 4). In hac collectione plura de Saſſafras arbore invenire haud potui, quam ſequentia latine reddita *h* 4). „*Notandum eſt, hanc arborem ſatis vulgarem eſſe in*
„*re-*

f 4) *Hiſtoire générale des Voïages, ou nouvelle Collection de toutes les Relations des Voïages par Mer & par Terre, qui ont été publiées jusq' à preſent dans les différentes Langues de toutes les Nations connues* &c. à Paris & à Lauſanne 4. maj.

g 4) Hæc quidem Gallicæ verſionis titulus non indicat, attamen præfatio.

h 4) Vol. XV. p. 257. ubi hiſtoria naturalis Americæ ſeptentrionalis in genere exponitur. Additur hoc loco quidem, de Saſſafras virtutibus dictum jam eſſe in Mexicæ & Carolinæ deſcriptione; ſed illius Vol. XII. & hujus Vol. XIV. hiſtoriam fugitivo oculo, notas marginibus adſcriptas vero curatius pervolvens nihil plane hujus argumenti reperire potui: & ſi qua contextui inſerta ſunt abs me haud animadverſa, quæ de viribus tantum agunt, huc non pertinent: de his enim in ſequentibus plura. Dolendum autem vaſti hujus operis nondum abſoluti ſingula volumina indice carere.

„regionibus meridionalibus Novæ Franciæ, illam vero haud valde altam,
„nec ſupra radicem ſuam unquam pedis unius diametro craſſiorem eſſe.
„Ad ripas fluminis St. Ioſephi, quod lacum Michigan influit, campi re-
„periuntur his ſtirpibus referti, quæ vero arbuſculæ ſ. frutices tantum
„ſunt. Nihilominus in Carolina Saſſafras grandis eſt arbor, cujus fa-
„ſtigium elegantiſſimas format frondes. Folia ejus profundis inciſuris
„in tres diviſa ſunt lobos. Martio menſe protrudit faſciculos florum
„exiguorum luteorum ex quinque petalis compoſitorum, quos ſequuntur
„baccæ figura & magnitudine Lauri baccis ſimiles. Pedunculus earum
„ruber eſt, itemque calyx ejusdem formæ ac in glandibus. Baccæ pri-
„mum virides ſunt, deinde matureſcentes cæruleæ fiunt. Optato ſuc-
„ceſſu Saſſafras plantata eſt in Europæ quibusdam regionibus; videtur
„autem, eam ibi haud obtinere easdem virtutes, ac ſub climatibus ma-
„gis meridionalibus. 54) Anno ſequenti EADEM HISTORIA SEV COLLECTIO ſecundum idem exemplar Anglicanum in Germanicam linguam verſum excuſum eſt *i*4). Quæ in hac editione de Saſſafras arbore reperiuntur, annotata ſolummodo ſunt in Floridæ regionis hiſtoria *k*4); ſed deſcriptio arboris Saſſafras nil continet, quod non prius MONARDVS docuit: hoc unicum addit, Floridanos eandem & *Pavame* & *Palameh* nominare.

*i*4) *Allgemeine Hiſtorie der Reiſen zu Waſſer und Land; oder Sammlung aller Reisbeſchreibungen, welche bis jezo in verſchiedenen Sprachen von allen Völckern heraus gegeben worden*, &c. *durch eine Geſellſchafft gelehrter Männer im Engliſchen zuſammen getragen und aus demſelben ins Deutſche überſetzet.* Leipz. 4. maj. Hæc editio differt a Gallica usque ad Vol. VIII. quo editores demum cœperunt, Gallicam editionem ſequi, id quod etiam titulus hujus voluminis indicat. Ceterum Germanicæ editionis ſingula volumina indice copioſo inſtructa ſunt.

*k*4) Vol. XIV. p. 21. Notandum autem eſt, tunc temporis Gallicæ editionis continuationem lucem nondum vidiſſe: Germanicæ ergo editores coactos fuiſſe, argumentum abruptum ex P. CHARLEVOIX hiſtoria Novæ Franciæ ſupra nota *e*4 citata continuare.

Ex hactenus citatis, inter ſe collatis, celebris hujus arboris hiſtoria naturalis accuratior formari poterit ſequens.

Stirps hæc vocatur Pavame (*App. p.* 282. & *n.* 17. 22. 24. 52. 54. *l*4), Palameh (*n.* 54.) Saſſafras (*App. p.* 282. & *n.* 8. 13. 14. 17. 22. 52.), Saſſufras (*n.* 9.), Saſſifragia & Saſſepes (*n.* 17.), Saxafras (*n.* 24.), Saltenbras & Salſenfras (*n.* 50.), Winauk (*n.* 9.) & Winanke (*n.* 12. 17.), Anhuyba & Anhuypitanga, itemque Cedro branco & Canella (*n.* 14.), Xylomarathrum (*n.* 29.), Arbor ex Florida ficulneo folio (*n.* 9.), Cornus (*n.* 23. 31. 32. 34. 35. 36.) & Laurus (*n.* 33. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51.). Indigena eſt plerarumque Americæ meridionalis æque ac ſeptentrionalis regionum: e. gr. in Florida, ubi integræ ejus ſilvæ (*App. p.* 283. & *n.* 22. 31. 54.), Braſilia (*n.* 14. 19.), Canada (*n.* 49. 53.), Carolina (*n.* 32.), in Wingandecao aut Wingandeco ſeu Virginia (*App. p.* 283. & *n.* 7. 22. 32. 37. 39. 41.) & valde copioſe in Nova Francia, Luiſiana (*n.* 49. 52. 53.), Penſilvania in ſilvis, fruticetis, arvis incultis & ad ſepes (*n.* 50.), in Nova Ierſey (*n.* 50.), Nova Georgia (*n.* 52.) & Coldenhamiæ in provincia Noveboracenſi (*n.* 46.). Creſcit in locis maritimis (*App. p.* 283.), ſolum amat macrum & ſabuloſum (*n.* 50. *m*4) parum humidum (*n.* 48.) ſeu temperatum, h. e. neque nimium ſiccum, neque nimium humidum (*App. p.* 283.) & nunquam creſcit in locis udis humilibusve (*n.* 50.). Climati Batavo (*n.* 19.) & Anglicano (*n.* 31.) adſueſcit, ſed non longæva fit (*n.* 48.), viginti tamen annos quædam Londini vixit (*Obſ. p.* 326). Variam magnitudinem adipiſcitur hæc ſtirps, pro climatis procul dubio forte-

*l*4) Hic & in ſeqq. *Obſ.* Obſervationes, *App.* Appendicem hujus ipſius Actorum tomi, & *n.* numerum Auctorum in ſuperioribus paginis citatorum.

*m*4) N. 31. contrarium indicat, nempe ſolum fertile (*on very good Land*) ſeu bonæ notæ n. 49.

forteque ſoli diverſitate *n* 4). Magna altaque fit arbor in Florida (*App. p.* 282. *& n.* 52. 53.) ut & in Virginia (*n.* 37.) & Canada (*num.* 53.), unico trunco aſſurgens nudo (*Append. p.* 282. *& n.* 47.). Reperiuntur vero etiam minores (*App. p.* 282. *& n.* 31. 47. 52.): immo in nonnullis regionibus fruticis magnitudinem non ſuperant (*n.* 48. 52. 53.) nec truncum craſſum acquirunt (*n.* 31. 47. 48. 53.). Radices longe lateque ſe extendunt (*n.* 47. 50.) ſolumque haud profunde penetrant (*App. p.* 283. *& n.* 47. 48. 04). Sunt illæ pro arborum magnitudine nunc tenues nunc craſſæ brachiatæque paucis fibris donatæ (*App. p.* 283. *& n.* 47. 50.) & permultos protrudunt ſtolones (*n.* 48. 50.). Cortex trunci tegitur tenui pelle cinerea (*n.* 15. 22.) eſtque mollis fungoſa, rufeſcens (*n.* 15.) vel ſanguinei coloris (*n.* 22.) aut ex gilvo nigricans, ſaporis aliquantulum acris, ſubdulcis, ſed aromatici, ad fœniculaceum accedentis, & odoris fragrantis (*App. p.* 282. *& n.* 22. 39.). Radicis cortex eſt cineraceus & arboris cortice magis aromaticus (*App. p.* 283. *& n.*

n 4) Notatu digna eſt Obſervatio, quam KALM loco ſupra n. 50. nota *a* 4 citato p. 338. de Alnis recenſuit. Alni nimirum in Penſilvania copioſe creſcebant ir locis humidis humilibusque, interdum etiam in altioribus; eam autem non obtinebant altitudinem uti in Europa, ſed plerumque frutices tantum æquabant, raro unius orgyæ, nunquam duarum altitudinis. Qui varia itinera illis in terris ſuſceperunt, Auctori retulerunt, has arbores tanto minores evadere, quanto propius meridiem verſus proveniunt, tantoque elatiores craſſioresque, quanto propius ſeptentrionem verſus creſcunt. Auctor ipſe deinde reperit, easdem in variis Canadæ locis magnitudine Suecicis parum inferiores fuiſſe.

n 4) Hoc de arboribus indicis in genere affirmavit MONARDVS app. p. 283. Idem teſtatur KALM de illis Penſilvaniæ p. 300. his verbis: *in hac regione Arborum radices haud profunde penetrabant humum*, ſed plerumque horizontaliter excurrebant. Hujus obſervationis occaſionem aperte mihi præbebant varia loca, ubi caudices effodiebantur: raro enim, immo nunquam, reperi illorum ullum, cujus radices ultra pedis dimidium penetrabant humum, etſi hæc tenuis raraque erat.

& *n.* 12. *conf. n.* 22.). Ligni materies est ex rufo albicans, rara & levis (*n.* 39.) vel ex albo cinerea, parum ponderosa, pectinibus tiliaceis (*n.* 15. 22.) non adeo aromatici saporis & odoris uti cortex (*App. p.* 282. *conf. n.* 22.). Arborum trunci ramos expandunt in cacumine (*App. p.* 282. & *n.* 47.); frutices vero ab imo fere usque ad cacumen ramosæ & frondosæ sunt (*Obs. p.* 326. & *sequ.*). Folia semper virent (*App. p.* 283. & *n.* 45. 47.); secundum nonnullos vero autumno cadunt (*n.* 48. 49. *p* 4). Folia præterea sunt odora, præsertim sicca (*App. p.* 283. & *n.* 12.). Color illorum est viridis obscurior (*App. p.* 283. & *n.* 12. 47.); alii eum lucidum dicunt (*n.* 48): inferior eorum superficies albicat (*n.* 47.). Suffulta sunt illa petiolis longis (*n.* 31. 37. 48. *q* 4) & alterno ordine ramis adhærent (*n.* 12. 48.) non irregulariter (*n.* 47.). Novella sunt integra (*App. p.* 283. & *n.* 12. 19. 37. 46.) ovalia (*n.* 47. 48.) in extremitate obtuse mucronata (*n.* 47. *conf. Obs. tab. VI. fig.* 9.) seu elliptica (*n.* 46.); his succedentia vero seu ligni veterioris trilobata (*App. p.* 283. & *n.* 12. 19. 31. 37. 44. 46. 47. 48. 49. 51. 53. *conf. Obs. tab. VI. fig.* 10.) vel saltem bilobata (*n.* 37. *conf. tab. cit. fig.* 11. *r* 4). Singula folia, tum lobata tum integra, sunt glabra,

p 4) Forsan climatis vel culturæ ratio differentiam parit. Secundum Kalmi Observationes n. 50. p. 302. Sassafras mense Octobri 1748. in Pensilvania adhuc virebat. P. 502, ubi recenset arbores, quæ in Nova Jersey hieme æque ac æstate perpetuo virent, Sassafras quidem non meminit, sub finem autem §. hujus addit, quercus aliæque arbores hieme folia sua dejiciunt, quæ tamen propius meridiem versus & in Canada per totum annum eadem virentia servabant.

q 4) Conf. Obs. tab. VI. fig. 9. 10. 11. ubi petioli multo breviores sunt, quam a Catesby n. 31. & Blackwellia n. 37. delineantur.

r 4) Novella folia omnia esse integra, satis declarant tab. cit fig. 8. & 12. ut & figura Blackwelliana n. 37. Num in stirpe juniori æque ac in adultiori ut & in ramis omnia his succedentia denique

bra, ad margines non dentata (*n.* 12. 19. 23.) & tribus inſtructa nervis ſeu coſtis, venisque lateralibus (*Obſ. tab. VI. fig.* 9. 10. 11. & *n.* 12. 19. 44. 51.) Ad ramorum extremitates (*Obſ. tab. VI. fig.* 8. & *n.* 31. 46.) verno tempore proveniunt florum gemmæ, quarum ſtipulæ ſeu partes cadunt (*n.* 31. *id quod etiam figura Blackwelliana n.* 37. *indicat*), quas nonnulli pro floris involucro communi, & quidem me ſaltem judice recte, tetraphyllo agnoſcunt (*n.* 31. 44. 51. 54). Florum pedunculi oriuntur ex alis foliorum (*n.* 37. 44. 51. *conf. Obſ. tab. VI. fig.* 8.) nempe novellorum, & infra illa (*fig. eadem & n.* 48.) ſinguli pedunculi racemum conſtituunt (*Obſ. p.* 329. & *n.* 25. 46. 47. 51.): ſunt enim longi, ramoſi (*Obſ. p.* 327. & *n.* 31. 37. 39.) & præterea tomentoſi (*Obſ. p.* 328.). Cuilibet eorum ramulo adhæret foliolum lineare (*Obſ. p.* 327. 328. & *tab. VI. fig.* 8. 12. *t* 4). Singulis pedunculi ramis inſident flores lutei, exigui pentapetali (*n.* 22. 31. 39. 48. 53.) & hexapetali (*n.* 31. 37. 46.) vel potius monopetali in quinque vel ſex lacinias (*Obſ. p.* 329. & *tab. VI. fig.* 2. 5.) imo plures (*ibid. fig.* 3.) profunde ſecti, petalis ſeu ſegmentis ovato-acuminatis & excavatis (*n.* 40.). Sunt hi flores duplicis ſtructuræ in diſtinctis ſtirpibus provenientes: unius ſcilicet

que in lobos findantur, atque etiam in integris angulorum veſtigia jam compareant (app. p. 283), ulterius inquirendum ſupereſt: conf. *app. p.* 297. Saſſafras laurinis foliis, & p. 308. n. 41. ut & tab. ſæpius citata fig. 9, quæ hujus aſſerti ſpeciem aliquam in latere dextro indicat; in aliis vero ejusdem EHRETI delineationis foliis integris hoc manifeſtum non eſt.

54) Hoc involucrum non ſemper ex quatuor tantum partibus, verum etiam ex pluribus compoſitum (*Obſerv. tab. VI. fig* 8. 12.) neque etiam florum pedunculis tantum, ſed quoque foliis novellis ſimul commune eſt. Conf. figura Blackwelliana n. 37.

t 4) Figura Blackwelliana n. 37. monſtrat eadem foliola, ſed juſto nimis breviora, juſtoque, intuitu brevitatis, latiora.

cet stirpis flores omnes staminibus tantum (quæ facile deiiciuntur *n.* 46.) instructi sunt (*Obs. p.* 326. & *n.* 48.), quorum octo (*n.* 48.) vel novem (*Obs. p.* 326. & *n.* 46.) numerantur, cum antheris erectis, compressis, filamentis latioribus, fere quadratis, & corpusculis sex globosis mollibus, petiolo brevissimo affixis & germen circumstantibus (*n.* 46. *v*4): hi *flores* propterea *staminei* vel *mares* appellantur & steriles sunt. Alterius stirpis flores omnes stylo cum germine fœcundo gaudent (*Obs. p.* 327. & *n.* 46. 48.), qui propterea *pistillati* vel *feminei* nominantur & fructiferi sunt, rectius autem *hermaphroditi* dicendi, quia stamina simul continent (*Obs. p.* 328.). Stylus est simplex cum stigmate obtuso (*n.* 46. *u*4) & germine globulari (*n.* 46.) vel ovali (*n.* 48.). Pistillatis seu femininis floribus succedunt fructus seu baccæ, quibus accrescentibus pedunculi extremitas (*Obs.* 329. *tab. VI. fig.* 13. 18. 19.) ampliatur & excavatur, vel cum corollæ fundo concrescit (*n.* 46.), qui persistens calycem formąt, satis magna fit (*tab. VI. fig.* 20.) rubroque seu miniato colore tingitur (*n.* 31. 39. 53.) & quercus capulæ instar baccam recipit (*n.* 12. 25. 31. 35. 39. 46.). Bacca viridis est, sed matureścens cærulea fit (*n.* 31. 48. 53.) & succulenta videtur (*tab. VI. fig.* 20.; siccata vero rugas contrahit (*ib. fig.* 13. 14. & *n.* 9. 11. 39. 40. *x*4). Ceterum hæ baccæ forma & magnitudine cum Lauri baccis conveniunt (*n.* 53. *y*4).

Nux

*v*4) Ejusmodi flores germine carent, & antheræ rotundæ sunt glandulæque incerti numeri 3 — 9. secundum observationem Ehrethi *p.* 326. & 327.

*u*4) Stylum, sed stigmate acuto, Ehretvs observavit etiam in floribus masculinis (*Obs. p.* 326. *conf. tab. VI. fig. c.*); cum stigmate obtuso vero in femininis *fig. e.* Duplicem stylum in nonnullis feminis ejusdem stirpis reperit Colden *n.* 46.

*x*4) Colden illam nominat fere siccam *n.* 46.

*y*4) A Lauri baccis has non multum differre asseritur *n.* 46. longe minores

Nux globularis dicitur parumque compreſſa & ad extremum parum acuminata (*n.* 46. *conf. obſ. p.* 329. *& tab. VI. fig.* 15. 17.) quæ continet nucleum ejusdem figuræ (*tab. ejusd. fig.* 16.) quæ alba, ſaporis amari, & in duas partes diviſa eſt (*n.* 11.). Pedunculi, ex quibus fructus maturi pendent, valde elongantur & uti capula rubri fiunt (*n.* 12. 31. 59.)

De varietatibus aliisve hujus ſtirpis ſpeciebus (*n.* 13. 14. 15. 19. 22. 23. 27. 30. 31. 41. 52.) certi quid afferre haud posſum, quum earundem omnium deſcriptiones nimis obſcuræ imperfectæque ſunt z4), ſed genuinæ ejus progeniei partibus omnibus ſatis cognitis redditis, inquirendum reſtat, quo jure nunc *Saſſafras Lauri* ſpeciebus adnumeretur.

Olim & antequam Botanici ſyſtematici ſtatuerunt, nullam ſtirpem eodem nomine cujusdam generis appellandam eſſe, niſi iisdem characteribus, qui eidem generi proprii ſunt, inſtructa ſit; & e contrario, omnes ſtirpes, quæ iisdem characteribus gaudent, eodem nomine generico nominandas eſſe: plures ſtirpes Lauri appellabantur, quæ nunc ſecundum normam indicatam alio nomine generico diſtinguuntur. 55) Tournefortivs *a*5) primum *Laurum proprie ſic dictam* ſeu *regiam*

minores tamen eſſe *n.* 11. Figuræ quoque 13. 14. 20. id pariter indicant.

z4) Saſſafras nomen illegitime ſtirpibus etiam minime cum illa convenientibus impoſitum eſſe, ex hoc patet, quod Magnolia foliis ovato-lanceolatis Linn. H. Cliff. p. 222. ab Anglis quibusdam vocetur *Swamp-Saſſafras* & a Svecis nonnullis *Kärr-Saltenbraſs*, teſte Kalmio l. c. p. 348.

*a*5) Ioseph. Pitton Tournefort, *Aquiſextienſis, Doctoris medici Pariſienſis, Acad. Reg. Sc. Socii & in Horto Reg. Botanices Profeſſoris, Inſtitutiones Rei herbariæ. Editio altera Gallica longe auctior. Tom. I.* Pariſiis 1700. 4. maj. p. 597. *Eodem titulo editio*

giam b5) ejusque varietates a reliquis seperavit, e. gr. a *Lauro Alexandrina* cujus species ad Ruſci genus relegavit, & a *Lauro silvestri* seu *Lauro Tino*, quam Tinum simpliciter nominavit singulisque characteres proprios assignavit. Lauri character ipsi hic est: „*Flos monopetalus pelviformis* „*multisidus, e cujus fundo surgit pistillum, quod deinde abit in fructum* „*plerumque ovatum seu baccam, cujus cortici subest testa unicapsularis,* „*seminibus fœta ejusdem formæ.*“ In tabula 367. delineatam sistit corollam duplicis structuræ; una quinque segmenta & multa stamina, altera quatuor segmenta & solum pistillum ex simplici stylo & germine compositum monstrat, cujus differentiæ tamen in characteris descriptione nullam fecit mentionem, licet in specierum recensione marem & feminam ex TABERNÆMONTANO citet. Reliquæ figuræ delineant fructus partes secundum datam descriptionem. 56) Io. RAIVS, qui nondum homonyma semper expunxit, ideoque nomen Lauri Alexandrinæ & Lauri Tini adhuc servavit, nihilominus has a Lauro genuina seperavit & singularum characterem sigillatim exposuit; genui-

editio tertia, appendicibus aucta ab ANT. *de* JUISSIEU, *Lugdunæo, Doctore Medico Parisiensi, Botanices Professore, Regiæ Sc. Academiæ & Reg. Societatis Lond. Socio* Lugduni juxta exemplar Paris. 1719. forma eadem, pagina eadem: nihil enim institutionibus ipsis accessit, & appendices plane alia & litteraria tantum continent, quæ etiam Parisiis eodem anno eademque forma sigillatim excusa prostant titulo: *Appendices ad* Ios. PITTON TOURNEFORT *institutiones Rei herbariæ ab* ANT. *de* JUISSIEU &c.

b5) De hac Lauro legi meretur *Arboreti sacri perfectioris Specimen, sistens Laurum ex omni antiquitate erutam, Auctore* D. Io. GERARD. WAGNER, *Helmstadiensi Medico Lubec.* Helmst. 1732. 8. & *Dissertatio solemnis de Lauro* MICH. GOTTLIEB AGNETHLER, *Equitis Transsilvani & Philosophiæ Magistri pro obtinenda doctrinæ salutaris Laurea.* Halæ Sax. 1752. ventilata. 4to.

nuinæ ita brevibus definit *c* 5) : „ *Flos monopetalos quinquepartitus;* „ *bacca, ſub cortice exteriore tegumentum corneum ſeu durum cum uno* „ *intus ſemine continens.* „ 57) Io. Henr. Hevchervs *d* 5) Laurum refert ad *plantas flore ſimplici regulari pentapetalo, ſemine latente intra pericarpium molle ſeu baccam.* 58) Christian. Knavt *e* 5) in tabula ſynoptica p. 28. Laurum adſcribit *plantis flore monopetalo uniformi capſulas ferentibus compoſitas carnoſas, pulpa includente aliam capſulam monoſpermam, florum margine diviſo in lacinias quinque, fundo integro*, & in explicatione hujus tabulæ pag. 57. addit: *Laurus a Tino & Viburno floris fundo differt, qui in Lauro eſt integer, in Tino vero & Viburno perforatus obſervatur.* 59) M. D. Iohrenivs *f* 5) florem dicit monopetalum pelviformem; fructum ovatum, cujus cortici ſubeſt teſta unicapſularis, ſemine ejusdem pene figuræ fœta. 60) Henr. Bernh. Ruppivs *g* 5) Laurum recenſet inter *plantas flore perfecto ſimplici, regulari*

c 5) Io. Raii, *Societatis Reg. Socii, Methodus plantarum emendata & aucta* &c. Londini 1703. 8vo. maj. p. 157. *Eodem titulo* eademque forma recuſa Amſtel. 1710. p. eadem, & Londini (videtur autem alibi) 1733. forma paullo minori p. 162. In *prima editione* ibid. 1682. 8vo min. hæc characteris definitio nondum reperitur.

d 5) *Index plantarum Horti medici Academiæ Wittenbergenſis. Auctore* Io. Henr. Hevchero, *Phil. & Med. D. Anat. & Bot. Prof. Publ.* Vitembergæ 1711. 4to p. 14.

e 5) *Methodus plantarum genuina* &c. *adornata atque edita a* Christiano Knavt, *Med. Doct. Archiatro Anhaltino & Bibliothecario Hallenſi.* Lipſiæ & Halæ 1716. 8vo,

f 5) *Vade mecum botanicum* &c. *ſecundum methodum Tournefortianam adornatum a M. D.* Iohrenio *Med. Doct. & Prof. Phyſic. Ord.* Colbergæ ſ. a. Recuſum Francof. & Lipſ. 1717. 8vo p. 195. 196.

g 5) Henr. Bernh. Ruppii *Flora Ienenſis* &c. *edita a* Io. Henr. Schutteo, *Med. Cand. Luſato-Gueſtphalo* &c. Francof. & Lipſ. 1718. 8vo

tetrapetalo, gaudentes seminibus tectis. Bacca monopyrena h 5). 61) HERMANN. BOERHAAVE *i* 5) characterem secundum fructificationis partes jam ita definit: „*Flos monopetalus, pelviformis, „quadrifidus aut pentapetaloides plerumque, nudus, stamina octo quasi „ramosa & brachiata, in mare. Ovarium fit fructus ovatus, bacca, „sub cortice duro tegens capsulam unilocularem, fœtam semine simili, in „fœmina k* 5). 62) PETRVS MAGNOL *l* 5) hæc habet: „*Calix „est*

8vo p. 82. Omisso Schuttei nomine *multis in locis correcta & aucta.* Ibid. 1726. 8vo p. 73, & hoc titulo: ALBERTI HALLER, *Phil. & Med. D. Med. Anat. Chir. Bot. P. P. O. Consil. Aulici & Archiatri Reg. & Elect. Soc. Regg. Angl. & Suec. Sod. Flora Ienensis* HENR. BERNH. RVPPII *ex posthumis Auctoris schedis & propriis observationibus aucta & emendata* &c. Ienæ 1745. 8vo pag. 93.

h 5) Mirum est, HEVCHERVM & RVPPIVM, strenuos RIVINI sectatores, Lauri corollam adnumerasse floribus tetrapetalis, quum hic omnium maxime sollicitus fuerit, corollas, etsi profundissime sectas, fundo tamen cohærentes, monopetalas vocandi.

i 5) *Index alter Plantarum, quæ in horto Academico Lugduno-Batavo aluntur* &c. *conscriptus ab* HERM. BOERHAAVE Pars II. Lugd. Bat. 1720. 4. maj. p. 215.

k 5) Citat simul Malp. An. Pl. 43. 145. 58. 236. i. e. MARCELLI MALPIGHII, *Philosophi & Medici Bononiensis, e Reg. Soc. Opera omnia* &c. Londini fol. maj. & Lugd. Bat. 1689. 4. maj. In utraque editione P. I. & II. anatome plantarum primo loco occurrit & P. I. t. 9. n. 42. sistitur gemma; n. 145. citatur quidem Laurus & Gladiolus, sed posterioris tantum flos delineatur; nec n. 58. nec alibi in utraque parte quidquam de Lauro extat; n. 238. P. I. vero baccæ embryonis anatome exponitur & delineatur.

l 5) PETRI MAGNOL, *Regis Consiliarii & Medici, in alma Monspeliensium Medicor Academia Professoris Regii, olim horti Monsp. Præfecti & Acad. Reg. Sc. Paris. Socii Novus Caracter Plantarum* &c. *Opus posthumum ab A. filio, in eadem Medicor. Academia Professore Reg. in lucem editum.* Monsp. 1720. 4to p. 315.

„*eſt bifolius, qui cito decidit; flores conferti monopetali albi, in qua-*
„*tuor partes utplurimum diviſi, cum plurimis brevibus ſtaminibus & api-*
„*cibus luteis; fructus oblongus, primo viridis, deinde niger; ſub corti-*
„*ce nucleum habet bifidum.*“ 63) STEPH. FRANC. GEOFFROY *m* 5) hanc dat deſcriptionem: „*Flores ſecundum ramos exeunt conferti,*
„*monopetali, pelviformes in quatuor vel quinque partes diviſi e luteo*
„*albicantes, cum multis in medio apicibus & piſtillo, quod abit in fru-*
„*ctum ſeu baccam ceraſis minoribus parem, in aliis ovatam, in aliis ob-*
„*longam, gracilem, colore primum viridi, ubi maturuerit nigro, quæ*
„*ſub cortice tenui teſtam continet unicapſularem, calloſam, duram, ſe-*
„*mine fœtam ejusdem pene formæ, e rufo ſubnigricante, in duas partes*
„*fiſſili, odorato, acri, ſubamaricante, pingui.* 64) IO. CASP. GEMEINHARDT *n* 5) refert Laurum ad plantas flore tetrapetalo regulari, ſeminibus in bacca monopyrena. 65) IO. IVL. HECKERVS *o* 5), cui flos eſt perfectus, ſimplex, regularis, tetrapetalus, fructus tectus in capſula molli ſeu bacca. 66) CAR. LINNÆVS *p* 5), qui in hac ſpecie ſigillatim hæc indicat: „*Maris corolla tetrape-*
„*tala alba, ſtaminibus octo vel duodecim. Fœminæ flores non exami-*
„*navi hactenus, hinc utrum hermaphrodita fœmina an pura fœmina di-*
„*cenda, in medio relinquo.*“ 67) CHRIST. GOTTL. LVDWIG (44.) in Lauri Tournefortianæ ſpeciali charactere hunc ita definit: „*Flores in alis foliorum conglomerati, flores ſtaminei & piſtillati in du-*
„*plici planta, corolla utplurimum quadrifida: mas ſtamina octo ad duo-*
„*decim, femina piſtillum acuminatum & baccam oblongam præbet.*“ 68)

m 5) Loco ſupra n. 39. citato *T. III. de Vegetabilibus indigenis* p. 696.

n 5) IO. CASP. GEMEINHARDT, *Lauba-Hexapolit. Catalogus plantarum circa Laubam naſcentium, tam indigenarum, quam exoticarum culturæ mangonio ibidem propagatarum* &c. Budiſſæ & Laubæ 1724. 8vo p. 61.

o 5) IO. IVLII HECKERI *Pæd. Reg. Hall. Collegæ Einleitung in die Botanic* &c. Halle 1734. 8vo p. 367.

p 5) Hort. Cliff. p. 155. conf. ſupra n. 33. nota *c* 3.

68) LAVR. HEISTERVS *q* 5) recenſet Laurum inter plantas polycotyledones floribus perfectis ſive petaloideis; bacciferas floribus monopetalis, quadrifidis. 69) CAR. AVG. de BERGEN *r* 5) hæc pauca profert: „*Calyx nullus; corolla campaniformis pa-*„*tens; ſtamina novem; Pericarpium: drupa ovalis, unicapſularis; ſe-*„*men: nux ovata unilocularis; nucleus ejusdem formæ.*“ 70) IOANNES HOFERVS, Io. Fil. & Nepos *s* 5) hæc annotavit peculiaria: „*Iam decies quotannis flores Lauri vulgaris C. B. obſervavi ſemperque*„*ſequentibus in punctis a* LINNÆI *deſcriptione diverſos inveni. Calyx:*„*involucrum generale tetraphyllum, marceſcens & ante florum apertu-*„*ram deciduum, foliolis conſtans rotundis concavisque, continens ple-*„*rumque flores quinque pedunculatos, alternatim pedunculo calicem ſu-*„*ſtinenti inſertos, impari medio & reliq. altior. partial. nullus. Co-*„*rolla: petala quatuor ovato-acuminata, concava erecta, æqualia &*„*æqualis inſertionis; nectarium nullum detegere potui, etſi oculum ar-*„*maverim. Stamina ſemper 9. ſecundum celeberrimi* LINNÆI *deſcri-*„*ptionem ſe habentia. An differentiam hanc transpoſitio ex natali cli-*„*mate producat, dubito? Certum eſt, culturæ neglectum ſæpius arbori-*„*bus exoticis flores maſculinos producendo nocere. Citrei enim* TOUR-„NEFORTII *ſpecies quæcunque ab Aurantii ſpeciebus peculiare habent,*„*quod (ſi arbor in vigore conſtituta) tertius quivis flos maſculinus ſit;*„*imo, ſi ab hyeme male habita ſit arbor, plane omnes flores maſculini*„*evadunt. Cum itaque hæ arbores accidentaliter polygamæ fiant, clas-*„*ſem 23. Exc.* LINNÆI *minime naturalem cenſeo.* 71) MICH. GOTTLIEB AGNETHLER *t* 5) hujus ſpeciei characterem hiſce deſcribit:

q 5) LAVR. HEISTERI *Syſtema plantarum generale ex fructificatione* &c. Helmſtadii 1748. 8vo maj. p. 15.

r 5) CAROLI AVGVSTI de BERGEN *Med. D. & Prof. Publ. Ord. Florae Francofurtana methodo facili elaborata* &c. Francofurti ad Viadrum 1750. 8vo p. 45.

s 5) Vid. *Acta Helvetica phyſico-mathematico-botanico-medica* &c. *Volum I.* Baſil 1751. 4to p. 71.

t 5) *Diſſertatio de Lauro* ſupra p. 324. nota *b* 5 citata, p. 9.

bit: „Flores *e luteo albicantes in alis foliorum conglomerati, atque in* „*gemma bifolia, decidua, contenti, ſtaminei & piſtillati in duplici plan-* „*ta, Martio & Aprili protruduntur.* Calix *nullus, niſi cum* MAGNO- „LIO *gemmam bifoliam cito deciduam, aut cum* LINNÆO *corollam ca-* „*licem dicere velis.* Corolla *monopetala, quatuor vel pluribus laci-* „*niis profundioribus, ovato-acuminatis concavis, erectis, conſpicua.* „Stamineus flos *filamenta octo, novem, plura, corolla breviora, com-* „*preſſa, obtuſa.* Antheræ *margini filamentorum ſuperne utrinque ad-* „*natæ.* Piſtillatus flos *piſtillum acuminatum, ſtigma obtuſum, ger-* „*men ſubovatum, quod mutatur in baccam ovato-acuminatam* &c.“ In reliqua fructus deſcriptione non differt ab aliis. In obſervatione addita A. fatetur, ſibi, uti LINNÆO, unquam flores femineos haud oculis uſurpare, nedum explorare licuiſſe, proptereaque ſe præmiſſam hujus ſpeciei deſcriptionem haud omnibus numeris abſolutam eſſe augurari. 72) PHIL. MILLERVS (n. 48.) in ſexta adhuc Dictionarii ſui editione hunc proponit characterem latine redditum: *Flos eſt monopetalus, infundibuliformis, in quatuor vel quinque ſegmenta diviſus. Maſculini flores habent ſtamina octo, ramoſa* (branched in to arms). *Ovarium femineorum florum abit in baccam, unicum ſemen includentem, cortice corneo incluſum & membrana tectum.* Qua ratione idem eundem definiverit in ſeptima editione, mox ſequetur. 73) ALB. de HALLER *u* 5) in Lauro vulgari C. B. hæc obſervavit: „*Folia calycis* „*quatuor alba, ovata: Stamina tria absque duabus glandulis ad baſin* „*poſitis: ſex alia & alias octo cum duabus glandulis ſub antbera ſitis,* „*fructus rotundus cum tuba ſimplici & ſtigmate lato, cavo. Hæc ſæpe* „*conjuncta florem fecerunt androgynum, alias ſeorſim poſita dioicum.* 74) DU HAMEL (n. 49.) capiti de Lauro in genere p. 349. projecturæ inſtar præfixit Lauri vulgaris ipſas icones Tournefortianas

u 5) *Enumeratio Plantarum Horti Regii & agri Gœttingenſis aucta & emendata ab* ALBERTO *de* HALLER, *Horti Præfecto.* Gottingæ 1753. 8vo p. 15.

tianas (n. 55.), sed pariter sine sexus explicatione. 75) Iac. Christi. Schæffer v 5) hæc indicat: „*Flores in alis foliorum* „*conglomerati; staminei & pistillati in duplici planta. Corolla mono-* „*petala, utplurimum quadrifida. Stamineus flos stamina octo & duo-* „*decim, Pistillatus flos pistillum acuminatum & baccam oblongam con-* „*tinet.*

Liquido constat, his omnibus citatis auctoribus sermonem esse de charactere Lauri vulgaris, non omnes autem ipsos talem examinasse, sed nonnullos eundem ex aliis tantum descripsisse, in ipsis præterea annotatis valde variasse, quod ex collatione præcipuorum momentorum facile patet. *Gemma* seu *calyx communis* est bifolius cito deciduus n. 62. 71; quadrifolius n. 70. *Flores* ex alis foliorum proveniunt conferti n. 62. 63. seu conglomerati n. 62. 71. 74. pedunculati & numero quinque, medio altiore n. 70. *Calyx corollæ proprius* negatur n. 61. 68. 70. 71, vel calyx nominatur ipsa corolla n. 73. *Corolla* dicitur simpliciter monopetala n. 55. 59. 68. (cuius fundus integer n. 58) vel quadrifida n. 55. 62. 67. 68. 69. 74, quinquefida n. 55. 56. 58, quadrifida & quinquefida n. 61. 63. 72, vel etiam in plures lacinias divisa n. 71; ab aliis vocatur tetrapetala n. 60. 64. 65. 66. 70. 73. pentapetala n. 57. *Flos stamineus & pistillatus* sigillatim delineatur sed non describitur n. 55. 74. *Sexum* separatum in duplici planta nonnulli modo notarunt n. 61. 66. 67. 71. 72. 73. 75, quæ distinctio constans in dubium vocatur n. 70. Sæpe in uno flore androgyno uterque conjunctus observatur n. 73. *Staminum* in flore masculino numerantur octo n. 61. 72, novem n. 68. 69. 70, octo ad duodecim n. 66. 67. 75, octo, novem plura n. 71, tria sine glandulis ad basin positis, & sex vel octo cum duabus glandulis sub anthera sitis n. 73. *Nectarium* reperiri haud potuit n. 70. *Filamenta* compressa, obtusa n. 71, ramosa n. 61. 72; *Antheræ* margini filamentorum superne utrinque adhærentes n. 71. annotantur. *Stylus cum germine, seu pistillum,* sine stamini-

v 5) vid. supra p. 313. n. 51. Pars III. p. 268.

minibus ex floris fundo ſurgens delineatur ſed non deſcribitur n. 55. 74. Piſtilli acuminati mentio fit n. 67. 71. 74. & tubæ ſimplicis n. 73. *Stigma* obtuſum vocatur n. 71. latum & cavum n. 73. *Germen* ſubovatum n. 71. *x* 5). *Fructus ſeu bacca* eſt mollis n. 57. 65, carnoſa n. 58, ovata n. 55. 59. 61. 63. 68. ſeu oblonga n. 62. 67. 74. aut ovato-acuminata n. 71. ſub cortice includens teſtam monopyrenam n. 60. ſeu unicapſularem n. 55. 56. 59. 63. 68. 73, duram, corneam n. 56. 61. 72. ſeu calloſam 63. Semen ſeu nucleus ejusdem formæ n. 55. 59. 61. 63. 68. unicus n. 56. bifidus n. 62. 63. membrana tectus n. 72. indicatur.

Vt certior de his omnibus fierem, optata occaſione hoc anno 1761. oblata proprio examini ſubjeci flores hujus Lauri vulgaris utriusque ſexus. Obtinui autem ex horto aulæ Sereniſſimi PRINCIPIS BRANDENBVRGICO-CVLMBACENSIS, qui Erlangæ colitur, die 20. Martii aliquot ramulos florum alabaſtris jam onuſtos, d. 21. Aprilis alios cum jam explicatis floribus maſculinis & denique initio Maji alios cum floribus femininis apertis. Porro d. 19. Maji accepi ex horto academico Altorfino etiam aliquot ramulos ex quatuor arboribus omnes femininis tantum floribus refertos. Hic Norimbergæ demum in unico horto quodam ſuburbano viginti ſex inveni Lauri arbores adultas, omnes unius ſtirpis ſoboles a multis retro annis educatas, omnesque meris floribus maſculinis ſeu ſtamineis gravidas, qui a die 12. Maji usque ad d. 25. ejusdem menſis

x 5) Nemo mirabitur, tam mancum eſſe floris feminini characterem, quum in confeſſo ſit, eiusdem examinandi occaſionem plurimis defuiſſe, conf. n. 66. 71. BOERHAAVIVS n. 61, LVDWIGIVS n. 67. & MILLERVS n. 72. florem ſtamineum & piſtillatum quidem diſtinxerunt, ſed in hujus deſcriptione ſolius ovarii mentionem fecerunt; MAGNOLIVS vero n. 62. ſtamineum tantum deſcripſit florem & ſine diſtinctione fructum ei junxit. GEOFFROY n. 63. etiam fructum a ſtaminibus non ſeparavit.

pedetentim ſe explicabant *y* 5). Cur hæ Norimbergenſes tam ſero ad perfectionem ſuam pervenerint, illæ autem Erlangenſes multo citius, cauſſa procul dubio eſt harum ſtirpium hibernaculum non unius conditionis: Erlangenſes nempe in hypocauſto, Norimbergenſes vero in cella ſubterranea per hiemem aſſervatæ ſunt: accedit, has d. 24. Martii libero aeri expoſitas fuiſſe, quo tempore diu adhuc aura ſpirabat frigidior atque ventoſa. Nihilominus Erlangenſium quoque ſtirpium flores maſculini penitus jam expanſi fuerunt, femininis adhuc clauſis, adeoque maſculina organa officio ſuo jam functa ſunt, femininis nondum præparatis, id quod in aliis ſtirpibus dioeciis æque ac monoeciis pariter ſæpe ſed non ſemper contingit, etſi hic ordo, ratione uſus præſtandi, inverſus videatur *z* 5). Quæ in his floribus obſervare contigit, ſunt ſequentia, figuris omni accuratione ad naturam factis illuſtrata.

I. Obſervata in floribus maſculinis.

Tab. VII. *fig.* 13. *a.* eſt una ex gemmis, quæ per hiemem jam ad ſingulas ferme foliorum alas reperiuntur, quarumque plurimæ ſteriles manent. *Fig.* 14. oſtendit florum pedunculos, quorum unus, ſæpius duo, raro tres, rariſſime quatuor, ſimul ex tali gemma primo vere ſurgunt ſatis longi, ſinguli unicum globulum, pæne ſphæricum, ſuſtinentes. Reſolvitur tunc gemma in duas ſquamas ſeu ſtipulas *b. b.* quæ nunc cito cadunt, nunc etiam ad florum usque explicationem perſiſtunt, & inter florum

y 5) Quæ ex his prima & ſola d. 12. Maji florebat, in hybernaculo inter malos aurantias aſſervata fuit, reliquæ omnes, quæ octiduo poſt flores explicare cœperunt, in cella tantum ſubterranea ſicca; omnes vero ab aliquot annis non transplantatæ fuerunt. Quomodo ex his ſexus mutatio (conf. n. 70.) derivari poterit, ego quidem perſpicere nequeo.

z 5) Exempla nonnulla jam citavi horum Actorum T. I. obſ. p. 445.

florum pedunculos novam continent gemmam *c*, quæ poſtea format ramulum folioſum. Florum globulus ſeu alabaſtrus *fig.* 15. componitur ex quatuor foliolis ex albo herbaceis, ſubrotundis, concavis; duobus exterioribus minoribus & anguſtioribus *fig.* 15. 16. *d. d.* & totidem interioribus, majoribus, amplioribus & ad cohæſionem cum pedunculo crenatis *fig.* 15. 16. *e. e. fig.* 17. *f.* a facie externa, interna *g*, quæ verum florum involucrum commune formant, ſed plerumque poſt florum incrementum mox cadunt; interdum vero horum bina exteriora floribus jam apertis adhuc aliquamdiu perſiſtunt *fig.* 18. 36. *d. d.* & rufum colorem induunt. Ejusmodi involucrum ſeu calyx communis continet quinque florum primordia *fig.* 17. *b*, ſingula brevi pedunculo proprio, communi inſerto, inſiſtentia & in orbem poſita. *Fig.* 18. repræſentat duos pedunculos communes ex una gemma ortos cum floribus jam explicatis, ubi iterum *b. b.* gemmæ duæ ſquamæ adhuc perſiſtentes cum nova inter duos pedunculos gemma *c.* & folii petioli abſciſſi ſuperficies *i.* conſpiciuntur. *Fig.* 19. eſt flos ſeparatus recens apertus, 20. paullo aduitior, in quo ſtamina jam longiora evaſerunt, uterque a facie ſuperiori; *fig.* 21. idem a latere, 22. a tergo. Omnes hi flores, exterius & interius ex albo paullulum flaveſcentes, nullo gaudent calyce proprio, & corollæ ſemper in quatuor tantum ovata, utroque extremo anguſtiora & interius paullulum excavata, diviſæ ſunt ſegmenta, quæ ad fundum arctiſſime inter ſe cohærent *fig.* 22. & non cadunt, ſed marceſcunt & cum integro flore demum pereunt. Stamina, primum ſegmentis multo breviora *fig.* 19, deinde iisdem longitudine ferme æqualia *fig.* 20. 21. in eo conveniunt, ut filamenta ſint albida, plana & paullulum compreſſa, in apice plerumque obtuſa, quandoque paullo acutiora *fig.* 29, in magnitudine naturali *fig.* 23. 25, aucta 24. 26. 29. Ejusdem extremo ſuperiori utrinque adhæret anthera oblonga, aurei coloris, cum filamento continua, non globoſa ſed lateribus extenuatis filamenti faſtigio ova-

tam figuram cum socia sua concilians. In his antheris transverse dissectis *fig.* 27. cavitas manifesta apparet. Post plenam maturitatem antheræ pars lateralis exterior *fig.* 30. 31. *k.* sursum voluta reflectitur & pulveri in cavitate contento exitum parat. Differunt autem stamina, quod nonnullorum filamenta nuda *fig.* 23. 24, aliorum infra antheras in utroque latere, rarissime in uno tantum, peculiari glandula pallida instructa sint, quæ plerumque subrotundæ *fig.* 25. 26, raro ovatæ *fig.* 29. o, simplices, adhuc rarius geminæ *fig.* 29. *l. m. n*, ope brevissimi petioli filamento annexæ, & transverse dissectæ *fig.* 28. solidæ sunt. Quod ad numerum horum staminum attinet, ille in hac Lauri specie valde variat non solum in variis stirpibus, verum etiam in una eademque. Ex viginti tribus illis stirpibus masculinis hic Norimbergæ repertis (quarum flores adhuc vigebant) unum examini subjeci ramulum, & in singulis eorum floribus (quorum plusquam centum exploravi) staminum numerum frequentiorem notavi. In ramulo septem stirpium flores plurimi octo tantum staminibus gaudebant, in septem aliarum undecim, in trium novem, in aliarum trium duodecim, in duarum decem, & in unicæ stirpis ramulo tredecim. Vbi staminum numerus erat impar, unicum stamen floris medium seu centrum occupabat *a* 6), quod in flore recens aperto præ reliquis tam breve est *fig.* 32, ut glandulæ ejus cum floris fundo cohærere videantur. Numerus staminum glandulis vel carentium vel instructorum pariter variat. Plerumque quatuor externa, segmentorum hiatui proxima, glandulis his carebant: id inveni in novem ramulis, quorum flores octo, undecim, duodecim, tredecim stami-

a 6) Num stylus sine germine, quem EHRETVS in medio florum masculinorum arboris Sassafras observavit (vid. Observ. p. 326.) a tali staminе solitario differat, accuratius adhuc inquirendum est: structura certe hujus styli *tab. VI. fig.* 2. 3. *a.* propter appendicem utriusque lateris cum antheris lateralibus nostræ figuræ 23. valde convenit.

ſtaminibus ſcatebant; in horum externorum tribus tantum glandulæ deficiebant in ſeptem ramulis cum floribus octo, novem, decem, undecim ſtaminibus; & in unico ramulo cum floribus novem ſtaminibus inſtructo, horum ſtaminum duo tantum glandulis privata erant. In ſex e contrario ramis, quorum flores octo, novem, decem, undecim, duodecim ſtaminibus repleti erant, omnia ſtamina duabus glandulis erant prædita, & denique ex his ramis jam numeratis tres occurrebant, quorum flores octo, decem, duodecim ſtamina continebant, ex quibus in plurimis his floribus duo unica tantum glandula diſtincta erant.

II. Obſervata in floribus femininis.

Florum femineorum alabaſtros ſiſtit *fig.* 33. 34. 35. eodem modo ac maſculinorum conſtructos, paullo tamen minores, & *fig.* 36. delineat ramulum cum floribus expanſis. In his figuris *b. c. d. e. f. g. h. i.* easdem partes indicant, ac in figg. 15. 16. 17. 18. *Fig.* 37. oſtendit florem ſeparatum recens expanſum a facie ſuperiori, 38. a latere, & a corolla denudatum *fig.* 39. Hi omnes, uti maſculini, calyce proprio carent, eorumque corollæ monopetalæ profundiſſime in quatuor tantum ſegmenta ovata, ad utrumque extremum anguſtiora, & interius excavata, ſed magis alba quam flava, diviſæ ſunt. Singuli hi flores etiam inſtructi ſunt ſtaminibus, ſed ſemper quatuor tantum *fig.* 37. 38, quorum unum ad ſingulos ſegmentorum hiatus poſitum eſt. Hæc autem ſtamina, quorum unum ſeparatum *fig.* 40. in magnitudine naturali, *fig.* 41. aucta, a facie interna repræſentat, longe aliter ſunt conſtructa quam in maſculinis. Filamenta namque omnia, in omnibus floribus, ne veſtigium alicujus glandulæ monſtrabant: albida quidem pariter erant & compreſſa & plana, ſed apice acuto ultra antheras notabiliter prominebant; hæ antheræ, etiam aurei coloris, oblongæ & a facie interiori ferme cylindricæ, media tantum ſua parte filamento latera-

liter

liter utrimque adhærebant ita, ut inter illas & filamentum ſulcus exiguus relinqueretur, qui vero in exteriori facie deficiebat, & hinc antheræ ibidem cum filamento ſuperficiem convexam formabant *fig.* 38. 39. Ejusmodi ſtamen ſeparatum & per medium antherarum transverſe diſſectum *fig.* 42. porro nullam plane cavitatem in antheris manifeſtabat, ſed hæ ex fungoſa quaſi ſubſtantia contextæ apparebant, quæ omnia *fig.* 43. inſigniter aucta clarius adhuc monſtrat, ubi *p.* filamenti planitiem, *q. q.* ſulcum inter hanc & antheras, & *r.* earundem & filamenti ſuperficiem exteriorem convexam delineat. In floribus Altorfio acceptis, ejusmodi ſtamen *fig.* 44. 46. diſſectum 45. in magnitudine naturali & aucta, paullo aliam exhibebat figuram: nam apex filamenti quaſi triangularem repræſentabat, & inter filamentum & antheras notabilis ſulcus haud comparebat; in his vero & illis antheræ non dehiſcebant nec pulverem ſpargebant, ſed ex maturitate aridæ factæ *fig.* 47. 48. tabeſcebant tantum *b* 6). Ex fundo floris *fig.* 38. 39. ſurgebat piſtillum, ſeparatum *fig.* 49. 50. in magnitudine naturali & aucta, cujus germini ovato inſiſtebat ſtylus corollæ altitudine ſimplex, paullulum inclinatus & in ſtigma bifidum terminatus, quod ſuperne oculo armato conſideratum cavitatis duplicis veſtigium *fig.* 51. monſtrabat. Nonnulli flores duo continebant piſtilla *fig.* 52. *c* 6) ceterum ut alii conſtructi; horum unus tamen *fig.* 53. præter duo piſtilla, corollam ſexfidam exhibebat. Glanduloſum nectarium Linnæanum circa germen, omni adminiculo adhibito invenire haud potui *d* 6). Quum omnes flores piſtillati abs me examinati quatuor

b 6) Cum his antheris inanibus valde conveniunt globuli circa orificium ſuperius cylindri in flore Napææ feminæ obſervati: vid. horum Nov. Act. N. C. Tom. I. obſ. pag. 440. & 443. & eorundem tab. X. l. l.

c 6) Simile obſervavit COLDENIVS in floribus arboris Saſſafras: vid. ſuper. p. 309. n 46.

d 6) Notandum eſt, Laurum ſic dictam indicam Aldini characterem generis

tuor ſtaminibus unacum piſtillo ſimul gaviſi ſunt, TOURNEFORTIUS (55.) vero corollam cum ſolo piſtillo delineavit, & mihi in mentem venit, laudatum COLDENIVM (46) de floribus arboris Saſſafras annotaſſe, *illos ſtamina facile dejicere*, ſollicitus fui, ut unum vel alterum adhuc ex ramulis, qui interea jam defloruerunt, ex horto Altorfino obtinerem. Et ecce! florum ſuperſtitum alii *fig.* 54. pleraque ſtamina, alii *fig.* 55. 56. omnia jam excuſſerunt ita, ut figuram Tournefortianam perfecte repræſentarent, id quod tales flores biduo poſt Erlanga obtenti confirmabant: ſunt itaque ejus modi femineæ ſtirpis flores vere hermaphroditi feminei. Hi Erlangenſes quotannis fructus perficiunt ſequente anno maturos, qualibus onuſtum ramulum hujus anni menſe Martio unacum primis florum alabaſtris accepi, quorum unum cum ſuo pedunculo *fig.* 57, pedunculum ſeparatum cum ſua ampla baſi, qua baccam excipit *fig.* 58, baccam ſeparatam cum areola, qua pedunculo adhæſit *fig.* 59, baccam transverſe diſſectam cum nuclei binorum loborum diviſione *fig.* 60, corticem vacuum *fig.* 61. & nucleum, teſta ſua peculiari adhuc tectum *fig.* 62. repræſentat, quas partes omnibus notas deſcribere, ſupervacaneum eſſet. Notandum adhuc eſt, Altorfii, ubi quatuor ſtirpes feminei tantum generis quotannis florentes aluntur, piſtilli germen aliquod incrementum, ad piſi circiter magnitudinem, quidem cepiſſe, hucusque vero ſemper ante perfectionem decidiſſe, cujus cauſſa forſan eſt, quod nullum adhuc maſculum ſocium habuerint. *Fig.* 63. delineat augmentum gemmæ novæ, inter pedunculos florigeros *fig.* 14. 18. 36. *c.* provenientis, &, poſtquam adultus ramus defloruit, novum ramulum folioſum producentis, ubi *s. s.* indicat hujus gemmæ ſtipulas, *t. t.* nova foliola. In foliis adultis ad omnes ferme

generis LINNÆO ſuppeditaſſe, ut ipſe H. Cliff. p. 154. n. 4. indicat: hoc nectarium hinc in citata ſpecie adeſſe & ſecundum datam deſcriptionem ſe habere, in aliis vero ſpeciebus deficere poteſt.

me venarum cum coſta angulos in utroque latere, quandoque in alterutro tantum, ſe manifeſtabat exigua glandula globoſa flava, id quod particula *u.* ejusmodi folii hujus ramuli repræſentat.

Ex his obſervatis formandus erit Lauri vulgaris character ſequens:

Maſcul.

CAL. *communis* tetraphyllus, folia rotunda, erecta concava; *propriùs* nullus.

COR. monopetala ad fundum usque quadrifida; *ſegmenta* ovato-acuminata, concava, erecta, arcte ad fundum connexa, non decidua.

STAM. incerti numeri, 8. plura ad 13, corolla paullulo breviora, ſine conſtanti ordine, plerumque tamen in extimo ordine quatuor; *Filamenta* compreſſa, obtuſa vel obtuſe acuminata. *Antheræ* duæ, oblongæ, ad marginem externum extenuatæ, cum filamenti utroque latere ſuperiori continuæ. *Glandulæ* plerumque duæ, globoſæ, raro geminæ, petiolo breviſſimo filamentis interioribus, rariſſime omnibus, paullulum infra antheras affixæ.

PIST. nullum.

Femin.

CAL. COR. ut in maſculinis.

STAM. quatuor, corolla breviora, ad corollæ ſegmentorum hiatus poſita; *filamenta* compreſſa, acuminata; *antheræ* duæ cum utroque filamenti latere paullo infra ejus acumen continuæ, exterius convexæ, interius cylindricæ vel planæ, omnes fatuæ. *Nectarium* glanduloſum nullum. *Glandulæ* filamentorum nullæ.

PIST. *Germen* ovatum in centro corollæ; *Stylus* ſimplex, paullulum inclinatus, longitudine ſtaminum. *Stigma* bifidum excavatum.

PERIC. *Drupa* ovalis, acuminata, unilocularis.

SEM. *Nux* ovata. *Nucleus* ejusdem formæ.

Qui

Qui hunc characterem cum illo arboris Saſſafras (app. p. 321. ſeqq.) comparat, facile invenit, eum ab illo notabiliter differre corollæ ſegmentorum numero, in floribus maſculinis antherarum & glandularum cum filamentis nexu, & flores femininos ſeu hermaphroditos femineos omnibus glandulis penitus carere.

LINNÆVS hinc, qui in condendo ſuo ſyſtemate potiſſimum eo allaboravit, ut illud naturali proximum ſtrueret, propterea-que plantas affines ad unum genus reduceret, utut nonnullis fructificationis partibus differentes, *Lauri genus ad claſſem plantarum hermaphroditarum* retulit eiusque *characterem* multo laxiorem *e* 6) formavit ita:

CAL. nullus, niſi corollam calycem diceres.

COR. *Petala* ſex ovato-acuminata, concava, erecta: *alterna* exteriora *f* 6).

Nectarium conſtans tuberculis tribus, acuminatis, coloratis, in duas ſetas deſinentibus, germen circumſtantibus *g* 6).

STAM. *Filamenta* novem, corolla breviora, compreſſa, obtuſa, terna in ſingulo ordine *h* 6). *Antheræ* margini filamentorum ſuperne utrimque adnatæ.

Glandulæ duæ globoſæ, petiolo breviſſimo, ſingulo filamento intimi ordinis prope baſin affixæ.

e 6) *Genera Plantarum* &c. *Editio V.* (hactenus, quantum ſcio, ultima). Stockh. 1754. 8vo maj. p. 173. n. 452, a qua priores paucisſimis tantum verbis, re ipſa autem penitus non, in Lauri definitione differunt.

f 6) In Syſtem. nat. edit. X. T. II. Halæ recuſa 1760. p. 1010. n. 452. *corollam* nominat *calycinam.*

g 6) Conf. p. ſuper. 336. nota *d* 6). In citata S. N. editione hæc tubercula vocantur tres glandulæ, biſetæ, germen cingentes.

h 6) In S. N. filamenta interiora nominantur glandulifera.

PIST. *Germen* subrotundum; *Stylus* simplex, æqualis, longitudine staminum; *Stigma* obtusum, obliquum.

PER. *Drupa* ovalis acuminata, unilocularis, corolla comprehensa.

SEM. *Nux* ovato-acuminata; *nucleus* eiusdem formæ.

In observatione subnexa hæc monuit: „*maxima specierum* „*pars unacum* Cinnamomo & Camphora *hermaphrodita est, in* „*nonnullis tamen* Mares *seorsim in* dioecia *prodeunt, ut in* Lauro „Tournefortii, *ubi etiam sæpius stamina octo ad quatuordecim,* „*cui corolla quadripartita nuda. Corpuscula, filamentis quibusdam* „*adnexa, essentialem præbent characterem.*„ In Generum editione I. addit: *staminum numerus in hoc genere nihil valet;* id quod vero in sequentibus editionibus omisit.

In Systematis Naturæ editione decima reformata superius iam citata *i6*), hunc characterem in compendium reduxit ita: Cal. o. Corolla *calycina*, 6. *petala.* Nectarium *glandulis* 3. *bisetis germen cingentibus.* Filamenta *interiora glandulifera.* Drupa *monosperma.*

Hanc characteris normam mox plures adoptarunt Botanici celebres ita, ut vel simpliciter illi subscripserint & cum LINNÆO Laurum ad hermaphroditas, earumque classem nonam, enneandriam & monogyniam retulerint; vel eam proprio suo systemati accommodaverint. Ex prioribus sunt GRONOVIUS (n. 41.), COLDEN (n. 46.) HILL (n. 47.), du HAMEL (n. 49.), BROWNE *k6*), MANETTI *l6*) & SCHÆFFER (n. 51. P. I. p. 19. n. 459. II. p. 52. n. 7.)

i6) CAR. LINNÆI, *Equitis de stella Polari, Archiatri Regii, Med. & Botan. Profess. Upsal. Acad. Upsal. Holmens. Petropol. Berol. Imper. Lond. Monspel. Tolos. Florent. Soc. Systema Naturæ T. II.* Holm. 1760. p. 1010. n. 452.

k6) *The civil and natural History of Jamaica in three Parts* &c. *by* PATRIK BROWNE, *M. D.* London 1756. fol. p. 213.

l6) CAR. LINNÆI, *Nat. Cur.* Dioscoridis secundi &c. *Regnum vegetabile*

n. 7.) quibus adhuc accenſendus venit BVRMANNVS: in ſeligendis enim nominibus genericis & ſpecificis plantarum Rumphianarum *m* 6) & Plumerianarum *n* 6) maximam partem LINNÆVM, haud raro tamen ſuum ingenium & experientiam ſequutus eſt. Ad poſteriores pertinent van ROYEN (n. 42.). Hic A. refert Lau-

bile juxta ſyſtema naturæ in claſſes, ordines & genera ab eodem conſtituta, e poſtremis auctis & emendatis ejusdem clariſſimi Viri operibus ſummatim redactum; nec non e philoſophia botanica eiusdem auctoris, vel ex aliorum Botanicorum nuperrimis operibus circa vegetabilium partes deſumtis definitionibus & potiorum vocabulorum præmiſſis explicationibus locupletatum, atque Societatis Cæſareæ phyſico-botanicæ Florentinæ Academicorum uſui accommodatum ac recuſum, curante XAVERIO MANETTI, *in Acad. Cæſ. N. C.* Theophraſto Ereſio tertio, *Acad. Reg. Sc. Matrit. Monſpel. Gœtting. & Londin. Socio correſpondente atque Horti Acad. Flor. Præfecto.* Florent. 1756. 8v. maj. p. 74.

m 6) GE. EVERH. RVMPHII, *Med. Doct. Hanavenſis, Mercatoris Senioris & in Amboina Conſulis, nomine* Plinii Indici *celebris, & membri ill. Soc. Academiæ N. C. Germaniæ, Herbarium Amboinenſe &c. omnia magno labore ac ſtudio multos per annos conlectæ & duodecim libris conſcripta, in lucem edita & in Latinum ſermonem verſa cura ac ſtudio* Io. BVRMANNI, *Med. Doct. & in Horto medico Amſtelodamenſi Profeſſoris botanici, Acad. Cæſ. N. C. Socii, qui varia adjecit ſynonyma ſuasque obſervationes.* Pars I. II. Amſtelod. Hagæ Com. & Ultraj. 1741. fol. maj. III. IV. ibid. 1743. V. ib. 1747. VI. Amſt. & Hagæ Com. 1750. EIVSD. Herbarii Amboinenſis Auctuarium &c. Amſtel. 1755. forma ead.

n 6) *Plantarum Americanarum Faſciculus I. continens plantas, quas olim* CAR. PLVMIERIVS, *Botanicorum princeps, detexit eruitque, atque in inſulis Antillis ipſe depinxit. Has primum in lucem edidit, concinnis deſcriptionibus & obſervationibus æneisque tabulis illuſtravit* Io. BVRMANNVS *M. D.* &c. ſumtibus Auctoris 1755. fol. maj. II. III. IV. 1756. V. VI. 1757. VII. VIII. 1758. IX. 1759. X. 1760.

Laurum ad „*plantas polycotyledones calyce proprio o 6), fructu di-*
„*verso p 6), staminibus manifestis, calyce vel corolla absente, imperfe-*
„*ctas q 6), flore sexfido.* KRAMERVS (n. 43.). Secundum hunc pertinet Laurus ad „*arbores & frutices ramosos; flore perfecto sim-*
„*plici regulari, hexapetalo plano ad latera seu foliorum alas semper conferto*
„*& quasi spicato, vel in muscarium congesto; semine tecto; drupa ovali mo-*
„*nopyrena; flore a fructu remoto r 6), vel in tota planta, vel in eadem.* LVDWIGIVS (n. 44.). Secundum hunc A. Laurus pertinet edit. poster. p. XVI. ad „*plantas flore involuto, perfecto, monopetalo, simplici, re-*
„*gulari*, p. XX. G. *octantheras monostylas, fructu baccato*, cujus characterem genericum p. 60. n. 180. sigillatim ita definit: „*Flo-*
„*res in quibusdam speciebus ex alis foliorum, in gemma quadrifolia con-*
„*tenti, in aliis in summis ramulis; calyx proprius nullus, vel exiguus;*
„*corolla quatuor, vel sex vel pluribus laciniis profundis insignis; stami-*
„*na octo, vel novem, vel plura, in diversa serie posita; in fundo floris*
„*nectaria tria, tuberculata, filamentosa, & filamenta staminum interio-*
„*rum tuberculis annexis ornata; stylus simplex, stigma acutum; bac-*
„*ca ovalis, quæ sub cortice nucleum, semine fœtum, continet.*„ Van WACHENDORFF (n. 45.). Ab hoc Auctore recensetur Laurus p. 111. inter „*plantas floribus manifestis:* Phaneranthas; *seminibus*
„*bi- vel plurivalvibus, seu foliis seminalibus simplici aut uno pluribus:* Po-
„lycotyledones; *floribus singulis sibi sufficientibus, binc completis s.*
„*perfectis, partibus scilicet cunctis floribus essentialibus, i. e. staminibus*
„*simul atque pistillis, præditis:* Teleianthas; p. XXII. *floribus unico*
„*perianthio (corolla scilicet tantum vel calyce) donatis:* Monoperianthas; p. XXIII. g. h. item p. 259. Enneastemones. MILLERVS (n. 48. 72.). In editione dictionarii septima Lauri characterem generi

o 6) in suo systemate corolla a calyce non distinguitur, nisi ambæ partes adsint.

p 6) i. e. si recte illum intelligo, in variis generibus vario.

q 6) quæ apud illum classem IX. constituunt.

r 6) i. e. ut ego saltem interpretor, flore masculino & feminino.

genericum his deſcribit verbis latine redditis: *Eſt* mas & femina *in plantis differentibus.* Maſculini Flores, *habent calycem nullum; petalum unicum in ſummitate in ſex ſegmenta ſectum; ſtamina novem petalo breviora, ternatim ſita in ſummitates exiguas terminata.* Femininus flos *habet calycem nullum, unicum petalum in ſummitate in ſex ſegmenta leviter ſectum. In fundo ſitum eſt germen ovale ſuſtinens ſtylum ejusdem cum petalo longitudinis, ſtigmate obtuſo coronatum. Adſunt duæ glandulæ globoſæ valde brevibus petiolis inſiſtentes petali baſi adfixæ. Germen poſtea fit bacca ovalis unilocularis, ſemen includens eiusdem formæ.* His addit ſequentem notam: LINNÆVS *recenſuit hoc genus in Sect. I. Claſſ. IX, quæ continet plantas, quarum flores gaudent novem ſtaminibus & unico ſtylo; referre autem illud debuiſſet ad claſſem XXII, quæ continet plantas, quarum flores maſculini & feminini proveniunt in plantis differentibus.* De HALLER (n. 73.) duas tantum Lauri ſpecies, vulgarem nempe & indicam Aldini, in ſuo catalogo p. 15. indicat, quarum ſingularum characteres ſigillatim deſcribit (conf. n. 73.) ambas vero p. XII. in ordine claſſium & generum refert ad claſſem III. quæ continet *plantas petalis nullis, vel obſcuriſſimis, ſemine, flore & veris ſtaminibus donatas,* & p. XIII. *quarum ratio æqualis & ſtaminum & ſegmentorum floris eſt:* Iſoſtemones. ZINN *s6*), qui easdem tantum duas ſpecies ab HALLERO indicatas in ord. IV. inter *apetalas calyciſloras* recenſet, iisque hunc præfigit characterem: „*ſtamina novem, quorum tria* „*interiora ad baſin glandulifera circa germen; tuba ſimplex, ſub drupa* „*nux; ſexus & corolla variat; flores racemoſi.* „

Species Lauri, quas ſecundum hanc normam recenſitas inveni, ſunt ſequentes: *t6*)

Ex

s6) *Catalogus Plantarum Horti academici & agri Gottingenſis, conſcriptus a* Io. GOTTFRIED ZINN, *M. D. Med. & Bot. P. P. O. Acad. Reg. Sc. Berolin. Sodali & Soc. Reg. Sc. Gotting. Membro extraordinario.* Gottingæ 1757. 8vo p. 21.

t6) Nomina marginalia indicant nomen cujusvis ſpeciei antiquum aut vulgare,

Ex Linnæi Horto Cliffortiano 1737.

Saſſafras. I. ***Laurus foliis integris & trilobis*** *Linn. H. Cl.* 154. *n.* 1. *Ejusd. Mat. med.* 65. *n.* 193. *Spec.* 371. *n.* 10. *Syſt. nat. n.* 10. *Roy.* 227. *n.* 6. *Gron. Virg.* 46. *Wachend.* 259. *n.* 7. *Colden.* 119. *n.* 94. *Hill.* 412. *n.* 5. *Kalm. II.* 270.

Cornus mas odorata folio trifido margine plano Saſſafras dicta *Pluk. Almag.* 120. *Phytogr. t.* 222. *fig.* 6. (*Linn. H. Cl. Mat. med. Spec. Roy.* 227. *Gronov. Virg.* 46. *Catesb. Carol. I. p. & t.* 55.)

Saſſafras arbor Monardi *Dalech. hiſt.* 1786. (*Pluk. Phyt. Linn. H. Cl.*)

Saſſafras ſive Lignum Patavinum *Bauh. hiſt. I.* 483. (*Linn. H. Cl.*)

Saſſafras arbor ex Florida ficulneofolio *Bauh. pin.* 431. (*Linn. H. Cl. Spec.*)

Saſſafras *Rai. hiſt.* 1586. (*Linn. H. Cl.*)

Magnitudinem hujus ſtirpis variam vid. p. ſuper. 318. *Foliorum variam figuram p.* 320. *Structuram floris* 321. *fructus* 322.

Patria: Virginia, Florida, Nova Svecia copioſe *Linn. H. Cl.* Penſylvania *Mat. med.* Carolina *Spec.* Coldenghamia in provincia

vulgare, ſeu Linnæo triviale dictum. Nominis ſpecifici auctor eſt ille, qui primum citatur; qui ſequuntur ſunt illi, qui illud ipſum nomen adoptarunt; ultimi cancellis incluſi ſunt illi denique, qui idem nomen ut ſynonymum tantum agnoverunt. Nomina ſpecifica Linnæana majori typo exſcripta indicant illa, quæ hic A. vel non mutavit, vel in ſequentibus ſuis operibus ut magis congrua propoſuit. Ex operibus auctorum citatis illorum tantum tituli in nota ſubſcripta adduntur, quorum in antecedentibus nulla adhuc facta eſt mentio. Vbi Linnæi Syſtema naturæ citatur, ſemper intelligenda eſt editio X. p. 1010. Vbi Catesby citatur, intelligendum eſt ejus hiſtoriæ Carolin. Vol. I. (vid. ſup. p. 301. nota *yy*) quod Linnæus ſemper Ornithol. titulo citavit. Vbi Millerus citatur, evolvenda eſt ſui Dictionarii hortulanorum editio VII.

vincia Noveboracenſi Americes *Colden.* aliisque in provinciis *vid. p. ſuper.* 318.

Variet. Saſſafras mas ſ. Saſſafras laurinis foliis indiviſis ex provincia Floridana Pluk. Amalth. 66. *Linn. Spec.* 371. *n.* 10. *β.* quam, & forte etiam Saſſafras Lauri foliis Piſon. 146, pro ſynonymo declarat *Gronov. Virg.* 46.

Hanc ſtirpem dioeciam eſſe, nunc ſatis probarunt EHRETVS *obſ. p.* 326. *atque* MILLERVS. *append. p.* 311.

II. Laurus foliis enervibus obverſe ovatis utrinque acutis integris, annuis *Linn. H. Cl.* 154. *n.* 2. *Mat. med.* 66. *n.* 195. *Roy.* 226. *Gron. Virg.* 46. *Wachend.* 259. *n.* 5. *Colden.* 120. *n.* 95. *Hill.* 412. *n.* 4. *Benzoin.*

Laurus foliis enerviis ovatis utrimque acutis integris annuis *Linn. Spec.* 370. *n.* 9; *Syſt. nat. n.* 9.

Laurus foliis ovato-lanceolatis obtuſis integris annuis *Mill. n.* 6.

Benzoin *Boerh. Lugd. II.* 259. (*Linn. H. Cl. Roy.*)

Benzoe *Heiſt. Syſt.* 15.

Benzoinum officinarum *B. pin.* 305. (*Linn. H. Cl. Roy. Gron. Virg.* 46.)

Benzoinum, cujus arbor folio Citri *Bauh. hiſt. I.* 320. (*Linn. H. Cl.*)

Benzoinifera americana folio Citri *Walth. hort. p.* 11. 56. *v* 6) (*Linn. H. Cl.*)

Arbor Virginiana Citriæ vel Limoniæ folio, Benzoinum fundens *Commel. hort. I. p.* 189. *t.* 97. *u* 6) (*Linn. H. Cl. Mat. med. n.* 195. *Spec. n.* 9. *Mill. n.* 6.

Arbor

v 6) *Deſignatio plantarum, quas hortus* AVGVST. FRID. WALTHERI, *Pathologiæ Profeſſoris Lipſienſis, complectitur* &c. Lipſ. 1635. 8. maj.

u 6) *Horti medici Amſtelodamenſis rariorum tam orientalis, quam occiden-*

Arbor Virginiana Pishaminis folio, baccata Benzoinum redolens *Pluk. Almag.* 42. *Phyt. t.* 139. *fig.* 3. 4. (*Linn. H. Cl. Spec.*)

Patria: Virginia *Linn. H. Cl. Sp.* Sumatra, Iava, Siam *Mat. med.* Carolina *Spec.* Coldenghamiæ ad ripas rivulorum *Colden*, ordinarie in America septentrionali *Mill.*

Hujus stirpis habitum modumque, quo ejus gummi colligitur, jam descripsit & delineavit HERM. NIC. GRIMM, in India orientali practicus, secundum observationes in terra occidentali Sumatræ habitas x 6) *sed imperfecte. Dicitur ipsi arbor formosa, recto caudice assurgens & virum plerumque crassitudine æquans, sed altitudine mediocris, quia incolæ quinto vel sexto ætatis anno tales arbores, pro gummi collectione, ad lignum usque vulnerant & novas arbores ex nucleis educant. Folia ipsi tribuit tenera & mollia, inferius ex pallido-viridia; superius saturate viridia, quæ, secundum figuram, longo petiolo adhærent, ex basi plerumque angusta latescunt, & in apicem acutum terminantur, ut adeo ovato-lanceolata omnino compareant. Ex costa media utrimque, superiora versus, excurrunt nervi seu venæ ad margines. Flores A. non vidit, fructum vero observavit ex rotundo-compressum, magnitudinis parvæ nucis Avellanæ, sed tunicæ, aliquantulum pilosæ* (monstrante figura valde crassæ) *instar nucum magnarum* (forte juglandum) *inclusum.* MILLERVS *huic arbori tribuit altitudinem* 8. *vel* 10. *pedum & multos ramos; folia ovato-lanceolata, tres ferme digi-*

cidentalis Indiæ, aliarumque peregrinarum plantarum, magno studio ac labore, sumptibus Civitatis Amstelodamensis, longa annorum serie collectarum, descriptio & icones ad vivum æri incisæ, auctore Io. COMMELINO, *urbis Amstelodamensis (dum viveret) Senatore. Opus posthumum. Latinitate donatum, notisque & observationibus illustratum a* FRID RVYSCHIO, *M. D. Botanices Professore &c. &* FRANC. KIGGELARIO. Amstel. 1697. fol. maj.

x 6) *Miscellanea curiosa sive Ephemeridum medico-physicarum germanicarum Academiæ N. C. Decur. II. annus I. &c.* Norimb. 1683. 4to p. 370. fig. 31.

digitos longa, ſesqui digitum lata, ſuperius glabra, inferius multis venis pertexta, autumno cadentia. Flores ſemel tantum vidit, omnes maſculinos, ex albo herbaceos, &, ſi recte meminit, in ſingulis ſex tantum ſtamina. LINNÆVS *H. Cl. indicat involucrum ſeſſile, tetraphyllum, corni ſimillimum, includens floſculos quinque petiolatos longitudine involucri; calycem proprium* (corollam) *ſexpartitum, flavum, laciniis linearibus; ſtamina octo vel novem longitudine calycis, lateribus appendiculata; germen ovatum.* (Nectarii nulla fit mentio). COLDEN *tribuit* Lauro foliis enervibus ovatis, utrinque acutis Gron. Virg. 46. (*quæ huic &* CLAYTON *pariter eſt Benzoin offic. C. B. pin. licet neuter, neque etiam* COLDEN, *hujus qualitatis celebris ullam mentionem faciat*) *characterem ſpecialem paullo alium hiſce: calyx nullus; corolla: petala ſex, ovato-acuminata, concava expanſa; ſtamina: filamenta 9. compreſſa ſex exteriora, tria interiora, antheræ didymæ, ſummitati filamentorum utrinque adnatæ; Nectaria: corpuſcula ſex, mollia irregularia, ſingula pedunculo breviſſimo prope baſin intimi ordinis filamentorum* (ergo hæc ſpecies vel glandulis, vel nectario caret) *affixa; piſtillum: germen ovatum, ſtylus nullus. Pericarpium: nullum. His addit: numerus petalorum & ſtaminum incertus: aliquando 8 petala & 12 ſtamina. Folia obverſe elliptica, utrinque acuminata, alterna petiolata, integerrima, odorata, planis longitudine ramulorum parallelis. Folia minora, fere circularia, interſperſa. Flores lutei, parvi, folia menſe Aprili antevertunt, & creſcunt in acervis, per longitudinem ramulorum diſperſis, h. e. plurimi pedunculo ſingulo ſimplici eidem fundo affixi.* BOERHAAVE *hæc annotavit: ex uno calyculo quadrifolio oriuntur floſculi tres ad eundem ortum, qui ſinguli conſtant uno tubo longo, ſuperius expanſo in tumidum caput, quod in 8 ſegmenta profunde finditur; intra hæc ſegmenta ſtamina ſunt brevia teſticulata; in medio tubo floris ovarium, tuba longa inſtructum, cuncta vero quam minima ſunt &c. Folia hieme ponit.* LVDWIGIVS *indicat flores tres vel plures in gemma quadrifolia; calycem nullum; corollam ſexfidam vel octofidam; ſtamina octo vel novem brevia; ſtylum longum; fructum Lauro vulgari ſimilem.* SCHÆFFERVS *eadem habet.* HEISTERVS *huic ſtirpi*

baccas & flores monopetalos quinquifidos adscribit. HILL. *definit radicem brachiatam; trunci diametrum duorum vel plurium pedum; ipsam arborem vere altam & ramosam; folia quatuor pollices longa & duos cum dimidio lata, superiora versus latissima, in superficie superiori pallide viridia, in inferiori albicantia; flores valde exiguos luteos in exiguos corymbos collectos; fructum magnum. Indigena est Indiæ occidentalis.* EHRETI *denique pictura, quam a multis retro annis mihi transmisit, sistit duos ramos adultos cortice dilute rufo vestitos: unum cum surculo, cujus cortex adhuc viridis, folia integerrima, ovato-lanceolata, circa medium latissima, ad apices, potissimum superioris extremi, multo angustiora, superius saturate viridia cum costa & venis oblique excurrentibus, lutescentibus; inferius cæsia cum costa & venis albentibus. Quid sint protuberantiæ in singulis foliorum interstitiis* Tab. IX. fig. 8. *indicatæ, ad ductum soliis picturæ explicare nequeo. Alterius rami adulti lateribus adhærent tres surculi verno tempore provenientes (unum vid.* Tab. IX. fig. 9. *a) quorum folia adhuc parva & ex viridi flavescentia, ejusdem tamen cum adultis figuræ sunt. Ad horum surculorum ortum arcte adhærent florum gemmæ, ex quatuor stipulis b. compositæ & calycem communem, ad fundum usque in quatuor foliola ovata cum apice acuto fissum constituentes. Ejusmodi calyx continet 5. & 6. florum peduncolos duas circiter lineas longos, quibus singulis insidet unicus globulus exiguus, Coriandri grano vix major, ad oras leviter fissus. Huic picturæ additus est separatus flos jam apertus & lente optica auctus* fig. 10, *coloris ex viridi flavescentis, in quo nullus calyx proprius, corollæ segmenta quinque subovata, erecta, interius excavata conspiciuntur, ejusque in cavo stamina octo, segmentis breviora, cum anthera oblonga, & pistillum staminibus vix longius,* fig. 11. *separatum, oblongum cum stigmate bifido seu potius bilabiato distingui possunt.*

Est itaque talis flos vel hermaphroditus, vel, ut cum LINNÆO *loquar, hermaphroditus femineus.*

Borbonia. III. Laurus foliis lanceolatis, nervis transversalibus, fructus caly-

calycibus baccatis *Linn. H. Cl.* 154. *n.* 3. *Gronov. V.* 46. *Roy.* 226. *n.* 5. *Burm. Plum.* y 6).

Laurus foliis lanceolatis transverſe venoſis, calycibus fructus baccatis *Linn. Spec.* 370. *n.* 7. *Syſt. N. n.* 7. *du Hamel* 350. *n.* 8.

Laurus Carolinienſis foliis acuminatis, baccis cœruleis pediculis longis rubris inſidentibus *Catesb. I. p. & t.* 63. (*Linn. H. Cl. Spec. Roy. Gronov. Virg. Burm. Plum.*)

Laurus foliis acuminatis flore albicante, baccis cœruleis, pediculis rubris inſidentibus *Clayt. apud Gronov. Virg.*

Borbonia fructu oblongo nigro, calyce coccineo *Plum. Gen.* 4? z 6) (*Linn. H. Cl. Burm. Plum.*)

Patria: Carolina *Linn. H. Cliff.* Virgin. *Spec.* ſed hæc proculdubio de Lauro Carolinienſi tantum intelligenda ſunt.

Borboniæ nominis Auctor eſt PLVMIER *l. c. p.* 3. *ubi hujus generis character deſcribitur & tab.* 2. *floris fructusque partes figuris illuſtrantur, duæ etiam p.* 4. *ejus ſpecies recenſentur, quarum prior eſt illa ſuperius citata. Ejusdem vero ramus, florum & fructuum corymbis onuſtus, unacum flore & fructu ſeparato, repræſentatur inter ejusd. plantas Americanas a* BVRMANNO *editas t. LX. Hanc ſtirpem & Laurum Carolinienſem citatam* LINNÆVS *pro una eademque habet ſtirpe; ſed qui Plumerianas & Catesbianas figuras inter ſe confert (ſi excipias colorem, quo baccarum pedunculi cupulæque ſuperbiunt, qui tamen a* PL. *coccineus a* CAT. *ruber dicitur & ab hoc miniatus pingitur, qualem idem in Saſſafras fructu exhibuit, conf. obſ. hujus tomi p.* 329.) *inſignem facile deprehendet differentiam. Nam illius, ſc. Plum. iconis folia deli-*

y 6) vid. p. ſuper. 341. nota *n* 6.

z 6) *Nova plantarum genera auctore* CAR. PLVMIER, *ordinis minimorum in Provincia Franciæ apud inſulas Americanas Botanico Regio.* Pariſ. 1703. 4. maj. p. 4. t. 2.

neantur erecta, duos prope pollices Rhenananos circa medium lata & quinque cum dimidio longa, ad extremum inferius potius subrotunda quam acuta, ad extremum superius valde angustata & in apicem acutum terminata, adeoque ovato-lanceolata, nervis insuper apicem versus oblique, nullibi vero ad margines usque, excurrentibus prædita; petioli porro, vix ultra dimidium pollicem longi (in descriptione p. 50. nominantur folia vix petiolata) firmi &, præcipue in principio suo crassi sunt; florum denique baccarumque pedunculus communis, qui ex folii ala provenit, est longus, alter bifidus, trifidus alter, in pedunculos breves, copiosos, proprios subdivisus, qui amplissimum formant corymbum, ut taceam baccæ cupulæque magnitudinem insignem hujusque oras æquales; Catesbianæ vero iconis folia latitudine unum pollicem, longitudine tres cum dimidio vix superant, (cujus nervi a costa media vere transverse ad margines usque excurrunt), utrimque, & magis adhuc petiolum versus, angusta, adeoque vere lanceolata sunt & ex petiolis longissimis, gracilibus deorsumque flexis pendent; fructuum pedunculi communes, qui omnes ex ipso ramo, & non ex folii ala (quod tamen pictoris vitium esse potest) prodeunt, ubique tantum simplices delineantur & propriorum, perbrevium, nullibi ultra tres communi adhærent; cupulæ denique ad oras profunde dentatæ sunt, hæcque, ut & bacca, triplo minimum minor est quam in Borbonia. Dolendum, Catesbianam figuram floribus carere nec eos ab A. descriptos esse, quorum in Plumeriana unus a tergo sexfidus, alter ab antica facie septies fissus (qualis in descriptione rarior dicitur) cum septem staminibus seu globulis, singulis brevi filamento affixis, & unico globulo sive stylo pistilli loco centrum floris occupante separatim adduntur, quæ stamina in tabula Gen. Americ. cognosci & distingui nequeunt, sed tantum pistillum, quod separatim pariter sine stylo delineatur, & abit in fructum glandiformem carnosum intus in duos lobos divisum; corollæ monopetalæ segmenta tria latiora totidemque angustiora utrobique delineantur. Ceterum BURMANNUS in descriptione Borboniæ, de qua sermo est, plura hæc illustrantia non addit, quam quod ex PLUMIERII observatione hæc arbor variet fructu oblongo & globoso, uti & fructu ex aureo virescente. Ob insignes differentias ergo inter Borboniam

boniam & Laurum Carolinienſem intercedentes indicatas, hanc MILLERVS pro peculiari Lauri ſpecie, & quidem me ſaltem judice recte, habet, de qua in ſequentibus n. XIV. Vt verum fatear, mihi videtur, LINNÆVM & hanc & illam non ſine dubio conjunxiſſe (quia Borboniæ, ut ſynonymo, ſignum? in H. Cliff. adpoſuit, in Spec. vero hoc ſynonymum penitus omiſit, etſi hoc loco & in Syſt. N. in margine adhuc reperiatur) nomenque ſpecificum n. III. Catesbyanæ figuræ accommodaſſe, Borboniam ergo diſtinctionis cauſſa nominandam eſſe **Laurum foliis ovato-lanceolatis, venis ex coſta ſimplici oblique ſurſum excurrentibus, calyce carnoſo.** LVDWIGIVS, & ex hoc SCHÆFFERVS, his paucis Borboniæ comprehendit characterem: corolla ſexfida, ſegmentis tribus majoribus, tribus minoribus; fructus glandiformis in binos lobos fiſſilis, calyci carnoſo inſidentes. Du HAMEL p. 352. ſub finem affirmat, in Anglia duas coli hujus Lauri varietates: unam fructibus rubris, alteram cæruleis: qua auctoritate autem hoc fecerit, non indicat, nec ego invenire potui.

IV. ***Laurus foliis lanceolatis perennantibus venoſis planis, ramulis tuberculatis cicatricibus,*** floribus alternis *Linn. H. Cl. 154. n. 4. Roy. 226. n. 2. Gron. Virg. 159. Wachend. 259. n. 2.* *Laurus indica.*

Laurus foliis lanceolatis &c. ***floribus racemoſis*** *Linn. Spec. 370. n. 5. Syſt. N. n. 5. Mill. n. 4.*

Laurus indica *Ald. Farneſ. 61. a7) Pluk. Almag. 210. Phyt. t. 304. f. 1. Breyn. Pr. II. p. 62. (Linn. H. Cl.)*

Laurus indica Aldini *Raii hiſt. 1553. (Linn. H. Cl.)*

Laurus

a7) *Exactiſſima Deſcriptio rariorum quarundam plantarum, quæ continentur Romæ in horto Farneſiano:* TOBIA ALDINO *Ceſenate auctore, Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Principis & Cardinalis* ODOARDI FARNESII *Spagirico & ejusd. horti Præfecto.* Romæ 1628. fol. min.

Laurus latifolia indica *Barr. rar.* 123. *t.* 877. *b*7) (*Linn. H. Cl. Spec.*)

Laurus vera indica americana *Sterb. Citr.* 257. *t.* 13. *c*7) (*Linn. H. Cl.*)

Laurus baccis atropurpureis, pediculis rubris insidentibus *Clayt. apud Gronov. Virg.* 159.

Laurus foliis oblongo-ovatis alternis venosis, racemis terminalibus, calicibus simplicibus *Brown* 213. *n.* 1.

Cinnamomum sylvestre Americanum *Seb. thes. II. p.* 90. *t.* 84. *fig.* 6. *d*7) (*Linn. H. Cl. Spec.*)

Patria: America *Linn. H. Cl.* Virginia *Linn. Spec.* Madera & insulæ Canarienses, unde olim in Portugalliam seu Lusitaniam translata est, ubi tam copiose propagatur, ut nunc indigena ibi videatur. *Mill.* In Iamaica *Brown.*

Linnæus *H. Cl. hæc annotavit:* „*floret apud nos autumno sero,*

„*nec*

*b*7) *Plantæ per Galliam, Hispaniam, Italiam observatæ, iconibus æneis exhibitæ a R. P.* Iac. Barreliero, *Parisino, in sacra theologia Magistro, Generalium Præpositor. ordinis FF. Prædicatorum Socio a Secretis, Alumno Provinciæ S. Ludovici, olimque Medico Parisiensi. Opus posthumum, accurante* Anton. *de* Jussieu &c. Parisiis 1714. fol.

*c*7) *Citricultura, oft Regeringhe der uythemschen Boomen, te weten Oranien, Citrænen, Limænen, Granaden, Laurieren en andere* &c. *in het Licht ghegheven ende met Kopere platen verciert door* Francisc. *van* Sterbeeck, *Priester. Den tweeden Druk verbetert* t' Antwerpen 1712. 4.

*d*7) *Locupletissimi rerum naturalium Thesauri accurata descriptio, & iconibus artificiosissimis expressio per universam physices historiam* &c. *collegit, digessit, descripsit & depingendum curavit* Albertus Seba, *Etzela-Oostfrisius, Acad. Cæs. N. C. Collega* Xenocrates *dictus: Soc. Reg. Anglicanæ, & Instituti Bononiens. Sodalis.* Amst. T. I, 1734. II, 1735. III, 1758. fol. max.

„*nec fructum maturat. Negat hæc ſpecies involucrum, cum ſquamæ al-*
„*ternæ ſint. Adeoque nec involucrum eſſentiam generis conſtituit.*„
De HALLER *hunc ſpecialem exhibet characterem:* „*Calix trifolius, fo-*
„*liis ſemicartilagineis nitentibus; petala tria pulpoſa nitentia; ſtami-*
„*num ordo externus ſex ſimplicium breviter petiolatarum antherarum,*
„*ordo alter trium ſtaminum cum duabus glandulis adſidentibus; tertius*
„*trium ſtaminum ſimplicium* (nectarii nulla fit mentio); *omnium ve-*
„*ro antheræ biloculares; fructus ſubrotundus, tuba apice oblique trunca-*
„*to. Character adeo a Lauro valde diverſus.*„ LVDWIGIVS *addit:*
„*licet, monente Hallero, charactere a Lauro differat, optime huc poteſt*
„*referri, cum medius ſtaminum ordo glandulas annexas gerat. Invo-*
„*lucrum ſex conſtat foliolis, quorum tria exteriora ad calicem, tria*
„*interiora ad corollam refert; ſtamina duodecim in triplici ordine.*„
Secundum MILLERI *annotationes hæc ſtirps in temperatis regionibus al-*
titudinem 30 *vel* 40 *pedum attingit, ſed tam tenera eſt ad augmentum*
capiendum in libero Angliæ aere, ut vaſi inſerenda & hieme in hypocau-
ſtum transferenda ſit. Folia ejus latiora ſunt quam Lauri vulgaris,
ſuntque craſſa, glabra & lucide viridia; petioli leviter rubent; rami
ubique regulariter & maſculini flores, pallide virentes, per longos faſci-
culos (búnches) *diſpoſiti ſunt; baccæ majores deprehenduntur quam*
in reliquis Lauri ſpeciebus. Nonnulli hanc appellant Laurum regiam,
alii Portugallenſem. BROWNE *refert, hanc arborem magnam obti-*
nere altitudinem in Iamaica, & in inſulis conſiderari ut optimam tigna-
riam, magnaque in copia creſcere in montibus humilioribus, ejus folia ve-
ro variare inter ovalem & oblongam figuram ſecundum ſoli & ætatis dif-
ferentiam; lignum præterea, folia floresque valde gratum ſpirare odo-
rem. Ceterum in citandis ſynonymis atque figuris hujus ſpeciei valde va-
riant auctores, quapropter brevis horum diſquiſitio haud ſupervacanea
erit. Ipſe quidem eandem, quantum memini, nunquam vidi; poſſideo
vero duas effigies nativis coloribus pictas: unam iam a. 1747. *D.* EHRE-
TVS, *alteram poſtea nunc b. D. D.* LAVR. HEISTERVS *ſecundum ſtir-*
pem, quotannis in horto Academico Helmſtadienſi ſero autumno floren-
tem, factam mecum communicavit. Ambæ conveniunt inter ſe ramo-

rum cicatricibus insigniter atque frequenter protuberantibus; foliorum marginibus integerrimis, situ alterno, magnitudine & figura; color tamen in priori superius læte & saturate viridis, inferius glaucus, in posteriori vero utrimque pallidus est: conveniunt porro florum pedunculis ex foliorum alis recta surgentibus florumque, ope brevium pedunculorum lateralium, in spicam simplicem laxamque dispositorum figura, colore atque structura. Prior effigies unicum tantum florem explicatum monstrat, nec tamen hujus analysis, nec etiam fructus imago ei addita est. Posterior effigies hæc omnia supplevit; optaverim vero, floris analysin accuratius delineatam & fructus internam structuram additam fuisse. Ad harum imaginum ergo ductum sisto, quantum spatium permisit, Tab. IX. fig. 12. *summitatem pedunculi florentis cum unico flore expanso sexfido, coloris ex albo flavescentis, picturæ Ehretianæ, &* fig. 13. *pedunculum florentem picturæ Heisterianæ (qui tamen ab ortu, ad flores usque, duos circiter pollices in exemplari picto longior est) cum flore expanso ejusdem coloris septemfido;* fig. 14. *hujus picturæ florem separatum expansum sexfidum, quæ divisio procul dubio frequentior atque etiam in floribus reliquis observanda est;* fig. 15. *talem a latere nudum;* fig. 16. *similem resectis segmentis, ut novem stamina cum suis antheris luteis* a. a. *&, uti videtur, glandulis pallidis* b. b. *atque stylus* c. *in conspectum veniant;* fig. 17. *pistillum cum germine ovato & stylo adunco;* fig. 18. *particulam rami cum suis cicatricibus* d. *foliorum delapsorum vestigiis; folium* e. *reliquis maximum cum petiolo (qui in hac pictura parum, in Ehretiana vero, uti etiam pedunculorum principia, insigniter rubet seu purpureo colore nitet) ad ortum crassiori, costa notabili per ejus medium excurrente, venisque lateralibus oblique sursum apicem acutum versus assurgentibus; fructum maturum nigrum, globosum & in summitate parum acuminatum* f, *qui pedunculi* g. *summitati insidet, & aliquot squamis* h. *calycis loco excipitur, quarum vestigia per reliquum quoque pedunculum apparent. Cum his figuris auctorum citata synonyma eorumque figuræ si conferuntur, illæ partim notabilem varietatem, partim aliam prorsus speciem designant.* 1) ALDINI figura, *quæ ab omnibus ferme tanquam genuina citatur, totam arborem, absque*

que tamen tum in caudice tum in ramis cicatricum veſtigiis, in magnitudine imminuta, atque ſine flore (quem tunc temporis nondum produxit) & fructu delineat, quorum deſcriptio quoque deficit, ſi excipias illam fructus, ex quo educata eſt hæc arbor. Baccæ, quinque vel ſeptem brevi pedunculo racematim cohærentes, veniebant ex Indiis. Erant non rotundæ, ſed oblongiuſculæ & parum acuminatæ, figura parvæ olivæ, exterius nigræ & rugoſæ. Folia deſcribuntur inter Lauri vulgaris & regiæ media, vel potius Citrei foliis ſimilia, quia non ita dura & lucida ſicut Lauro, coloris ſubviridis; aliqua longitudine palmam excedebant, alia ſemipalmam æquabant; latitudine nonnulla ſex uncias ſ. pollices ſuperabant: his addita eſt delineatio folii mediocris in magnitudine naturali, ubi apparet ejus petiolus craſſus largi pollicis longitudine, coſta valida per medium excurrens cum venis lateralibus transverſe ſparſis; ejus latitudo maxima dimidio circiter pollice major, longitudo vero ſeſquipollice minor eſt, quam in noſtra figura. 2) PLVKENETII figura *non ſolum cicatricibus pariter caret, verum etiam folia fere ex ovato lanceolata ſunt; baccæ autem, quas cum foliis & unam ſeparatim (proculdubio in magnitudine naturali) ſolas repræſentat, penitus differunt: pedunculo ſimplici quidem ſpicatim adhærent, ſed ſunt ex ovato-conicæ, fragis ſimiles, &, quod præcipuum, calyce proprio folioſo, aliquoties fiſſo & reflexo ſuffultæ.* 3) BREYNIVS *docet, hanc Laurum differre a Perſea: hujus flores umbellatos & crebriores, Lauri ind. ſpicatos & pauciores eſſe.* 4) FERRARIVS e7), *quem Plukenet allegat,* Laurum indicam ſeu americanam *ſuam ab aliis p.* 206. *diſtinguit cortice dilutæ hilarisque viriditatis; foliis inter vulgarem ac regiam Laurum, interiectis mediisque ac fere citrinis; floſculis ſubalbidis tereti congerie racematis & baccis inſtar Oleæ grandioribus minusque nigricantibus.* 5) PARKINSON (ſupra n. 12.), *quem Pluk. pariter citat, p.* 1488. *nihil habet, præter figuræ Aldinianæ ligno exciſæ imitationem imminutam ejusque de-*

e7) Io. BAPTISTÆ FERRARII, *Senenſis, S. I. Flora ſeu de Florum cultura Lib. IV. Editio nova, accurante* BERNH. ROTTENDORFFIO, *Sereniſſ. Electoris Colon. Medico cubiculario* &c. Amſtel. 1664. 4.

scriptionem in anglicum sermonem versam, quam latinam 6) RAIVS *verbotenus tantum ex Aldini exemplari exscripsit, itemque* 7) STERBEEK *in Batavam linguam traductam, qui iconem etiam æri incisam arboris adhuc minorem, unius vero folii ad eandem normam refictam addidit. Iungit quidem his disquisitionem de differentia hujus speciei ab aliis falso ita dictis, præcipue Persea; quæ vero magni momenti haud sunt.* 8) BARRELIERII *icon sistit ramum cum flore & fructu, cujus folia, Plukenetianæ figuræ similia, costam mediam simplicem crassamque, & laterales oblique ad margines fere excurrentes ostendunt; flores in pedunculis simplicibus spicatim dispositos & baccam, ut videtur, in magnitudine naturali separatim additam, nostra figura multo minorem atque magis oblongam, quam globosam, prætereaque pedunculi extremum squamis, in longum & latum extensis, adeoque vere foliosis atque Pluk. figuræ iterum similibus, sed non reflexis, baccam potius amplectentibus terminatum. Cicatrices in ramis non apparent.* 9) *Quousque* CLAYTONI *Laurus, quam Gronovius cum indica conjunxit, differat vel conveniat, ex solo nomine cognosci nequit.* 10) BROWNE *vel aliam indicavit speciem, vel synonyma minus apta ei sociavit. Primo enim Linnæi nomen specificum correctum quidem adducit, sed ramulos tuberculatos omittit; deinde* Laurum folio longiore *&c. Sl. Cat. & H. t.* 165. *junxit.* 11) *In* SLOANE *Catalogo f*7) *p.* 136. *reperitur* Laurus folio longiore, flore hexapetalo racemoso, fructu humidiore; *An* Evedexylum Americanum folio magis mucronato *Pluk. Phyt. t.* 176. *fig.* 2? *&* 12) *in Historiæ seu Itinerarii g*7) *Vol. II. p.* 21. *n. IX. repetitur idem nomen & additur t.* 165. *Rai. Tom. II. Hist. dendr. p.* 86. *b*7) *ut*

*f*7) *Catalogus plantarum, quæ in insula Iamaica sponte proveniunt vel vulgo coluntur &c. Autore* HANS SLOANE, *M. D. Coll. Reg. Med. Lond. nec non Soc. Reg. Lond. Soc.* Londini 1696. 8.

*g*7) *A voyage to the Islands Madera, Barbadoes, Nieves, St. Christophers, and Iamaica, with the natural History of the herbs and trees &c. by Sir* HANS SLOANE Bar^{t}. Lond. 1725. fol.

*h*7) Io. RAII, *Societatis Reg. Socii, historiæ plantarum tomus tertius,*

ut & deſcriptio totius arboris habitus, quam RAIVS *in latinum ſermonem verſam operi ſuo l. c. inſeruit. Qui vero deſcriptionem hujus ſtirpis attente perlegit, inveniet, eam ad ſtaturam & magnitudinem lauri vulgaris tantum aſſurgere; folia (ut potiora tantum momenta adducam) non ſolum in acutum mucronem deſinere, verum etiam initio anguſta eſſe & laurina in omnibus referre; flores albos plures ſimul velut in faſciculo laxo diffuſos extremis ſurculorum pediculis 2. uncias longis annexos eſſe, & ſingulis ſingulas baccas ſuccedere ovales, nigricantes laurinis majores, in pulpa tenui nigra nucleum unicum Laurino exacte ſimilem continentes. Et qui tab. 165. rami in magnitudine naturali repræſentati figuram confert, majorem adhuc deprehendet differentiam potiſſimum in florum pedunculis, qui non ex alis foliorum, ſed ex ramorum ſeu ſurculorum lateribus & ipſa ſummitate proveniunt ſimplices quidem, ſed deinde in multos, quinque & plures, bosque porro in plurimos minores diviſos & ampliſſimum corymbum multiplicatum componentes, in quorum uno plusquam centum numeravimus flores. Denique* BROWNE *ut ſynonymum addit* Laurum Catesb. t. 63, *quæ eſt illa Carolinienſis, cujus habitus penitus alius ſupra p. 349. ſatis jam expoſitus eſt, cui jungit* Pluk. t. 176. f. 2, *quæ figura repræſentat illud ipſum* Evedexylum americanum, *quod Sloane in Catal. l. c. dubius citavit, quæque ramum tantum folioſum ſiſtit, cujus folia ovato-lanceolata ſunt.* 13) SEBÆ Cinnamomi ſilveſtris americani *imperfecta deſcriptio brevis hæc eſt:* „*folia fere Malabathri æmula, minora tamen, nec adeo craſſa, hinc* „*cum foliis Caryophylli aromatici magis adhuc conveniunt. Flores* „*racematim, plurimis pedunculis inſiſtentes, parvis rotundis granulis* „*præditi inſtar botryos ſunt. Lignum & cortex validum Cinnamomi* „*ſaporem præbent, & aliquantum amaricantem — D. Prof. Boerhaa-*„*ve nomen* Lauri indicæ vel Cinnamomi ſpurii *arbori huic imponit*„ *Figura ſiſtit quidem folia alterna integerrima ovato-lanceolata, quorum venæ laterales quoque ex coſta media oblique ſurſum aſcendunt; ſed*

rius, qui eſt ſupplementum duorum præcedentium &c. Lond. 1704. fol. maj. cujus libro XXIV. continetur *Dendrologia* nova paginarum ſerie.

florum pedunculi plures hinc inde iterum ex rami lateribus & ipso ejus fastigio exeunt in multos minores divisi, floribusque, ratione foliorum magnitudinis perexiguis referti, ex quibus nulla prorsus structura cognosci potest. Sed haec sufficiant, quum satis jam declarant, quam confusa adhuc sit Lauri indicae historia, & quam parum omnes stirpes citatae cum LINNÆI *definitione specifica & nostra figura conveniant, praecipue quod attinet ad cicatrices tuberculatas foliorum delapsorum in ramis relictas, quarum nullum vestigium tum in descriptione tum in figuris horum auctorum reperitur. Excipiendi tamen sunt* BREYNIVS, BARELLIER *& forte etiam* FERRARIVS, *qui florum dispositionem ita describunt, ut nostrae figurae respondeat.*

Camphora. V. Laurus foliis ovatis utrimque acuminatis trinerviis nitidis, petiolis laxis. *Linn. H. Cl.* 154. *n.* 5. *Roy.* 226. *n.* 3. *Wachend. p.* 259. *n.* 3. *Hill.* 412. *n.* 3.

Laurus foliis lanceolato-ovatis trinerviis, nervis supra basin unitis *Linn. Mat. med.* 65. *n.* 192. *Spec.* 369. *n.* 3. *Mill. n.* 9.

Laurus foliis triplinerviis lanceolato ovatis *Linn. Syst. N. n.* 3.

Laurus camphorifera *Kæmpf. Iap. i7) p.* 770. *t.* 771. (*Linn. H. Cl. Mat. med. Spec. Roy.*)

Camphora *Gron. Diss. k7)* (*Linn. Pl. Gen. Ed. I. n.* 338.)

Camphora officinarum *Bauh. pin.* 500. *Boerh. Lugd. II.* 261. (*Linn. H. Cl. Spec. Roy.*)

Camphorifera arbor, ex qua Camphora officin. *Herm. Lugd.* 113. (*Linn. H. Cl.*)

Arbor

i7) Amœnitat. exot. &c. vid. p. sup. 315. nota *e4.*

k7) Dissertatio medico-botanica inaug. Camphorae historiam exhibens Lugd. Bat. 1715. 4. p. 4. seq. ubi arboris synonyma, descriptio partium, & genus.

Arbor camphorifera Iaponica *Breyn. Cent. I.* 11. *t.* 12 *l*7) (*Linn. H. Cl.*) *Prodr. I. ed. p.* 4. *p.* 7. *vid. p. ſuper.* 294. *nota gg.*

Arbor camphorifera Iaponica foliis laurinis, fructu parvo globoſo, calyce breviſſimo *Breyn. Prodr. II. p.* 16. *edit. I, p.* 44. *ed. II. Commel. Hort. I. p.* 185. *t.* 95. (*Linn. H. Cl. Spec.*)

Patria: Iaponia *Linn. H. Cl. Mat. med. Spec. Kæmpf.* Exuberante copia non ſolum in Sadſuma, verum etiam aliis Iaponiæ in regionibus *Wil. ten Rhyne apud Breyn. Cent. & Pr. I. ut* & in variis locis Indiæ *Mill. n.* 9. Num autem hæ & Iaponenſes a ſe mutuo non differant, accuratis inveſtigatoribus relinquendum eſt.

1) Grimmivs *l. c.* (*vid. p. ſuper.* 346. *nota x*6) *Camphoræ arboris in Sumatra creſcentis deſcriptionem p.* 371. *& iconem fig.* 23. *jam pridem exhibuit; ſed ut taceam, utramque valde eſſe rudem & mancam, fructus* (floris nulla fit mentio) *deſcriptio & icon a Lauri charactere adeo recedit, ut incertum adhuc ſit, num pro varietate legitimæ arboris camphoriferæ declarari poſſit.* Folia *quidem ovato-lanceolata ſunt, ſed nervi ex ſimplici coſta media vere transverſim ad margines usque excurrunt,* & fructus *deſcribitur „formoſus parvæ nucis avellanæ magnitu„dine oblongo-rotundus, tenui tunica indutus, quæ rurſus, inſtar nu„cum avellanarum, alteri elegantis formæ tunicæ incluſa jacet, quæ di„verſos habet colores, ut rubrum, purpureum, flavum & viridem, & in„tegrum fructum contegit„ id quod etiam figura repræſentat. Breynio hinc* (*Pr. II. l. c. p.* 17.) *hæc ſtirps vocatur* Arbor camphorifera Sumatrana, foliis caryophylli aromatici longius mucronatis fructu majore oblongo, calyce ampliſſimo Tulipæ figuram quodammodo repræſentante. *Plures certe dantur illius maſſæ ſpecies, quæ medicis camphoræ nomine antiquitus notæ ſunt, & exercitati chemici compertum nunc habent, uti ex Cinnamomo, ita etiam ex multis aliis ſtirpibus*

17) Iac. Breynii, *Gedanenſis, Icones exoticarum aliarumque minus cognitarum plantarum in Centuria prima deſcriptarum.* Gedani 1678. fol. maj.

bus fragrantibus, simile obtineri posse productum m 7). *Idem* GRIMMIVS *ibidem f.* 32. *separatim delineat ramulum cum tribus foliis, quem ex ipsa Iaponia accepit, cujus foliorum figura Kempferianæ satis respondet.* 2) ANDREAS CLEYERVS *ad eadem Miscellanea Acad. Cæsareæ N. C. suppeditavit observationem de* Arbore camphorifera Iapanensium Kusnoky *dicta, quæ eorundem anno X. p.* 79. *inserta reperitur, sed descriptio his paucis tantum verbis continetur „in sylvis sine cultu „copiosissime crescit, procera est & crassa, nam a duobus viris brachiis „comprehendi vix potest; folia habet pulchre viridia camphoram olentia; „e radice Iaponenses pulchra scrinia, item camphoram ipsam conficiunt „ &c. reliqua de methodo, qua hanc extrahunt, agunt. Icon arboris; quam fig.* 12. *addit, rudi calamo delineata est præcipue baccarum, quarum cupulæ, penitus rotundæ, hanc magnitudine duplo superantes, folia vero omnino ovato-lanceolata repræsentantur, quorum nervi laterales ubique excosta media oblique ascendunt.* 3) BREYNIVS Cent. p. 12. *sistit rami a* ten RHYNE *ex Iaponia accepti figuram cum octo foliis in magnitudine naturali æri elegantter incisam. Petioli semunciam longi sunt, graciles & flexuosi; folia ovata, ad basin & magis adhuc ad apicem acuminata; ex costa media alterno ordine oblique sursum excurrunt nervi laterales marginem non penitus attingentes cum multis intertextis venis minoribus, id quod in descriptione etiam notatur, quæ plura non addit, quam quod arbor hæc in Sadsuma Tiliarum nostratium instar speciosa proceritate adolescat. In* appendice hujus centuriæ p. I. *fructum, cujus copiam ab eodem amico accepit, ita describit: calyculus* (cupula)

m 7) Hanc massam vulgo vocant gummi-resinam; sed C. NEVMANNVS in *Chemiæ suæ experimentalis* (vid. p. super. 304. nota *g* 3) Tom. II. Part. I. p. 305. §. 37. illam vocat *mixtum inflammabile plane singulare*, quod nec gummosi nec resinosi quicquam continet, cujus notas specificas indicat suamque novam sententiam multis experimentis probat. Idem etiam p. antecedente 283. §. 14. varia nominat vegetabilia, ex quibus simile productum elici potest, conf. EIVSD. *Lectiones Chymicæ de Salibus alcalinofixis & de Camphora* &c. germanico sermone Berlin 1727. 4, p. 104. & 136.

(cupula) *eſt oblongus pediculum verſus faſtigiatus, petiolum tenerum atque parvum habens; baccæ cortex pallidus utplurimum, in quibusdam niger vel fuſcus & rugoſus, ſub quo nucula orbicularis ex nigro fuſca, non valde dura, occultatur, intus ſplendens & coloris nigri, nucleum continens ſubalbidum, bifidum & pinguem, ſaporis aromatici & acrimonia non ingrata linguam titillantis. Ex quibus* Breynius *jam concluſit, hanc arborem ad glandiferas vel ſi mavis bacciferas aromaticas, nucleum in binas partes ſectum continentes, pertinere & arbori canelliferæ vel Lauro veluti affinem proxime jungendam eſſe.* ***Idem*** Prodr. I. p. 4. ed. II. p. 7. *commemorat, ſe talem arbuſculam in Beverningiano horto obſervaſſe, cujus folia utplurimum forma conveniebant cum illa in Centuria delineata, quædam vero breviora & latiora erant, Populo nigræ ſimiliora &c. Ibidem mentionem quoque facit figurarum, quas a memorato* ten Rhyne *accepit, arboris Iaponicæ, unius vere bacciferæ & alterius ſine baccis, quam ipſe* ten Rhyne *in epiſtola ibid.* p. 6. (8) *pro Malabathri quadam ſpecie inodora declarat, quamque aliqui agreſtem Laurum, alii Camphoram appellant, quibus ex eadem epiſtola* p. 7. (8) *addit Camphoræ arbores Tilias noſtrates craſſitie & altitudine utplurimum ſuperare, quarum hic A. unam conſpexit, quæ novem plenas orgyas complectebatur.* ***Idem*** Prodr. II. p. 17. (44) *Camphoriferæ arboris notas has indicat:* „ 1) *bacca nuciformis calyculata, nucleo bifido* „ *calloſo duro ac pingui, cortice & putamine integro fragili, calyce con-* „ *cavo;* 2) *flores ex foliorum ſede provenientes; folia alterna ſemper* „ *virentia. A Lauro calyce concavo, ab arbore canellifera floribus e foliorum ſede provenientibus, foliisque alternis differt.* „ IDEM *tandem in Faſciculo rar. plantarum* n 7) *tab. II. repetiit arboris camphoriferæ rami*

n 7) Prodiit hoc opus poſthumum demum 1739. cum Prodromis ab Auctoris filio recuſis notisque hinc inde illuſtratis (vid. p. ſuper. 294. nota *gg*) hoc peculiari titulo: *Icones rariorum plantarum æri inciſæ, faſciculo promiſſo quondam a* IAC. BREYNIO *Gedanenſi deſtinatæ, cura* Io. PHIL. BREYNII *M. D. Auctoris filii &c.*

rami iconem Centuriæ eandem in antecedentibus jam explicatam; addidit vero iconem pedunculi cum floribus, aliumque cum baccis, baccæque separatæ partium. Descriptio p. 16. monet, florentem pedunculum ex Kæmpfero (de quo mox plura) desumtum, baccarum vero partes, prouti ex Iaponia delatas asservavit, & pedunculum cum baccis recentibus immaturis ad naturalis exemplaris ductum delineatas esse, quibus junximus, icones baccæ partium exacte respondere descriptioni superius ex Centuria excerptæ, & baccas recentes exhibere figuram perfecte globosam. 4.) COMMELINVS (vide notam super. u6 p. 345.) exhibuit iconem arbusculæ horto Amstelodamensi a D. D. Cleyero donatæ, cujus folia omnia ovata utrimque acuminata cum margine undulato & nervis lateralibus, nunc conjugatis nunc alternis, ex costa media oblique ascendentibus delineantur, & in caudice tubercula, procul dubio foliorum vel ramulorum delapsorum cicatrices, alterno ordine indicantur. Descriptio docet, hujus arbusculæ, 20 circiter annorum intervallo hominis proceritatem adeptæ, folia Cassiæ ligneæ foliis æmula esse, exceptis nervis, quorum in his foliis unicus tantum folii medium secans & in multos minores dispersus reperitur, &, si tres inveniantur (quod in junioribus plantæ foliis se observasse meminit) id lusui naturæ adscribendum esse; folia inniti pediculis longis, tenuibus (secundum figuram inflexis) ex fusco spadiceis, & esse palmam longa, duos transversos digitos lata, margine æquali, in utroque extremo angusta, superne nitentia, hilariore ex luteo virescente colore prædita, & contrita odorem spirare validum camphoræ non dissimilem, eodemque totam plantam esse imbutam: quibus additur, eam perpetua fronde virere, sed flores nondum protulisse. Auctor notæ subjectæ indicat, se ramulum floridum ex India orientali transmissum possidere floribus albicantibus hexapetalis, racemulis expansis laxioribus, biuncialibus, non raro quoque longioribus, ex alis foliorum originem ducentibus; flosculos esse minutissimos, singulos pedicellis brevioribus fultos, magnitudine & forma Ziziphæ sativæ similes, sed petalis minus mucronatis, horumque inter meditullium stamina adesse numerosa, brevia, apiculata. (Pistilli nulla fit mentio). Hujus pedunculi imago est procul dubio illa, quæ arbusculæ imagini addita est. Post hos

Aucto-

Auctores 5) KÆMPFERVS *arboris Camphoriferæ hiſtoriam & delineationem in ipſa Iaponia factam in publicum produxit. Vt facilius pateat, in quibus alii circa hujus arboris partes conveniant vel differant, integram ejus relationem hic repetitam non omnibus ingratam fore confidimus, quæ hæc eſt:* „Arbor *eſt ſilveſtris, in Iaponia occidentali & adjacentibus inſulis in lætam vaſtamque Tiliæ magnitudinem adoleſcens.* „Radice *nititur valide ac parum brachiata, quæ camphoram præ ceteris partibus ſpirat & coctione impertitur.* Cortex *quodammodo eſt* „*ſcaber, coloris pulli, in ramis junioribus lævis, viridans, nitens, interiore ſuperficie glabra & mucoſa adeoque facile abſcedens;* medulla „*magna fungoſa & lignoſa;* lignum *candidum, per ſiccitatem ex rufo* „*variegatum, ſubſtantiæ laxioris ex fibris craſſiuſculis compactæ, aliquando ſerviens pro fabricandis ſcriniis, ſed quorum ſuperficies per ve*„*tuſtatem aſperatur, dum volatilis reſina poros deſtituit.* Pediculis „*carinatis, tenuibus, ſeſcuncialibus, nonnunquam ex viridi rubentibus* „*inſiſtunt* folia *promiſcuo loco ſingula, membranacea triuncialia vel longiora, ex brevi acuto principio ovata, mucrone oblongo anguſto, mar*„*gine integro undulato, non raro tenui palleſcente virgula fimbriato, ſu*„*pina facie ſaturo virore imbuta ac micante, dorſo herbaceo & quaſi bo*„*loſerico;* nervo *uno medio utrinque prominulo, ex viridi albicante &* „*paucis* nervis lateralibus *ad ambitum arcuatim protendentibus, quos* „*vagi minores pro firmitate folio concilianda intercurrunt. In nervo*„*rum ſinibus non raro* verruculas *obſervamus, quas huic Lauro pro*„*prias dixerim.* Floſculi *in faſtigiis ramulorum, ſed arboris provectæ* „*ætatis & magnitudinis, menſe majo junioque inter foliorum axillas* „*prodeunt, pediculis nixi biuncialibus, tenuibus, in fine racemoſis ac* „*in pediculos breviſſimos ſingulis perianthiis præparvis inſtructos divulſis.* „*Sunt flores albi, hexapetali, intra ſeminis Coriandri ambitum radian*„*tes,* petalis *ovatis,* ſtaminibus *apicatis novem, ea diſpoſitione loca*„*tis, ut terna medium ſtylum premant, hæc cetera in orbem ambiant,* „*intercepta ſingulis* tuberculis *carnoſis, exiguis luteis, mollibus, um*„*bilico laxe adnatis. Florem, accreſcente calyculo,* bacca *excipit per* „*maturitatem atro-purpurea & ſplendens, magnitudine piſi majoris, fi-*

„*guræ quodammodo turbinatæ, pericarpio molli purpuraſcente, ſaporis* „*ex camphora caryophyllacei;* nucleo *intus piperis magnitudine, cor-* „*ticula nigra micante obducto, bifido, oleoſo, ſaporis fatui. His ad du-ctum figuræ addimus,* folia *in baſi parum, in apice valde eſſe acuminata; ex* coſta media *ad apicem usque extenſa, ſupra folii baſin, intervallo notabili, oriri* duos nervos laterales, *unum utrinque, arcuatim ſurſum, attamen non penitus ad apicem usque aſcendentes, ſed ad folii marginem ſe flectentes, & plures minores brevesque, uti in coſta fit, ſpargentes. In majorum cum coſta conjunctionis angulis ſingulis hæret* verrucula *ab A. in deſcriptione indicata, ſatis, ſed in paucis tantum foliis, conſpicua; foliorum* petioli *delineantur inflexi; flores ipſi & hexapetali & pentapetali, quorum unius a latere ſeparatim delineati fundo adhæret pedunculi extremum ampliatum ab A.* calyculus & perianthium *dictum & poſtea baccæ cupulam formans, quæ in maturo fructu conicam quaſi figuram & oras æquales cum cavitate haud profunda repræſentat. Adſunt præterea duæ adhuc figuræ laterales perexiguæ cum* ſtyli (qui vero non deſcribitur) *nomine ſubſcripto, cujus extremum ſeu ſtigma trifidum videtur. Ceterum ad ortum petiolorum hinc inde apparent* protuberantiæ, *ex quibus, forſan ut in Lauro indica, poſt foliorum lapſum oriuntur cicatrices tuberculatæ.* 6) GRONOVII *deſcriptio, quam in ſua diſſertatione propoſuit, in plurimis convenit cum illa Kæmpferi: in quibus differt, ſunt, omiſſis illis, quæ Kæmpferus habet, præcipue ſequentia.* Folia *ſunt duos transverſos digitos lata, quatuor longa, mucrone quandoque obtuſo, antica facie ſaturate virentia ac nitentia glabraque, poſtica cinerea,* nervo *uno gaudentia, ex quo alii nervi forma & figura varia, ſive arcuata ſive recta, producuntur, quos intercurrunt alii minores & minimi, adeo ut natura valde ludere videatur in eorum protenſione: poſſedit enim A. ramulum undecim foliis ornatum, ex quibus nullum ſui ſimile agnoſcit in progreſſu nervorum; ſunt quoque quædam, quæ tres nervos majores habent, ut Cinnamomum mentirentur, ſi minus undulata forent; ſed eſt luſus naturæ, unde A. concludit, folia proprium deſignare characterem haud poſſe.* (Verrucularum in angulis nervorum deprehenſarum nulla fit mentio) Flores *ſunt*

mona-

monopetali tubuloſi, in quinque & raro in ſex partes diſſecti, minutiſſimi, petalis ovatis minus mucronatis præditi. (Stylus pariter non deſcribitur) *In una eademque arbore deprehendi flores in quinque, raro in ſex partes ſectos, ex relatione* KIGGELARII *annotat.* Bacca *inſidet* Calyci *breviſſimo, quodammodo oblongo, verſus pediculum faſtigiato, molli, odoris plusquam in foliis fragranti, petiolo tenero & parvo innitenti. Arbor longe lateque in ramos brachiatur.* Lignum *omne aroma indicum ſpirat, unde non modo cedit in commodum medicum, ſed & in alios quosvis uſus.* 7) HILL *l. c. huic arbori adſcribit* radices *magnas, craſſas & brachiatas;* truncum *trium ſæpius pedum in diametro & altitudinem Vlmo altiſſimæ parem valdeque ramoſum; folia irregulariter ſita, lauro vulgari ſimilia, plusquam tres digitos longa & ſesqui digitum lata, undulata & in apicem valde longum atque anguſtum terminata, in ſuperiori ſuperficie lucide viridia, in inferiori ex cinereo viridia, pedunculis digitum longis, paullulum excavatis inſiſtentia;* flores *valde exiguos albos, ramoſis in ſummitate pediculis, ex alis foliorum ortis corymbum formantes;* baccam *nigram ſplendentem.* 8) MILLERVS *indicat, arborem hanc in ſolo natali pervenire ad mediam magnitudinem in plures ramos exiguos diviſam;* folia *eſſe ovato-lanceolata, in ſuperiori ſuperficie lævia; tribus venis longitudinalibus ſupra baſin unitis inſtructa & contrita gravem Camphoræ odorem pariter ac ramos fractos ſpirantia. Eſt* mas & femina *in diſtinctis arboribus. Ipſe marem tantum vidit, qui copioſe in Anglia floruit.* Flores *erant exigui ex quinque petalis concavis luteis compoſiti illisque arboris Saſſafras valde ſimiles, & pari modo tres vel quatuor ſingulis pedunculis adhærentes. Vbi de cultura agit, adſtruit, hanc & Cinnamomi arborem eſſe valde affines, eas tamen a ſe differre foliis: illa namque Cinnamomi habere tres coſtas inſigniter craſſas* (remarkably large) *a petiolo ad apicem longitudinaliter expanſas; Camphoræ foliorum coſtas vero eſſe graciles* (ſmall) *& ad latera extenſas, hujusque folia glabra ſplendenteque ſuperficie nitere. Addit porro, utramque ſpeciem eſſe dioeciam, hincque neceſſarium, ut unus ſexus alteri propinquus ſit pro femina reddenda fœcunda, id quod exemplo Lauri No. XV. ſequuturæ ulterius probat.* 9) *His adhuc jungenda ſunt, quæ*

RVMPHIVS *de Camphoriferis arboribus annotavit in suo Auctuario (vid. p. super. 341. nota m 6) cap. LXXXII. p. 65. seqqu., ubi reperitur descriptio non solum Iaponensis, verum etiam sic dictæ Occidentalis. Prioris descriptio, quam A. secundum ramulum cum foliis inde acceptum composuit, brevis hæc est:* „*Ramuli levis erant ligni, in paucas distincti* „*rachides, quibus folia insidebant solitaria & inordinata, illis caryophylli* „*similia, utrimque nempe acuminata, & sursum in longum terminata* „*apicem, quatuor pollices longa, unum lata, ad oras parum sinuosa, in-* „*star foliorum caryophylli, superne glabra & polita, inferne densis &* „*tenuibus venulis pertexta, quæ juxta oras sinum quodammodo formant.* „*Præter nervum medium ad oras alium gerunt utrimque, per longitudi-* „*nem oblique decurrentem, sed non usque ad finem. Hi bini laterales* „*nervi distincti magis sunt ac magis protuberant in uno quam in altero* „*folio &c. Sapor foliorum acris est & aromaticus, perfecte Camphoræ* „*saporem & odorem gerens, uti & petioli & rachides, sed debilior.*„ *Posterioris descriptio, tum pariter ad ramum foliosum transmissum, tum ex relatione amici ex oris occidentalibus accepta, propius convenit cum illa* Grimmii: *id quod præcipue ex fructus involucro versicolore p. 359. annotato probari potest.* 10) NEVMANNVS *(locis nota m 7) citatis, priori p. 281. posteriori 103) baccas vocat rubras, qua auctoritate, me latet.* 11) HERMANNVS *in Cynos. Mat. med. (vid. p. super. 295 nota kk.) p. 255 florem pentapetalum,* HEISTERVS *in suo systemate p. 15 monopetalum quinquefidum,* BOERHAAVE *monopetalum hexapetaloidem vel pentapetaloidem declarat, qui addit folia Pyri nervosa alterna, fructum nuciformem concavo calyce exceptum, cortice & putamine fragili, nucleo bifido.* 11) LVDWIGIVS *&* SCHÆFFERVS *a Boerhaavio quoad florem & fructum non dissentiunt, folia vero definiunt nervosa, flores ex alis foliorum racemosos & calycem negant. Patet inde, characterem specificum ex unione nervorum desumtum, esse inconstantem. Varias de massæ illius, Camphoræ proprie dictæ, distinctione in Iaponensem, Sumatrensem, Borneensem, Chinensem & Zeylanicam, omniumque collectione & præparatione, tum genuina tum fabulosa, ut & de eius usu*

medico

medico a citatis auctoribus aliisque fuſius expoſitas relationes ſilentio hic præterimus, quia huc non pertinent.

VI. Laurus foliis oblongo-ovatis trinerviis nitidis planis *Linn. H. Cl.* 154. *n.* 6. *Spec.* 369 *n.* 1. *Hill.* 411. *n.* 2. *Cinnamomum*

Laurus foliis ovato-oblongis trinerviis: baſi nervos unientibus *Linn. Fl. Zeyl.* o7) *p.* 61. *n.* 145. *Mat. med.* 64. *n.* 190.

Laurus foliis triplinerviis ovato-oblongis *Linn. S. N. n.* 1.

Laurus Ceylanica glandifera, folio trinervio, optimum & legitimum Cinamomum ferens *Herm. Muſ. Zeylan.* p7) *p.* 12. (*Burm. Zeyl.* q7 *p.* 62.)

Canella *Garciæ* r7) (*Burm. Th. Zeyl. l. c.*)

Canella

o7) Car. Linnæi, *Flora Zeylanica, ſiſtens plantas indicas Zeylonæ inſulæ; quæ olim* 1670—1677 *lectæ fuere a* Pavl. Hermanno *Prof. Bot. Leydenſi; demum poſt* 70 *annos ab* Avg. Günthero, *Pharmacop. Haffnienſi orbi redditæ; hoc vero opere reviſæ, examinatæ, determinatæ & illuſtratæ* &c. Holmiæ 1747 8v. maj.

p7) *Muſæum Zeylanicum, ſive Catalogus plantarum in Zeylana ſponte naſcentium obſervatarum & deſcriptarum a Viro celeberr.* Pavlo Hermanno &c. Lugd. Bat. 1717. 8v. maj.

q7) *Theſaurus Zeylanicus exhibens plantas in inſula Zeylana naſcentes* &c. *omnia iconibus illuſtrata & deſcripta cura & ſtudio* Io. Burmanni, *Med. Doct. & Bot. Profeſſoris in horto med. Amſtelædamenſi.* Amſtel. 1737. 4. maj.

r7) *Aromatum & ſimplicium aliquot medicamentorum apud Indos naſcentium hiſtoria, Luſitanica lingua per dialogos conſcripta D.* Garcia *ab* horto, *Proregis indiæ medico auctore, latine facta & in epitomen contracta a* Car. Clvsio. Antverp. 1567. 8. cap. 15. p. 71. *Eodem titulo quarta editio caſtigatior & aliquot locis auctior* ibid. 1593 8v. maj. p. 55. *Dell' Hiſtoria dei ſemplici aromati* &c. *di Don* Garzia *Dall'* horto &c. *tradotti da M.* Annibale Briganti &c. in Venetia 1589. 8. maj. p. 62.

Canella *a Coſta* s7) (*Burm. Th. Zeyl. l. c.*)

Canella, quæ *Cuurdo* & Caſſia Vulgaris, *çalibacha* dicta *Piſ. Mantiſſ. arom. t7) p.* 165 (*Burm. Th. Zeyl.*)

Canella ſive Cinnamomum vulgare *Bauh. hiſt. I. p.* 440. (*Linn. Fl. Zeyl. Burm. Th. Zeyl.*)

Canella Zeylanica cum fructibus nondum maturis *Herm. Muſ. Zeyl. p.* 37. (*Burm. Theſ. Zeyl.*)

Arbor canellifera Zeylanica, cortice acerrimo ſ. præſtantiſſimo, qui Cinnamomum officinarum *Breyn. Prodr. II.* 17. *ed. II.* 44. (*Burm. Theſ. Zeyl.*)

Caſſia cinnamomea *Herm. Lugd.* 129. *t.* 655. *vid. p. ſuper.* 295. *nota hh.* (*Linn. H. Cl. Fl. Zeyl. Mat. med. Burm. Th. Zeyl.*)

Cinnamomum foliis latis ovatis frugiferum *Burm. Theſ. Zeyl.* 62. *t.* 27. (*Linn. H. Cliff. Fl. Zeyl. Spec.*)

Cinnamomum ſive Canella Zeylanica *Bauh. pinn.* 408. (*Linn. H. Cl. Fl. Zeyl. Spec. Burm. Theſ. Zeyl.*) *Raii Hiſt.* 1561. (*Linn. Fl. Zeyl. Burm. Theſ. Zeyl.*)

Carua

s7) Christoph. *a* Costa, *medici & chirurgi, aromatum & medicamentorum in orientali India naſcentium liber, plurimum lucis adferens iis, quæ a Doct.* Garcia *de* orta *in hoc genere ſcripta ſunt.* Car. Clvsii *opera ex Hiſpanico ſermone latinus factus, in Epitomen contractus & quibusdam notis illuſtratus.* Antv. 1582. 8v. p. 22. *Eodem titulo altera editio caſtigatior & auctior* ibid. 1593. 8v. maj cum Garcia edita p. 246. *Trattato di* Christoe. *a* Costa, *Africano Medico & Chirurgo, della Hiſtoria, natura & virtu delle Droghe medicinali* &c. *Nuovamente recato dalla Spagnola nella noſtra lingua* &c. In Venetia 1585. 4to p. 1.

t7) Hic tractatus prodiit cum hujus A. de India utriusque re naturali & medica L. XIV. (vid. p. ſuper. 289. nota *u*) hoc peculiari titulo: Gvil. Pisonis *Mantiſſa aromatica ſive de aromatum Cardinalibus quatuor* &c. *relatio nova.*

Carua *Rheed. Mal.* v7) *I.* 107. *t.* 57. (*Linn. H. Cl. ubi Carau.*)

Kurudu, Kurundu *Herm. Muſ. Zeyl. p.* 12. & 37. (*Linn. Fl. Zeyl. Burm. Theſ. Zeyl.*)

Coronde Zeylanenſium *Anonymi u7*).

Patria: Zeylona *Linn. H. Cl. Fl. Zeyl. Mat. med. Spec. Dale Pharmacol. p.* 327.

Varietas α Cinnamomum perpetuo florens, folio tenuiore acuto *Burm. Theſ. Zeyl.* 63. *t.* 28. (*Linn. H. Cl.*)

β Katou-Karua *Rheed Mal. V.* 105. *t.* 53. Hujus patria eſt Malabaria. Officinis pharmacevticis præbet folium ſic dictum Malabatri. *Linn. Mat. med.* *Malabatrum.*

Hæc arbor, cuius cortex nobiliſſimum illud Aroma Cinnamomum dictum præbet, hucusque in ſola inſula Ceylana ſponte creſcens reperta eſt. MILLERVS *in ſuo Dictionario, ubi de Camphoriferæ arboris cultura agit, refert quidem, eandem ex India Orientali a Luſitanis in inſulam Principis, ad littora Africæ ſitam, translatam ibidemque propagatam eſſe; nec dubitat, quin idem per baccarum ſationem in magnum uſum publicum ſuccedere queat in coloniis Indiæ occidentalis britannicis; num vero harum cortex ad eundem virtutum gradum perventurus ſit, experientiæ relinquendum eſt, de quo conferri poteſt* Piſo *l. c. p.* 167. *Plures notas factas*

*) *Hortus Indicus Malabaricus, continens Regni Malabarici apud Indos celeberrimi omnis generis plantas rariores &c. adornatas per* HENR. *van* RHEEDE, *van* DRAAKENSTEIN, *nuperrime Malabarici Regni Gubernatorem, nunc ſupremi Conſeſſus apud Indos Belgas Senatorem extraordinarium & primum Succeſſorem loco ordinario deſtinatum, &* Io. CASEARIVM, *Eccleſiaſt. in Cochin. Notis adauxit & Commentariis illuſtravit* ARNOLD. SYEN, *Medicinæ & Botanices in Acad. Lugduno-Batava Profeſſor.* Amſtelod. 1678. fol. maj. Conf. de ſplendidi hujus operis in X. partes diviſi editione *Librorum botanicor. catalogus tertius meus &c.* Norimb. 175-. fol. conf. p. ſuper. 288. nota *t.*

u7) vid. *Acta phyſico-medica Academiæ Cæſ. Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſor. &c. Vol. I.* Norimb. 1727. 4to. *Append.* p. 4.

factas esse arbores canelliferas, ex Breynii *Prodr. II. p.* 17. (*ed. II.* 44.) *seqqu. constat, qui earum quinque recenset, sed neque genericum neque specificum earundem characterem, corticis tantum saporis differentiam in nonnullis indicat. Pari modo octo species indicavit* C. Bavhinvs *in suo pinace p.* 408. *sequ.* Rvmphivs *quoque Auctuar. c.* 81. *p.* 63 *duas recenset Cinnamomi Iaponici species. Singularem autem attentionem merentur ipsius insulæ Ceylanæ Cinnamomi species, vel si mavis varietates illæ, quæ ab auctore anonymo in Actis Acad. Cæs. x* 7) Coronde *nomine descriptæ & singularum folio, in magnitudine naturali studiose delineato, illustratæ reperiuntur, ubi foliorum numerus ad novem ascendit, (tot folia differentia etiam possidet Burmannus Thes. Zeyl. l. c.) quorumque figuræ cum charactere specifico Linnæano satis conveniunt, si excipias n.* 4. 6. 7. *& potissimum* 9, *in quibus apex magis productus est; omnia præterea hæc folia tribus nervis crassis, duobus lateralibus arcuatis, a basi ad apicem usque excurrentibus instructa sunt, excepta fig.* 4. *&* 6. *quorum nervi laterales apicem non attingunt, & fig.* 8, *quæ plures nervos tenues ex nervo medio transverse magis spargit. Sed etiam hic A. præter foliorum figuram alias differentias haud indicat, quam illas, quæ in singularum harum varietatum cortice reperiundæ sunt. Ibid. p.* 11. *refertur, Auctorem hanc relationem hasque figuras Amstelædamum ad* Alb. Sebam *misisse easque ab hoc laudatæ Academiæ communicatas esse, qui addidit, se ab Orient. Ind. Societate aliquot annos antea mercatum esse cistam Cinnamomi seu Malabathri foliis repletam, seque inter ea reperisse flores Cinnamomi, magnitudine Fabæ italicæ floribus pares, coloris subcærulei, & etiam fructus. Ipse quoque possideo picturam a sæpius laudato Ebreto*

x7) in nota antecedenti citatis, ubi hujus argumenti pertractatio hunc peculiarem habet titulum: *Canellæ sive Cinnamomi cujuscunque generis, arborumque hoc cortice obductarum historia, variam illius nomenclaturam, locos natales ac propagandi rationem complectens: curate scripta, apertiusque, quam antehac a nemine unquam explanata a Procuratore id genus mercium primario operisque ad hujus aromatis selectionem conductis Præfecto; ex germanico sermone latine reddita.* A. 1725.

Ehreto a. 1744. *cum ſimplici Cinnamomi nomine ſubſcripto miſſam, cujus folia dimidium pedem Rhen. longa & duos ferme digitos geom. lata in apicem acutum terminata, ceterum præter tres nervos ordinarios adhuc duobus margini proximis, ad folii baſin ovatam cum reliquis conjunctis, ſed ultra folii partem circiter tertiam non extenſis, inſtructa ſunt. Terminatur hujus picturæ ramus in tres pedunculos florigeros, duos cum dimidio digitos longos, floribus hinc inde pedunculis minoribus racemi laxioris in modum adhærentibus, quorum unum a facie antica, alterum a tergo Tab. IX. fig.* 19. *repræſentat: doleo autem ejus analyſin non fuiſſe additam. Quum omnium harum varietatum hiſtoriæ imperfectæ ſunt, inanis labor eſſet, inquirere, quæ genuini Cinnamomi varietates tantum ſint. Optandum, ut Muſeum Ceylonicum* Hermanni *ab Auctore abſolutum fuiſſet eo modo, quem ſibi propoſuit, vid. H. Lugd. Bat. p.* 130: *hoc loco enim indicavit, ſe pertexendam ſuſcepiſſe hiſtoriam integram Caſſiæ ejusque ſpecierum ſubulternarum, quas in Orientalibus plagis ipſi conſpicere licuit. Quod autem ad arboris Zeylonicæ, Cinnamomum genuinum ſuppeditantis hiſtoriam attinet,* HERMANNVS *quidem αὐτόπτης ejus integræ, ut & rami florentis magnitudine imminuta, nec non floris, ut videtur magnitudine naturali, & fructus ſeparatas icones H. Lugd. Bat. p.* 664. *&* 665. *cum publico communicavit, ſed ob propoſitum memoratum nullam earum deſcriptionem addidit: id tantum p.* 130. *aſſeruit, Caſſiam ligneam ſ. Malabaricam, Caruam dictam, in H. Malabarico optime deſcriptam & delineatam a Cinnamomo Zeylanico tantum acrimonia, ſuavitate & virtutis præſtantia, neutiquam facie modove creſcendi diſcriminari* y7), *quare procul dubio a* Linnæo *Carua Cinnamomi ſynonymum factum eſt, quod poſtea idem Caſſiam Zeylanicam a Malabarica diſtinguens, huic adjudicavit: vid. n. VIII. ſequentem. Icones, quas* Hermannus *exhibuit, non admodum curate elaboratæ ſunt.* Folia *delineantur ex adverſo bina, ovata quidem, ſed plurima apice valde anguſto & in plurimis nervi laterales ex primario ſeu medio recto longe ſupra baſin oriuntur;* flos

y7) Hanc ſententiam etiam tenuit *Garcia, a Coſta & Rajus;* neque *Piſo* aliam diſtinctionem indicat, niſi ſaporis corticis differentiam. *Linnæus H. Clif.* pariter conſentit, immo fere omnes.

etiam in majori figura separata stellæ in modum sexfidus cum segmentis valde angustis repræsentatur intra calycis seu futuræ cupulæ oram pari modo divisam contentus: reliquarum floris partium ne umbra quidem apparet. Baccarum racemi duo separati vel ante maturitatem decerpti vel infra magnitudinem naturalem delineati sunt: unus baccas sistit calyce suo penitus adhuc tectas, alter ultra dimidium jam denudatas, calycis oris acute dentatis. Ejusdem arboris Ceylanicæ icon, quam curatius æri insculptam postea BVRMANNVS t. 27. publicavit, folia sistit alterna; omnia ovata in apicem acutum sed brevem terminata, in quibus duo nervi laterales arcuati medium rectum a basi jam, sed non in omnibus ad apicem usque, comitantur; reperiuntur præter hos in aliquot foliis duo illi extraordinarii marginales breviores, quorum superius in pictura Ehretiana mentio facta est. Pedunculi florigeri tum surculorum summitates claudunt, tum ex eorum lateribus inferioribus prodeunt, ex quorum fastigio duo tresve laterales minores oriuntur & cum florum pedunculis conjunguntur, ubi hi ab illis nodulo distincti sunt. Floris calyx baccæ jam similis est, ex cujus ora in aliquot lacinias notabiliter divisa, prominent sex Corollæ segmenta oblonga & acuta: unus horum calycum, excussa jam corolla, cum ora ad tertiam circiter ejus partem in lobos acutos divisa reperitur. Ipsius floris analysis & fructus perfecti magnitudo structuraque deficit, atque etiam omnium reliquarum partium, quia A. cum Hermanno figuram illam, quæ de Carua in Hort. Malab. prostat, pro sufficienti agnoscit. Si ad Hermannianæ & Burmannianæ iconis normam reliquorum auctorum citatorum figuræ examinantur, sequentes notandæ veniunt differentiæ. 1) GARCIA delineavit folium & baculum cum cortice exteriori & interiori. Folii figuram (quam PARKINSON (supra p. 287. n. 12.) & C. BAVHINVS 27) rudi imitatione repetierunt) pessimam esse, monuit jam Burmannus: non solum enim nervi alienum prorsus tractum, verum etiam folii utrumque extremum valde

27) In Matthioli operum editione p. 46. quæ hoc titulo prostat, PETRI ANDR. MATTIOLI, *Medici Cæsarei & Ferdinandi Archiducis Austriæ, opera a* CASP. BAVHINO, *Basilienſi medicinæ Professore, aucta &c. Editio altera.* Basil. 1674. fol. maj.

valde anguſtum & vere lanceolatum oſtendunt. Deſcriptio plura non indicat, quam quod arbor ſit magnitudine Oleæ, interdum minor, multis ramis prædita, non quidem contortis, ſed rectis ferme; folia reperiantur Lauri quidem colore, ſed forma ad Citri folia accedente; flores candidi, fructus nigri & rotundi, avellanæ ferme magnitudine aut exiguis Olivis ſimili -- truncus interdum femoris craſſitudine. Quam male autem de Cinnamomi folio informatus fuerit, ex eo patet, quod ubi ipſi cap. 19. de Folio ſic dicto (de quo mox plura) ſubfinem ſermo eſt, tradere haud erubeſcat, Cinnamomi folium non ſolum illo minus acutum (quod quidem verum) & anguſtius eſſe, ſed etiam tribus nervis, quod illud habet, carere. 2) ACOSTA *arborem comparat cum Mali aureæ amplitudine; folium dicit Lauro ſimile, latius tamen, colore dilutiore & minus ſiccum, tribus nervis inſignitum. Flos ſecundum illum eſt candidus, odoris propemodum expers; fructus ſilveſtris Oleæ baccis par, vireſcens initio, deinde ruffeſcens & plene maturus ruber atque ſplendens, oſſiculum intus continens ſilveſtribus olivis ſimile, ſimilique carne & ſeſſili parte parvo calyce præditus læviore minusque criſpo, quam ſunt Ilicis calyces. Addit, harum arborum magnam eſſe frequentiam in ſilvis provinciæ Malabar, ſed præſtantia & odore longe inferiores iis, quæ in Zeylon inſula naſcuntur. Figuram habet nullam.* 3) PISONIS *figura in magnitudine imminuta repræſentat caudicem detruncatum cum aliquot ramis, quorum ſurculi gerunt folia ovata in apicem modice acutum terminata & tribus nervis a baſi ad apicem usque excurrentibus inſtructa. Additi ſunt aliquot pedunculi cum fructibus, ſed oſcitanter, quemadmodum tota figura, delineati. Deſcriptio docet, illi de arbore Ceylanica ſermonem eſſe, omnibus autem varietatibus (quarum quoad corticis differentiam mentionem quoque facit) adſcribit comam perpetuam, folia Laurina, fructum racematim cohærentem in calyce ſuberino, duplo tamen ampliore & magis cavo, intus lævi, extus aſpero, utrimque ex purpura nigricante contentum, & Ceylanicæ ſigillatim folia foliis Lauro-Ceraſi non diſſimilia, flores parvos, niveos, odoros, fructus parvos olivæ magnitudine & figura, primum virides, & maturos præ nigredine ſplendentes.* 4) IO. BAUHINUS, *præter corticis tubulos, ineptam figuram paullo imminutam*

ex THEVETO *a* 8) *proponit. Ceterum potissimum occupatus fuit circa variorum hujus indolis corticum characteres, arborisque Cinnamomi genuini descriptionem collegit ex* Garcia, (*cujus folii malam figuram peius expressam p.* 455 *b. repetit*) Theveto *aliisque scriptoribus.* 5) RAIVS ex CORDO *b* 8) *hanc repetit descriptionem:* „ *Zeylanica canella non se-*
„*cus ac Malabarica folium habet tribus nervis insignibus secundum lon-*
„*gitudinem decurrentibus præditum, & fructum etiam profert cum ca-*
„*lyce glandi quercinæ similem, ut &* D. Knoxius, *qui in insula Zei-*
„*lon* 20 *annos captivus detinebatur c* 8), *in sua arboris hujus descriptio-*
„*ne disserte affirmat &* D. Hermannus *innuit, quum Canellam Zeilani-*
„*cam, Laurum Zeilanicam baccis calyculatis, ex qua Cinnamomum, in-*
scribit,

a 8) *La Cosmographie universelle* d' ANDRÉ THEVET, *Cosmographe du Roy* &c. *T. I.* a Paris 1575. fol. maj. p. 436. b.

b 8) Historiæ stirpium L. IV. cap. XI. p. 192. seq. ubi *Casia aromatica* vocatur, quæ historia cum reliquis ejus operibus prostat hoc titulo: *In hoc Volumine continentur* VALERII CORDI, *Simesusii, annotationes in* Pedacii Dioscoridis *Anazarbei de Medica materia Libros V.* &c. *Ejusdem* VAL. CORDI *Historiæ stirpium Lib. IV. posthumi* &c. *Sylva, qua rerum fossilium in Germania plurimarum, metallorum, lapidum & stirpium aliquot rariorum notitiam brevissime persequitur* &c. *Omnia summo studio atque industria* &c. CONR. GESNERI *Medici Tigurini collecta & præfationibus illustrata.* Argentorati 1561. fol.

c 8) *An historical Relation of the island Ceylon in the East Indies* &c. *by* ROBERT KNOX, *a Captive there near twenty years.* London 1681. fol. p. 16. *Ceylanische Reise-Beschreibung von der in Ost-Indien gelegenen Insel Ceylon* &c. *durch* ROBERT. KNOX, *Schiff-Capitain bey der Ostindischen Compagnie in Engelland* &c. Leipzig 1689. 4to p. 32. *Relation ou Voyage de l'isle de Ceylon dans les Indes orientales* &c. *par* ROB. KNOX *T. I.* a Amsterdam 1693. 12 maj. p. 41. Hic A. præter ea, quæ *Raius* ex illo de foliis retulit, sequentia notatu digna annotavit. Zeylonenses hanc arborem lingua sua nominant *Corundo-gaûhah*, sponte crescit in silvis, uti aliæ arbores, nec magis æstimatur. Maxima earum co-

pia

„*ſcribit, litteris ad* D. Syen *d* 8) *datis.* „ *Ex hac etiam hiſtoria,* Cor-„dum *recte deſcripſiſſe tum folia tum fructum Caſſiæ, a quocunque tan-„dem edoctum, conſtat, quantumvis invito* Io. Bauhino. *Folia in-„quit, habet denſa Laurinis ſimilia, multo tamen majora.* (D. Her-„mannus *pariter &* D. Knoxius *folia Laurina ei attribuunt,* Rajus) „*ad Citri potius folia accedentia, utrinque faſtigiata, ternas individu-„asque venas per longitudinem tranſeuntes habentia, quarum media cras-„ſior rectaque eſt, reliquæ duæ leniter curvantur* (*& in arcum ſinuantur,* „Cord.) *eæque a tergo eminent & evidentiores ſunt quam intus* (*in de-„ſcriptione noſtra* (Raii) *utrimque eminent*). *Fructus fert laurinis „baccis ſimiles* (*minores tamen & rubentes* Cord.) *calycibus ſeu cupu-„lis glandium modo inſidentes, qui rariſſime adferuntur.*„ 6) *Secun-dum* Breynivm *canelliferæ arboris notæ hæ ſunt:* „ 1. glans *vel* bac-„ca *nuciformis calyculata, ex floris medio proveniens, nucleo bifido „calloſo duro ac pingui, cortice integro admodum fragili,* calyce *con-„cavo crenato;* 2 floſculi *monopetali ſtellati, ſeu in lacinias petaloides „ſex diviſi, non decidui, racematim in ramorum ſummo nec non ad fo-„liorum alas provenientes;* 3 folia *bina ex regione naſcentia, nervoſa, „ſemper virentia.*„ 7) Geoffroy *in deſcriptione nihil peculiare in-dicat, præter floris odorem gratum ad Lilii convallium odorem acceden-tem,*

pia reperitur in plaga occidentali magni fluvii *Mavolagonga*, & quidem tam copioſe, uti in Anglia coryli, in quibusdam tamen locis magis, in aliis minus frequenter. Arbores mediocris ſunt magnitudinis. Earum cortex, dum arboribus adhæret, albicat. Hunc deglubunt & in ſole ſiccant: a minoribus tantum arboribus detrahitur, quamvis majorum cortex odore eodem amœno & pari ſapore acuto gaudeat. Lignum eſt inodorum, coloris albi uti in Abietibus. Cædunt hoc in varios uſus nec magis illi parcunt, quam aliis arboribus ſilveſtribus —. Quando juniora proveniunt folia, colore coccineo nitent; fracta aut contrita caryophyllos aromaticos potius quam cinnamomum olent. Fructus Iunio menſe maturat. &c.

d 8) Reperiuntur hæ litteræ in H. Malab. T. I. ſuper. p. 110. in notis ſubnexa.

tem, baccam maturam ex cæruleo fuscam punctis albicantibus conspersam, calycem seu cupulam in sex cuspides divisam, quæ sub pulpa viridi, unctuosa, adstringente & subacri, aromatica testam continet tenuem & fragilem &c. 8) HILL tribuit ipsi folia irregulariter sita ovalia, quatuor digitos longa, crassa, lucide viridia (bright green), petiolos dimidium digitum longos, crassos & sulcatos (furrowed), flores exiguos albos in corymbis ad ramorum extremitates, odoris valde fragrantis. 9) LINNÆVS hanc arborem pro hermaphrodita declaravit & characterem floris specificum ex Caruæ descriptione desumsit, illumque ex Burmanni iconibus lateralibus t. 28. illustravit, de quo n. VIII. sequ. plura. 10) LVDWIGIVS & SCHÆFFERVS Linnæi descriptionem sequuti sunt. 11) MILLERVS marem a femina distinxit; qua ratione vero Cinnamomi arbor a Camphorifera differat, vid. n. antecedentem V. p. 365. In quibus hæc arbor a Cassia differat, n. sequens VIII. docebit. Vltimis binis sæculis elapsis multum disputatum est, num veterum Cinnamomum sit idem cum illo nostri ævi; sed ex nimis obscura priscorum auctorum historia verum discerni nequit: cui lubet, argumenta pro & contra ventilata ponderare, evolvat e. gr. Cordum annot. in Dioscor. p. 3. b. cap. 13. C. & I. Bauhinum, Aldinum l. c. p. 62. seqq., Pisonem, Mathiolum edit. Venet. anni 1565. & Basil. anni 1674. fol. maj. utrobique p. 44, Raium p. 1559. Geoffroy Veget. exot. p. 162. &c. Hæc namque ad nimiam prolixitatem evitandam pede sicco merito præterimus. Quod ad varietates a Linnæo citatas attinet, prior α ab illo ipso postea Cassiæ synonymum factum est; varietas β vero a Cinnamomi foliorum structura atque figura omnino non differt, attamen eorundem, nervorum, baccarumque magnitudine: nervi enim delineantur multo crassiores & folia describuntur duas circiter spithamas longa, duosque palmos lata; flores umbellarum modo dispositi in extremis ramulorum provenientes, inodori, ex viridi albicantes, pentapetaloides, quinque viridibus brevibusque staminibus, viridi-flavis apiculis ornatis, medium occupantibus; baccæ exiguæ Ribium nostratium instar. Ipsa figura sistit ramum cum foliis, cujus summitas terminatur in pedunculos, foliis pariter sed multo minoribus præditos, tres pollices Rhen. geometricos longos, ter-

divisos

diviſos iterumque in plures minores ſubdiviſos, flores parvos in quinque ſegmenta orbiculata ſectos & umbellas laxas ſeu corymbos formantes. Floris partium baccarumque figuræ omiſſæ ſunt. Burmannus *p.* 64. *hanc ſtirpem ſui Cinnamomi perpetuo florentis, ſeu ſuperioris varietatis a ſynonymum fecit.*

De Folio *Malabatro non omnes auctores eandem tenent ſententiam. Noſtro ævo parum adhuc in uſu eſt, & nonniſi antiquas compoſitiones ingreditur; veteres autem multa de eo, quod κατ' ἐξοχὴν* Folium & Folium indum *appellant, prædicarunt, ſed cujus arboris folium ſit, recentiores pariter multum diſputarunt.* Garcia *l. c. cap. XIX. hæc refert:* „*Appellant Indi folium* Tamalapatra, *quam vocem* „*græci & latini imitantes corrupte* Malabatrum *nuncuparunt: Ara-* „*bes* Cadegi indi, *i. e. folium indum dicunt, ſiquidem interpres* Avi- „cennam *verbum verbo reddidit. Itaque non dicitur folium per ex-* „*cellentiam, ſed quoniam* Avicenna *l.* 2. *c.* 259. *ita vocavit*„ &c. *Deinde* Garcia *illud his deſcribit verbis:* „*Eſt vero* Folium indum „*mali medicæ folio ſimile, anguſtius tamen per extremum, colore viri-* „*di, tribus per longitudinem excurrentibus coſtis (qua nota facile di-* „*gnoſcitur) odoratum. Garyophyllos quodammodo redolens, non tam* „*vehementis odoris ut Nardus aut Macis: neque tam ſubtilis aut acuti* „*ut eſt Canella* &c. *Naſcitur in procera arbore, cum multis aliis in* „*locis, tum in* Cambaya. *Et ſi ab aliquo pharmacopola Talmapatra* „*petieris, ſtatim te intelliget, quoniam vernacula eſt eorum lingua* &c. „*Collecta in faſciculos colligantur atque ita veneunt. Dilutiori viridi* „*colore nitent, non ex candido nigricant -- odore nequaquam caput fe-* „*riunt, ut reliqua odorata.*„ *Ceterum nonnullas fabulas* Dioſcoridis, Plinii, Avicennæ *& quorundam recentiorum errores corrigit, & denique addit:* „*Non opus erat ἀντιβαλλομένῳ, ſi diligentiores es-* „*ſent pharmacopolæ & medici Luſitani; ſiquidem tanta ejus copia hinc* „*exportari poterat, quæ univerſæ Europæ ſufficeret. Ejus autem pe-* „*nuria, Canellæ foliis utantur, ſi ea nanciſcentur: ſin minus, Spica* „*Nardi, non autem Maci, ut voluerunt nonnulli.*„ Cluſius, *hujus A. interpres, his ſubjungit:* „*Folium indum, quale hic A. deſcribit, ad*

„nos etiamnum adfertur, *ipsis tenuioribus ramis interdum adhuc inhæ-*
„*rens & integrum, quale nos hic expressimus*„ &c. *In hac icone ra-*
mus apparet quatuor foliis adhuc præditus, quorum duo in apicem valde
acutum, tertium obtusiorem & quartum infimum plane obtusum abeunt,
omnia autem tribus nervis crassis instructa sunt ex latiori folii basi ortis.
Huic iconi addidit quoque tres figuras in magnitudine naturali: duas
baccæ cum cupula, & unam cupulæ separatæ; sed in descriptione monet,
se has baccas accepisse cum hac inscriptione: Fructus Canellæ ex quo-
rundam sententia, ex aliorum vero sententia Tembul convol-
vuli in India: *simul vero monet, se intellexisse, tales fructus cum folio*
indo interdum afferri, & certum esse, eum a Tembul fructu longe dif-
ferre: hinc in quinta Garciæ editione, quæ ejus Exoticorum liber septi-
mus est, p. 178. *huic iconi inscripsit: Tamalapatra, ramulus cum fru-*
ctu. Cordvs, *annot. in Dioscor. p.* 3. *a. cap.* 11. *longe aliam hujus fo-*
lii dedit definitionem: „*est (scribit) Malobathrum folium pene rotun-*
„*dum & disci figura orbiculatum, trium fere digitorum quoquoversus*
„*latitudine* &c. *Reliqua de ejus colore, substantia, sapore, odore, bre-*
vitatis caussa omittimus: hoc tamen adhuc jungimus, hunc A. pariter ad-
dere: ejus in locum folia Casiæ, Cinnamomi & Caryophylli folia substi-
tuta esse, quæ pro Malobathro quidem in usum recipere licet, sed non
ita appellare. Ex binis his citatis auctoribus palam jam est, quam longe
inter se differant hujus folii descriptiones: plures afferre supervacaneum
esset, quum varias variorum relationes atque sententias ex græcis, ara-
bibus, latinisque, veteribus æque ac recentioribus, improbo labore col-
legit Io. Bavhinvs *Hist. I. l. IV. c. IX. p.* 431 -- 435, *ut doceret,*
quid per Folium & Malabatrum intellexerint, explosisque fabulosis de-
prehendit, plurimos Cassiæ, Cinnamomi & Caryophylli folia illi substituis-
se, nonnullos quoque idem cum foliis Betel *seu* Betre *confudisse: quare*
denique ejus historiam pronunciat intricatam, eamque Garciæ *relatione*
concludit. Ipse Bauhinus *repetit* Clusii *figuram, & folia ita descri-*
bit: „*Folia magnitudine variant: nam aliquando dodrante* (novem di-
„gitis) *longiora prostant, alias palmum longa, latitudine unius aut dua-*
„*rum triumve unciarum. Forma laurini folii: latiora tamen, & quæ-*

dam

„dam rotunda fere (an hæc ex propria obſervatione?) cui & ni-
„tore non cedunt parte ſuperiore: color enim parte inferiore eſt cinera-
„ceus. Iam vero inſignis eſt coſtarum nota, quas ternas ſemper habet,
„(hæc nota ſpecifica quidem non eſt: omnes enim Cinnamo-
„mi & Caſſiæ, ne dicam Camphoræ, ſpecies eadem nota gau-
„dent) easque ſubtus quam ſupra magis extantes, mediam rectam, la-
„terales pari ab ea intervallo abſcedentes, ſinuatas, a quibus hinc inde
„& in margines venulæ transverſæ diſcurrunt. Sapor aromaticus.„
Qui C. Bauhinum p. 410, ten Rhyne *Breyn. Prodr. I. p.* 4. (7) Raium, p. 1563, Daleum p. 327 *b* (*qui plura Cinnamomi & Caſſiæ ſilveſtris ſeu ſpuriæ nomina, ab aliis diſtincta pro ſynonymis declarat, & folia ipſa oblonga, acuminata, denſa & glabra, odore grato, cum tribus nervis a petiolo ad apicem diſcurrentibus deſcribit*) & Geoffroy *de vegetab. exot. p.* 264. (*qui eandem definitionem dedit, additque illud Cinnamomi folio ſimile eſſe, & ab hoc nonniſi odore & ſapore differre; p. ſeq. autem, antecedentis deſcriptionis immemor, cum* Katou-karuæ *foliis confundit, hujusque arboris deſcriptionem & characterem pro Malabatri arboris definitione tradit*) *conſulit, certiora non inveniet, quam quod arbor horum foliorum ſpecies vel varietas ſit Cinnamomi aut potius Caſſiæ, nullum vero foliorum tam prægrandis magnitudinis, qualia fert Katou-karua malaborum, mentionem feciſſe, neque etiam ullum arboris characteres proprios definiviſſe.* Io. Commelinus *quidem in nota, Katou-karuæ deſcriptioni addita, Malabatri ſ. Tamalapatri Dioſc. & Plin. meminit, ſed videtur, illum Karuæ ſeu Caſſiæ ligneæ folia intelligere, &, ſi Katou-karuam intelligit, non tamen aſſerit, hujus & Malabatri folia eſſe eadem, ſed an ſint? ex aliis quærit: addit enim, hæc* (ſc. Malabatri folia Dioſc. & Plin.) *hactenus nondum innotuiſſe. Quæ de* Muntingii *icone & deſcriptione hujus arboris cenſenda ſint, in Caſſiæ n. VIII. expoſitione ſequentur. Curioſitatis gratia examinavi folia, quæ in ſex pharmacopoliis noſtræ urbis Norimbergenſis hoc nomine proſtant & obſervavi ſequentia. Omnia in his* conveniebant, 1. *quod ſubſtantia eorum tenuis quidem & quaſi membranacea ſeu pergamena, firma tamen & denſa, hincque, ſicca ſaltem, friabilis ſit;*

2. quod per singula tres nervi a folii petiolo ad apicem excurrant: unus medius rectus & crassior, duo arcuati graciliores, in superficie superiore plani, in inferiore prominentes, cum multis venis seu nervulis tenuibus & superne vix conspicuis, transverse ab uno nervo ad alterum æque ac ad margines dispersis; 3. quod superior superficies glabra sit & splendens, inferior magis obscura seu minus polita, non tamen aspera; 4. quod sapor sit mucilaginosus aromaticus, ex caryophylleo & laurino quasi mixtus cum aliqua dulcedine cinnamomea, denique quadam acredine linguam stimulante, qui tamen sapor in aliis vividior, in aliis, procul dubio ex ætate, languidior sentiebatur. Differebant autem valde non solum longitudine & latitudine, verum etiam figura. Alia namque ex basi latiore atque omnino ovata seu subrotunda, alia ex angustiore & quasi lanceolata in apicem nunc angustiorem longum & valde acuminatum, nunc latiorem, breviorem & obtusiorem terminabantur ita, ut (in proportione latitudinis ad longitudinem varia) alia lanceolata, alia ex ovato oblonga, aliaque penitus ovata, immo quædam ex unico pharmacopolio petita Mali cotoneæ foliis similia comparuerint. Maxima sex septemve, minima tres digitos Rhen. geom. longa erant; amplissima duos cum dimidio digitos vix superabant, & angustissima minimum unum digitum æquabant. Longissimum septem digitorum, sesqui digitum latum, alterum sex cum dimidio alterumque sex digitos longum, duos latum erat; ex minimis tres digitos longis nihilominus lata erant unum digitum, & ex Mali cotoneæ foliis similibus aliqua tres quatuor & quinque digitos longa, duos, duosque cum dimidio lata erant. In uno horum pharmacopoliorum inveni etiam talem foliorum fasciculum, qualem Garzia & Clusius annotarunt, qui quinquaginta folia, integra & lacerata, comprehendebat ita disposita, ut alterno ordine petioli in utroque ejus extremo prominuerint, & chartacea fascia utrimque firmata sericeoque filo consuta fuerint. Hæc longitudine tribus vel quatuor, latitudine uni vel sesqui digitis respondebant, nullum autem duobus. Atque hæ varietates non solum in variis pharmacopoliis memoratis verum etiam in uno eodemque occurrebant, ex quo certior factus sum, determinatam magnitudinem & figu-

figuram Malabatri folio adſcribi haud poſſe, ea tamen Caſſiæ potius quam Cinnamomi foliis ſimilia eſſe.

VII. Laurus foliis lanceolatis venoſis perennantibus, corollis quadrifidis *Linn. H. Cliff.* 155. *n.* 7. *H. Vpſal. e* 8) *p.* 98. *Roy.* 226. *n.* 1. *Wachend.* 259. *n.* 1. *Laurus nobilis.*

Laurus foliis lanceolatis venoſis perennantibus, floribus quadrifidis dioicis *Linn. Mat. med.* 65. *n.* 94. *Spec.* 369. *&* *S. N. n.* 4.

Laurus vulgaris *Bauh. pin.* 460 (*Linn. H. Vpſ. Mat. med.*)

Laurus *Dod. pempt. f* 8) *edit. I. p.* 837. *II.* 849. *Dalechamp. hiſt.* (*vid. ſupra p.* 284. *n.* 5.) *p.* 351. (*Linn. H. Vpſ.*)

Laurus *Camer. Epit. g* 8) *p.* 60. (*Linn. Spec.*)

Mas	Femina.
Laurus vulgaris, quæ floret tantum *C. B. pin.* (*Linn. H. Cl.*)	Laurus vulgaris, quæ fructum fert *Bauh. pin.* 460. *Boerh. Lugd. II.* 216. (*Linn. H. Cl.*)
	Laurus baccalis (baccalia) *Cæſ. Syſt.* 52. (*Linn. H. Cl.*)
Laurus, quæ floret tantum *Cæſalp. Syſt.* (*vid. ſuprap.* 284. *n.* 3.) *p.* 52. (*Linn. H. Cl.*)	Laurus *Bauh. hiſt. I.* 409. *Dod. Pempt.* 489. *Dalech. hiſt.* 351. (*Linn. H. Cliff.*)

e 8) Car. Linnæi *Hortus Vpſalienſis, exhibens plantas exoticas Horto Vpſalienſis Academiæ a ſeſe illatas ab a.* 1742. *in annum* 1748. &c. Amſtel. 1748. 8. maj.

f 8) Remb. Dodonæi *Mechlingenſis, Medici Cæſarei ſtirpium hiſtoriæ pemptades ſex ſive libri XXX.* Antw. 1583. fol. maj. *eodem titulo varie ab Auctore paullo ante mortem aucti & emendati.* Ibid. 1616. fol. maj.

g 8) *De plantis epitome utiliſſima* Petr. Andr. Matthioli *Senenſis, Medici excellentiſſ.* &c. *Novis iconibus & deſcriptionibus pluribus*

Patria. Crescit in sepibus Italiæ Raius, in monte Atho celsas Lauros reperit Bellonius *b* 8) *Linn. H. Cl. & Vps.* In Græcia & Italia *Linn. Mat. med. Spec.* In monte Ida idem *Bellon. C. XVII. p.* 35. a. In Creta, Hispania, Gallia Narbonensi *Agnethl. Diss.* latifolia in Asia, unde baccas sæpius accepit *Millerus:*

Varietates in Horto Cliffortiano indicatæ.

Mas.	Femin.
α Laurus vulgaris mas *Boerh. Lugd. II.* 216. *n.* 4.	α Laurus vulgaris fœmina *Boerh. Lugd. II.* 216. *n.* 6.
β Laurus vulgaris folio undulato mas *Boerh. ibid. n.* 7.	β Laurus vulgaris folio undulato fœmina *Boerh. ibid. n.* 8.
Laurus triumphalis *Cæs. Syst.* 52.	
γ Laurus tenuifolia mas *Boerhav.* 16. *n.* 9.	γ Laurus tenuifolia fœmina *id. ibid. n.* 10.
δ Laurus latifolia mas *Boerh.* 215. *n.* 2.	δ Laurus latifolia fœmina *id. ibid. n.* 3.
Laurus πλατυτερα Dioscor. quæ sterilis *Bauh. pin.* 460	
ε Laurus vulgaris folio elegantissime variegato aureo *Boerh.* 216. *n.* 5.	ε Laurus eadem fœmina *Linn. H. Cl.*

His

bus nunc primum diligenter aucta a D. Ioach. Camerario *Medico incl. Reip. Norimb.* &c. Francof. ad Mœn. 1586. 4. maj. *Idem exemplar titulo paullulum ampliato prostat* ibid. a. eodem, forma eadem.

b 8) *Les Observations de plusieurs singularités* &c. *par* Pierre Belon *du* Mans &c. En Anvers 1555. 8. L. I. c. XLIII. seq. p. 71. a. seq. Petr. Bellonii *Cenomani plurimarum singularium & memorabilium*

His adhuc addenda eſt Laurus vulgaris flore pleno H. R. Monſp. *i*8) *Tournef. Inſt. R. H.* 597.

Hanc Laurum flores duplicis generis, maſculinos & femininos, illos ſteriles hos fœcundos, in diſtinctis ſtirpibus proferre, a THEOPHRASTI *Ereſii tempore jam notum fuit. Deſcriptionem hujus ſtirpis omnium locorum notiſſimæ hic exhibere, ſupervacaneum eſſet: qui talem deſiderat, conſulat Auctores citatos & conferat* Agnethleri *diſſertationem ſupra p.* 328. *nota t* 5 *indicatam p.* 8. *Neque etiam utriusque ſexus characteris deſcriptione opus eſt, quum de hoc ſuperius p.* 323 – 338. *fuſius actum fuit. Reſtant ſolummodo pauca de* Varietatibus *hic addenda.* TABERNEMONT. *Herbarii ſeu Kreuterbuchs part. III. prima editione poſthuma (vid. p. ſuper.* 285. *not. g) p.* 653. *ſeqqu., ut & inter ejus icones ſigillatim excuſas k*8) *p.* 591. *ſeqq. delineantur & deſcribuntur jam* Lauri vulgaris, tenuifoliæ & latifoliæ mas & femina, *nec non* anguſtifoliæ mas; *ſed tam imperfecte, ut nihil doceant.* MILLERVS *vero nonnulla obſervavit notatu digna.* Varietatem α. & β. (*quæ poſterior ab illo vocatur* Laurus foliis lanceolatis venoſis perennantibus, marginibus undulatis, & *habetur* pro Lauro vul-

bilium rerum in Græcia, Aſia, Ægypto, Iudæa, Arabia aliisque exteris provinciis ab ipſo conſpectarum obſervationes tribus libris expreſſæ. CAR. CLVSIVS *Atrebas e Gallicis Latinas faciebat* Antverp. 1589. 8v. maj. l. c. p. 92. b. & *denuo recenſebat. Altera editio, longe caſtigatior & quibusdam ſcholiis illuſtrata,* Raphelengii 1605. fol. maj. l. c. p. 40. Addita eſt hæc editio Car. Cluſii exoticorum libris X. ibid. eod. a. editis.

*i*8) *Hortus Regius Monſpelienſis ſive Catalogus plantarum, quæ in horto Regio Monſpelienſi demonſtrantur a* PETR. MAGNOL, *Regis Conſiliario* &c. Monſpelii 1697. 8. maj. p. 114.

*k*8) *Eiconer plantarum ſeu ſtirpium* &c. *in tres partes digeſtæ, adjecto indice gemino, curante* NIC. BASSÆO, *typograph. Francofurtenſ.* Ibid. 1590. 4. maj. oblongo. Rubrum equidem auctorem non indicat, dedicatio tamen atque præfatio.

vulgari folio undulato *H. R. Par.* 18) *pro veris agnoscit varietatibus, quia ex iisdem seminibus educatæ plantæ juniores folia obtinebant & plana & undulata inter se mixta;* varietatem ♂ *vero, quam, Linnæano nomine,* Laurum foliis lanceolatis venosis perennantibus, floribus quadrifidis dicœciis *n.* 1. *allegat, pro distincta declarat specie, quia non solum folia multo latiora & teneriora* (smoother) *habet, verum etiam in Angliæ libero aere non vegetat, sed in vasis colenda & in hibernacula transferenda est, vulgaris vero auram liberam incolumis semper sustinet, nisi biems valde severa sit. De* varietate γ, *quæ ab illo n.* 3. *vocatur* Laurus foliis lineari-lanceolatis venosis perennantibus, floribus quinquefidis dicœciis, *quamque pro* Lauro tenuifolia Tabern. ic. 952. *agnoscit, refert, ejus folia esse valde longa angustaque, neque tam crassa quam* α & ♂. *& lætius viridia; ejus ramos tectos esse cortice purpurascente; masculos flores formare exiguos racemos* (clusters) *& provenire ex foliorum alis ramos arcte adsistentes; hanc quoque speciem nimis teneram esse, ut Angliæ liberum aerem baud ferat, quare uti* ♂ *vasis inseritur & in hibernaculis conservatur.* Varietatem ε *nomine Boerhaaviano in sexta quidem editione recenset, in septima vero non amplius: ibi eam pariter vulgari multo teneriorem declarat, hincque vasis quoque committendam & in hibernaculo conservandam esse, suadet. Cum his conferri possunt* Laurus 1. latifolia *seu* triumphalis; 2. fœmina; 3. gallica angusto folio crispo dilute viridi; 4. gallica lato folio crispo obscure viridi; 5. odorata serrata minor stapeliana 6. serrato folio odorata major Hermanni, *quas* Steerbeck *in sua Citricultura p.* 236. *seqq. describit & dineat. Atque hæc sunt, quæ de varietatibus annotata inveni.*

Optan-

18) *Hortus Regius. Pars prior* Parisiis 1661. fol. Auctorem esse Dionys. Ionqvet, Doct. Med. Paris. Ord. & Horti Regii botanicum Professorem docet ejusdem præfatio, cui alia præfixa est Ant. Vallot, Archiatri. Partem posteriorem non vidi, neque etiam Segvierivs Biblioth. bot. p. 91. (ubi hunc librum indicat) ejus mentionem fecit. Est autem prior pars nil aliud, quam Catalogus plantarum in horto regio cultarum, & Laurus citata occurrit p. 102.

Optandum ſane eſt, ut aliquando certi limites inter ſpecies & varietates ponerentur. Mea quidem opinione diſtinguendæ ſaltem eſſent varietates (*quibus cum ſpeciebus conjungendis* Linnæus *magnopere favet*) *in* mutabiles & conſtantes: *Mutabiles ſ. varietates proprie dictas vocarem illas, quæ e. gr. a loco natali alibi translatæ ex pumilis fiunt altæ, ex glabris aſperæ, ex erectis humifuſæ &c. vel contra; conſtantes ſ. differentias vero illas dicerem, quæ partium totius ſtirpis magnitudine, ſuperficie, firmitate &c. quidem differunt, hunc tamen habitum cultura non mutant: id quod viris auctoritate gravioribus perpendendum relinquo.*

Ex Linnæi Flora Zeylanica 1747.

VIII. Laurus foliis lanceolatis trinerviis, nervis ſupra baſin unitis *Linn. Fl. Zeyl.* 62. *n.* 146. *Mat. med.* 64. *n.* 2. *Spec.* 369. *n.* 2. *Caſſia.*

Laurus foliis triplinerviis lanceolatis *Linn. S. N. n.* 2.

Cinnamomum perpetuo florens folio tenuiore acuto *Burm. Theſ. Zeyl.* 63. *t.* 28. (*Linn. Fl. Zeyl. Spec.*)

Cinnamomum ſive Canella Malabarica ſive Iavanenſis *Bauh. pin.* 409. *Raii II.* 1560. (*Linn. Fl. Zeyl. Spec.*)

Canella arbor ſylveſtris *Munt. Aardgew. p.* 119. *fig.* 120. *Oeffen. der Plant. edit. I. p.* 83. *II.* 89. *Phytogr. p.* 4. *fig.* 22. (*vid. p. ſuper.* 292. *nota cc.*)

Caſia aromatica *Cordi Hiſt. St. L. IV. cap. XI. p.* 192. *a. & cap. LII. p.* 299. *b.*

Caſſia lignea officin. *Herm. Cynoſ. mat. med. p.* 94. *Dale Pharmacol. p.* 327. *a. Geoffr. Veget. exot. p.* 171.

Caſſia malabarica *Herm. Lugd. II. p.* 130. (*Linn. Mat. med.*)

Caſſia cinnamomea, Myrrhæ odore, folio trinervi ſubtus cæſio *Pluk. Alm.* 89. (*Linn. Fl. Zeyl.*)

Carua *Rheed H. Mal. I. p.* 107. *t.* 57. (*Linn. Fl. Zeyl. Mat. med.*)

Dawal kurundu. Nicadawula *Herm. Zeyl. p. 62.* (*Linn. Fl. Zeyl.*)

Patria. Malabaria, Iava, Sumatra. *Linn. Mat. med. Spec.*

Linnæus *in Flora Zeylanica* Cassiam *primum a* Cinnamomo *distinguens hanc p. 82. addit Observationem:* „*Hanc speciem olim pro* „*antecedentis* (Cinnamomi) *varietate habui, nunc vero, qua nota hanc* „*a Camphorifera Iaponensium distinguam, non novi; folia enim Cinna-* „*momo tenuiora, nervis ante basin coeuntibus ut in Camphorifera; sub-* „*tus rore cæsio illinita, ut Camphora, & simul lanceolata ac tenuiori* „*substantia quam præcedentis* (Cinnamomi)„ *Deinde vero in Materia medica* Cassiam *a Camphora distinguens*, Cassiæ *folia lanceolata*, Camphoræ *lanceolato-ovata adscribit. Quod ad ipsius Cassiæ descriptionem attinet, quum* Hermannus, *ut &* Burmannus *æque ac* Linnæus, *non solum confirmarunt, quod plures antea affirmarunt m* 8), *Cinnamomum Zeylanicum nempe & Cassiam Malabaricam corticis tantum præstantia differre & utriusque fructificationis partes optime jam in Horto Malabarico l. c. descriptas & delineatas esse:* Linnæus *insuper posterioris characterem specificum a sola foliorum figura nervorumque cursu alio desumpsit, hoc vero opus pretiosum non in omnium manibus versetur: neque supervacaneum neque inutile quidem foret, illam ipsam descriptionem ex fonte suo repetere; quum vero Rajus l. c. idem jam præstitit, ut spatio parcamus, satis erit, præcipua momenta excerpta, maximam partem ipsis A. verbis hic sistere & cum figuris, quibus* Raii *opus caret, conferre. Arbor ad quatuor quinqueve hominum altitudinem assurgit;* radix *crassa, recta se in terram demittit, ejus cortex fortem camphoræ odorem spirat;* lignum *durum, solidum albicans, odoris nullius est;* caudex *ambitu amplexum unius brachii implet;* folia *tum bina tum solitaria proveniunt, petiolis curtis, ferme semipollicaribus, crassiolis & interne late striatis, suntque forma oblongo-rotunda, in summitate*

m 8) vide numerum VI. antecedentem p. super 371. & 372. & conferantur Observationes Andr. Cleyeri *Miscell. curios. Academiæ N. C. Dec. II. A. IV. Obs. VI. p. 8.* & Theod. Caroli *l. c. A. VIII. Obs. LIX. p. 149.*

mitate cuſpidata, media parte latiſſima, at quum minora & teneriora, prope petiolum; longitudo maxima ſpithamæ & amplius (figuræ maximum ſex digitos Rb. geom. longum & unum cum tribus partibus alterius latum eſt) ſuperne viroris vegeti & vividi, ſubtus dilutiora, quum tenera, coloris hepatici, vetuſtiora ſicciora, magis rigida ac fractu facilia, in minorem ambitum contracta, & interiora verſus criſpa. E petiolo tres coſtæ viridi-dilutæ ac flaveſcentes excurrunt, media lateralibus nonnihil craſſiore, in recta & averſa parte extantes; laterales duæ primum brevi intervallo rectis tractibus meantes ac ad mediam junctæ (in figura laterales ad dimidii pollicis a petiolo diſtantiam cum media coeunt) inde obliquo ac annulatim (arcuatim) inflexo ductu anteriora verſus alte aſcendunt ac proxime ad cuſpidem progrediuntur, ubi venulas ſubtiles, quæ cuſpidem verſus deferuntur, diſparent: ex coſtis extantibus plurimæ fibræ per ipſum folium transverſim egrediuntur, ſubtili cancelliformium venarum contextu comitatæ (hujus figura non addita eſt) &c. Folia ſunt forti ac aromatico odore, præcipue trita, ipſum Cinnamomi odorem ſpirantia & ſapore quoque Cinnamomi, ſed minus vegeto. Florum pedunculi ex alis foliorum prodeunt, plures congregatim ſ. umbellatim (in figura quidam ramos etiam terminant, omnes ſolitarii & ſesqui pollicem circiter longi, ſed in faſtigio in aliquot laterales & breviores diviſi); Flores ipſi, qui menſe Ianuario ſemel in anno comparent, ſunt ſtelliformes ac parvi, conſtantes ex ſex foliolis, e viridi dilute albicantibus, parum oblongis ac rotundis oris (in figura apice acuto) anteriora verſus contractis ac brevi collo ſeu pediculo odoris amœni. „In „medio corculum eſt, conſtans ex duabus ſtaminum ſeriebus, in exte„riore ſtamina ſex, viridi-clara, ſupra alia emicantia, in ſuperiore „parte plana ac latiora; in interiore itidem ſex, tenuia ac parva, cum „nodulis ſeu apicibus flavis ac craſſiuſculis: atque in ea ſerie ex iis in„ſuper tria ſtamina cum illis, quæ in exteriore ordine ſimilia, pari„bus intervallis emicant, complectentia ſtylum tenuem ac viridem, in „vertice nigricantem, qui ex capitulo viridi oblongo, quod primordium „fructus eſt ac in pediculi ſuperiore parte continetur, egreditur. Flo„ribus ad pediculum adeſt calyx arctus & exiguus„ (Floris partium

accurata figura deficit). „ Fructus sunt baccæ oblongo-rotundæ, tere-
„te forma instar glandis quercinæ, arcte inclusæ in calyce profundiolo,
„crassiolo, viridi, qui sex cuspidum est „ (figura delineat hunc caly-
cem ita, ut tertiam circiter baccæ partem obtegat, cujus ora in dentes
obtusos profunde, & quidem in uno calyce, ex quo bacca exemta,
octies divisa est) „ suntque superficie glabri, primum viridi-fusci ac ni-
„tentes, ac punctulis albicantibus conspersi, & tum sub cortice pulpa vi-
„ridi-clara &c. continent unum grandem nucleum, oblongo rotundum &
„glabrum, qui cortice tenui, cartilaginoso obtectus est & pulpa densa ex
„albo rubescentis ac incarnati coloris &c. quum maturi, sunt cœruleo-
„fusci & nitentes, qui color est in tenui exteriore membrana „ &c.
Secundum delineationem bacca est ovalis figuræ, magnitudinis olivæ me-
diocris, nux magis oblonga. Si hujus auctoris descriptio atque delinea-
tio Cassiæ cum illis aliorum conferuntur, haud leves se manifestant dif-
ferentiæ. Illustrationis caussa citatos tantum auctores paullulum perlu-
strabimus. 1. Burmanni Cinnamomum perpetuo florens, (quod Lin-
næus antea pro n. VI. varietate habuit, nunc autem pro eadem Cassiæ
malabarica declarat) folia habet ad basin multo latiora, & nervi late-
rales cum medio ex petiolo oriuntur, in nullo vero ad apicem usque ex-
currunt; pedunculi florigeri in multo copiosiores laterales abeunt, & flo-
res, ut descriptio monet, in summo plurimos collectos continent. Flores
ipsos hic A. figuris marginalibus illustrat & ita describit: „ e calyce tu-
„buloso, oblongo unifolio, lappaceo, ore quinquefido oritur petalum uni-
„cum (Corolla) infundibuliforme, quinquefidum cum staminibus quinque,
„longitudine petali, & pistillo unico capitato; fructus dein infra caly-
„cem provenit umbilicatus, bacca monosperma subrotunda „ Ceterum
Burmannus hanc stirpem pro Cinnamomo (licet forte ignobiliore) de-
clarat, quia odor ejus aromaticus, gratus, in foliis contritis id testa-
tur. An sit mas n 8) aliis, qui vivas eas in loco natali aliquando exa-
mina-

n 8) Silentio hic prætereundum haud est, quod Anonymus supra p. 370 nota k 7 citatus de Cinnamomo, cujus folii figuram n. 9. exhibuit (quod basin angustam, apicem longum valdeque acutum & tres

minabunt, judicandum relinquit. 2. Raius *deſcriptioni ex H. Malab. deſumtæ nihil addidit.* 3. Muntingius *æque, ac ejus commentator* Kiggelairus, *ſuam Canellam ſilveſtrem pro ipſa Malabarica declarat, ejus figura quoque (quæ tractationi de plantis: Oeffenung der Planten, nondum addita fuit) cum illa ſatis convenit. Folia delineantur alterna, circa longitudinis medium latiſſima (deſcriptio indicat, ea raro tres digitos latitudine excedere, plerumque 7. vel 8. digitos longa eſſe) utroque, magis tamen ſuperiore extremo angusta, nervi tres ex ipſo petiolo provenientes & ad apicem usque diſtincte excurrentes. Fructus, ut & eorum calyces ſeu cupulæ cum oris profunde dentatis, delineantur multo minores, quam in H. Malabarico, flores autem multo majores & ſpecioſiores (id quod huic A. ſolenne eſt) cum ſex ſegmentis repandis in apice acutis, & cum multis ſtaminibus prominentibus & medium occupantibus, neque tamen ſatis diſtinctis, quemadmodum etiam deſcriptio floris (quam de Cinnamomo Ceylanico tantum addit) nonniſi ſuperficiaria eſt.* 4. Cordus (*cujus Caſſiæ aromaticæ folii deſcriptionem, ex ejus Hiſt. Stirp. L. IV. cap. XI. p.* 192. *a. deſumtam, ſecundum relationem* Raii, *qui p.* 180. *lin. ult. hanc cum Cinnamomo ſ. Canella Zeylanica eandem eſſe affirmat, interſertis* Cordi *verbis a* Raio *omiſſis ſuperius p.* 375. *exhibuimus) l. c. p.* 199. *b. cap. LII. idem folium accuratius deſcribit & a Malabatri Cinnamomique folio penitus diverſum eſſe ac ſine dubio a viliore & non adeo efficaci Caſia produci docet, ipſum autem folium hiſce deſcribit:* „*eſt figura oblongum, utrinque mucronatum, ſpecioſum, den-*
„*ſum, craſſum, atque interiore ſua parte glabrum, nitidumque; poſte-*
„*riori autem tribus eminentibus nervis ab uno mucrone ad alterum tranſeun-*
„*tibus exaratum, quorum medius craſſior eſt, rectaque extenditur, reli-*
„*qui vero duo, qui utrinque ſunt, in arcum flectuntur, utrumque folii*
„*limbum ſequentes: nullus enim tortuoſus aut in ramulos diviſus eſt.*

„*Magni-*

& tres nervos ex petiolo ad hunc usque excurrentes monſtrat) annotavit, hanc nempe ſtirpem dici *Mael Coronde*, ſive floridum Cinnamomum, quia perpetuo florum amœnitate ridet (qui illis optimi generis Cinnamomi ſc. n. VI. recenſiti proxime accedunt) ſed nulli inde fructus proveniunt.

„ *Magnitudo foliorum non est eadem, plerumque tamen 5. 6. aut 7.*
„ *uncias longitudine æquat, latitudine autem 3. aut circiter. Colorem*
„ *habet in cineraceo & pallido, cum ad nos pervenerit, virescentem: sa-*
„ *porem vero glutinosum, tenuem, aliquantulum subacrem & quandam Cin-*
„ *namomi gratiam resipientem. Odorem quoque subacrem aromatum modo*
„ *jucundum, veluti si quis Piperis & Cinnamomi odores commisceat.* „ *Denique l. c. p. 212. hujus folii figuram adjecit, cujus petiolus brevis, ipsum folium quatuor cum dimidio dig. Rhen. geom. longum, unum cum tertia parte alterius latum, utroque extremo parum tantum angustato; quam figuram vero* Conr. Gesnervs *in meo* Cordi *exemplari manu sua ita correxit, ut petiolus multo longior & angustior, folii basis amplior, mucro acutior & amplitudo duabus lineis auctior compareat, quemadmodum in* Gesneri *Operibus botanicis posthumis* o 8) *hæc figura tab. æri incisa* 70. *f. ultima a dextris repræsentata est.* 5. Plukenet *citat* Ionstoni *Dendrograph. t.* 53. *ubi reperiuntur quatuor folia sigillatim delineata: unum Canellæ Columnæ, & tria Canellæ veræ ita nominatæ, omnia cum basi ovata & mucrone acuto, ut & duobus nervis lateralibus cum tertio medio longe a basi unitis.* 6. Dale *præter synonyma, inter quæ & H. Malabar. Carua, & corticis descriptionem nihil affert.* 7. Geoffroy *Cinnamomi & Cassiæ arboris earumque partium descriptionem simul dat, nec quicquam peculiare addidit. Si* Cinnamomi, Camphoræ, *&* Cassiæ *characteres specifici inter se conferuntur, apparebit, singulorum nullum omnino constantiorem esse, quam folii figuram in* Camphora ovato lanceolatam, *in* Cinnamomo oblongo-ovatam *& in* Cassia oblongo,

o 8) Prostant hoc titulo: Conr. Gesneri, *Philosophi & Medici celeberrimi, opera botanica per duo sæcula desiderata, quorum Pars prima Prodromi loco continet figuras ultra cccc minoris formæ partim ligno excisas partim æri insculptas. Omnia ex Bibliotheca* Chr. iac. Trew &c. *nunc primum in lucem edidit & præfatus est D.* Casim. Christoph. Schmiedel, *Sereniss Marcb. Brandenb. Culmbac. Consiliar. aulicus, Med. Anat. & Bot. Prof. Publ. Ord. in Academia Fridericiana Erlangensi, Societ. Imper. N. C. Socius.* Norimb. 1753. fol. max.

oblongo-lanceolatam. *Si quorundam Auctorum deſcriptiones aut figuræ variant, ſine dubio ex ſingularum varietatibus nondum ſatis cognitis deſumtæ ſunt; nervorum numerus triplex magis conſtans eſt, minus vero eorum ortus vel prope vel ſupra petiolum, itemque excurſio usque ad folii apicem.*

Ex Linnæi Materia medica 1749.

IX. Laurus foliis enerviis obverſe ovatis obtuſis *Linn. Mat. med. p. 66. n. 196. Spec. p. 171. n. 11.* *Winterana.*

Laurus foliis enerviis ovatis obtuſis *Linn. Spec. 371. n. 11.*

Winterana *Linn. Syſt. Nat. ed. X. p. 1366. Ludw. p. 316. n. 789.*

Winterania *Linn. H. Cliff. p. 488.*

Winteranus Cortex *Blakw. Herbal t. 206.*

Winteranus ſpurius Offic. *Geoffr. veget. exot. p. 174.*

Vinterani (Canellæ albæ) Cortex Offic. *Linn. Mat. med.*

Canella foliis oblongis obtuſis nitidis, racemis terminalibus *Brown. Iamaic. p. 375. t. 27. f. 3. (Linn. S. N.)*

Cinnamomum ſeu Canella Peruana *Bauh. pin. 409. (Linn. Spec.)*

Caſſia lignea Iamaicenſis Laureolæ foliis ſubcinereis, cortice Piperis modo acri *Pluk. Almag. 89. t. 160. f. 1. (Linn. Sp.)*

Caſſia cinnamomea ſ. Cinnamomum ſylveſtre Barbadenſium *Pluk. Almag. 89. Phyt. t. 160. f. 7. (Linn. Spec.)*

Arbor baccifera laurifolia aromatica, fructu viridi calyculato racemoſo *Sloan. Cat. Iamaic. 165. Iter Iam. I. p. 87. t. 191. f. 2. Catesb. Car. II. t. & p. 50. (Linn. Spec.)*

Patria. Iamaica, Carolina & Barbados *Linn. H. Cliff. Mat. med. Spec.*

r *Diu incognita fuit vera & completa hujus ſtirpis hiſtoria. Mirum propterea non eſt*, Linnæum *hæſitaſſe*, *cui generi adſcribenda ſit.*

In

In Horto Cliffortiano eam inter indefinitas plantas recensuit, & eandem in Materia medica Plantarumque speciebus Lauri generi adjudicans ultimo loco ingenue monuit, flores se ipsum non vidisse. Quum ergo Browne *hujus stirpis, quam* Canellam *vocat, proprium characterem descripsit & delineavit, itaque probavit, hanc stirpem nec fructu nec flore Lauri characteri respondere:* Linnæus *quoque eam pro peculiari genere agnovit, illi vero prius impositum Winteranæ nomen servavit. Quamvis autem certum nunc sit, Canellam hanc peculiare constituere genus, nondum tamen id pariter de Cortice Winterano evictum est: nam omnes non consentiunt, stirpes & hunc & illum corticem suppeditantes esse ejusdem generis, licet aromatarii utrumque corticem confundant, vel potius Canellam albam Cortici Winterano multo rariori substituant, quia, illorum opinione, ratione virtutum nulla vel saltem exigua intercedat differentia. De hac controversia momenta primaria atque Auctorum supra citatorum aliorumque descriptionum figurarumque examen quum in Herbarii Blackwelliani emendati & aucti t. 206. expositione jam annotavi, ea hic repetere supersedeo, præcipue quum hæc Canella a Lauri genere nunc separata est. Id unicum addo.* Plukeneti, Sloane, Blackwelliæ, Catesby & Browne *figuras quoad folia quidem valde inter se convenire, nihilominus tamen* Pluckenetum *tab.* 81. Sloane & Blackwelliam *baccas cum cupula pingere;* Plukenetum tab. 160. Catesby & Browne *vero perianthium longe aliter, nempe folioſum, repræsentare.*

Ex Linnæi Speciebus Plantarum p 8) 1753.

Persea. **X. *Laurus foliis ovatis coriaceis transverse venosis perennantibus, floribus corymbosis*** *Linn. Sp. p.* 370. *& syst. N. n.* 6.

Laurus? foliis oblongo-ovatis, fructu obverse ovato, pericarpio butyraceo *Browne Iamaic. p.* 214. *n.* 4.

Persea

p 8) Car. Linnæi *Species Plantarum, exhibentes Plantas rite cognitas ad genera relatas, cum differentiis specificis, nominibus trivialibus, synonymis selectis, locis natalibus, secundum systema sexuale digestas. Tom. I. & II.* Holmiæ 1753. 8v. maj.

Perſea *Cluſ. hiſt. I. p.* 2. *Baub. pin.* 441. *Rai. Hiſt. II. p.* 1552. (*Linn. Spec.*) *Plum. Gen. p.* 44. *t.* 20. *Sterbeeck p.* 259. *Mill. Gard. dict. ed. V. & VI.*

Perſea arbor ſemper virens aromatica *Barrel. p.* 125. *n.* 378. *t.* 878.

Pyro ſimilis fructus in nova Hiſpania nucleo magno *Baub. p.* 439. (*Linn. Spec.*)

Prunifera arbor fructu maximo pyriformi viridi, pericarpio eſculento butyraceo nucleum unicum maximum nullo oſſiculo tectum cingente *Sloane Cat. Iamaic. p.* 185. *Itin. II. p.* 132. *t.* 222. *f.* 2. *Raii Dendrol. p.* 48. (*Linn. Spec.*)

Arbor americana ampliſſimis pergamenis foliis ſuperficie nitidiſſima, fructu pyriformi cruſtaceo, cortice loricato *Pluk. Almag.* 39. *t.* 267. *f.* 1. (*Linn. Spec.*)

Patria. America calida *Linn. Spec.* Iamaica *Sloane*, *Browne.*

Diu jam nota eſt hæc ſtirps, etiam in Europa culta, & ob fructus ſuos ſuaviſſimos celebris, quos vero nonniſi in patria ſua perficit. 1. Cluſii *figura ramulum ſiſtit cum foliis lanceolatis, quæ deſcribuntur Lauri latifoliæ foliis ſimilia, ſuperne viridia, inferne cinerea, firma cum nervis aliquot per obliquum diſcurrentibus* &c. *& cum florum corymbo ramum terminante, ex quo tamen plura colligi haud poſſunt, quam quod flos ſtellatus ſexfidus ſit, quem A. iterum cum Lauri flore comparat & deſcribit pallidum ſex foliis conſtantem, fructum vero per initia pruno ſimilem, deinde pyri in modum oblongum, nigri coloris jucundique ſaporis, nucleum cordis effigie continentem.* 2. Raius *priori loco* Cluſii *deſcriptionem repetit.* 3. Plumier *pariter floris & fructus imperfectam deſcriptionem dat ſyſtemati Tournefortiano accommodatam, florem tamen roſaceum definit ex plurimis petalis in orbem poſitis conſtantem, quorum ſex, tria externa & totidem interna, delineat oblonga parum acuminata* (adeoque flos non eſt monopetalus) *quibus ſingulis ſtamen petalo brevius cum anthera globoſa adſtat, quorum medium occupat piſtil-*

lum simplex cordiforme cum stylo brevissimo vel potius stigmate in vertice; fructum describit carnosum, mollem, semine fœtum duro bilobato & membrana involuto; ejus icon autem forma & magnitudine repræsentat pyrum mediocrem, absque tamen umbilico, nec perianthii seu cupulæ vestigio; pedunculus crassus brevisque est & fructus caro amplissima, quæ continet nucem ferme globosam, cujus nucleus, præter testam æqualem, tectus est peculiari involucro lacero in characteris descriptione non explicato. Hujus stirpis inter Plumerii plantas americanas a Burmanno editas nulla fit mentio. 4. Barrelieri figura sistit quidem folia Clusianis similia & florem etiam corymbosum sexfidum; sed omnia valde imminuta & sine ulla characteris proprii nota; fructum præterea pedunculi extremo in aliquot partes fisso insidentem, quod in junioribus fructibus folliosum est & corollam aliquamdiu persistentem refert. Ipse fructus maturus (quorum unus separatus additur) sici maturæ propius quam pyri, & nux cordis ferme figuram repræsentat. 5. Sloane & ex hoc Raius in Dendrol. describit arborem caudice corporis humani medii crasso, cortice canescente cinereo obducto, sulcis profundis exarato, ad 20. aut 30. pedum altitudinem adscendentem; ramorum extrema multis vestita foliis, nullo ordine positis in latescentibus uncialibus petiolis, tres uncias longis, mediaque latissima parte sescunciam latis, valde glabris, coloris obscure viridis cum lutei tinctura, costa media, e lateralibus aliquot nervis transversis formatis & nutritis; inter folia exeuntem pedunculum brevem semuncialem &c. Flores definit luteo-virides, quibus succedit fructus pyriformis utriusque pugni magnitudine, externe viridis, cute lævi, pulpa subtus unciam crassa, viridi, molli & fere insipida, valde nutritiva, nucleum continente magnum, nudum nuce juglande majorem, superficie multis tuberculis & sulcis inæqualem, in duos magnos lobos dividuum. Tabula citata repræsentat ramum cum foliis ovatis utroque extremo parum acuminatis, & florum corymbo ramum terminante, ex quo vero nullus character proprius cognoscendus: fructus figura deficit. 6. C. Bauhinus loco posteriori citato pyro similis fructus synonymum facit Palto arborem ex Ind. Occident. (vid. p. super. 286. nota n.) part. 9. (quæ ex Linschoto excerpta est) L. IV. c. 24, cujus descriptio omnino cum Perseæ fructu

fructu convenit. 7. Sterbeeckii *figura cum pedunculis florigeris Perſeæ nomine ſiſtit Laurum indicam, quæ figura melior eſt quam illa, quam ab Aldino mutuatus eſt (vid. n. IV. p. ſuper.* 356.); folium autem *ſeparatim in magnitudine naturali additum Aldinianæ iconi magnitudine & figura melius reſpondet, quam noſtræ t. IX. fig.* 18. *e.* 8. Plukeneti *figura ramum cum foliis tantum vere lanceolatis delineat.* 9. Browne *arborem mali magnitudine comparat, folia definit oblonga venoſaque & fructum pyriformem, cujus pulpa admodum firma, delicata, plurimorum hominum æque ac brutorum palato arridet, & cute denſa operta eſt, magnamque nucem aſperam continet ſimplici vel duplici tegumento membranaceo veſtitam. Hic A. pro ſynonymo adducit* Plotanum *Mart.* 513. *q* 8). *His* 10. *addimus adhuc, ejusdem ſtirpis ejusque fructus deſcriptionem occurrere quoque* in Hiſtoria ſeu collectione itinerum (*vid. p. ſuper.* 316. *ſequ. nota f* 4. *& i* 4.) *Gallicæ editionis Vol. XII. p.* 604. *Germanicæ Vol. XIII. p.* 640.) *ſed brevem tantum imperfectamque, & iconem additam refictam eſſe ad* Barrelierii *figuram. Ceterum, quia hujus ſtirpis non ſolum fructus a Lauri baccis figura &*

*q*8) In Catalogo auctorum, quorum nomina abbreviata citavit, indicat Petri Martyris *Decades Americanas*, ſed qua editione uſus ſit, non addit. In meis editionibus, quarum latina in oppido Carpetanæ provinciæ Compluto, quod vulgariter dicitur Alcala, 1516. fol. & Coloniæ 1574. 8vo itemque a Nic. Hœniger in germanicam linguam translata Baſil. 1582. fol. editis hoc nomen aut ſimilem fructum deſcriptum invenire haud potui; in Hier. Benzonis *vero hiſtoria Indiæ occidentalis* (quam italica lingua conſcriptam in gallicam verſam edidit Urb. Chavveton ſ. loco 1579. 8v. L. I. c. 28. p. 336, Hœniger unacum P. Martyris hiſtoria citata in Germanicam c. 27. p. 124. (quæ etiam extat in Ind. occi-occidental. ſuperius citatæ lib. IV. p. 131.) & in latinam idem Vrb. Calveton (ſic nomen ejus hic ſcribitur) & G. M. ſine loco 1586. 8v. c. 27. p. 124.) occurrit *Platanus*, cujus folia ſeſqui palmi latitudine, quatuor palmorum longitudine, fructus vero flaveſcentes corio, obtuſæ cultelli partis craſſitudine, veſtiti & pulpa ſaporis in dulcedinem vergentis deſcribuntur.

structura enormiter differt, verum etiam in floris descriptione Lauri essentialis character a Linnæo *definitus, nectarii scilicet vel staminum glandulæ, a nullo adhuc annotatus fuit, ea inter Lauros locum obtinere nequit. Hinc etiam* Browne *interrogando tantum eandem his sociavit,* Millerus *vero, ceterum strenuus nunc* Linnæi *sectator, ab illis merito separavit & antiquo Perseæ nomine recensuit hisque verbis latine redditis in septima ejus Dictionarii editione descripsit.* Flos *nullum habet calycem, sed compositus est ex sex petalis acutis, quæ se expandunt; adsunt sex* stamina *petalis dimidio breviora in subrotundas* antheras *terminata, & brevis* stylus germen *pyramidale coronat, quod deinde fit* fructus *magnus carnosus pyramidalis,* semen *includens ovale bilobatum. Unica tantum species nota est, nempe* Persea Clusii, *quæ magna copia in India hispanica septentrionali atque etiam in Iamaica reperitur. In regionibus calidioribrs excrescit ad altitudinem* 30. *pedum & ultra, ejusque* truncus *tam crassus est, ac mali vulgaris.* Cortex *lævis & cinerei coloris est; rami tecti sunt* foliis *valde latis, oblongis glabris, illis Lauro-Cerasi similibus, coloris saturate viridis, perennantibus. Flores & fructus maximam partem proveniunt ex ramorum extremitatibus; fructus magnitudine æquat magnis pyris, & grandem includit nucleum bilobatum tenui crusta* (Shell) *tectum. In Europa colitur ob foliorum splendentium venustatem: spes namque haud est, eam fructum productturam esse. Tam tenera est, ut nullo anni tempore aerem liberum ferat.*

Laurus æstivalis. XI. *Laurus foliis venosis oblongis acuminatis annuis, ramis supra axillaribus* *Linn. Spec. p.* 370. *n.* 8. *S. N. n.* 8.

Laurus foliis lanceolatis enervibus annuis *Gron. Virg.* 159. *n.* 2. (*Linn. Spec.*)

Laurus foliis enervibus ovatis utrimque acutis *Gron. Virg.* 46. *Colden p.* 120. *n.* 95. (*Linn. Spec.*)

Laurus foliis venosis oblongis acuminatis annuis subtus rugosis *Mill. n.* 8.

Lauro

Lauro affinis aquatilis, foliis deciduis lanceolato-oblongis, floribus ſeſſilibus Martio erumpentibus *Clayt n.* 520. *apud Gronov. Virg. p.* 159.

Patria. Virginia, ubi creſcit ad ripas rivulorum *Linn. Spec. Colden. l. c.* ordinarie in America ſeptentrionali in locis paludoſis *Mill.*

Plures, præter auctores citatos, hujus ſtirpis mentionem feciſſe, me latet. Linnæus *addit, pedunculos fructiferos coloratos eſſe.* Gronovii *Laurus p.* 159. *indicata non eſt eadem cum illa p.* 46. *recenſita: priori loco annotat flores umbellatos & involucrum tetraphyllum, ut in Corno; folia integerrima petiolata, quam ſpeciem* Millerus *pro eadem habet cum ſua citata:* poſteriore loco ſ. p. 46. nominatæ *ſynonymum fecit* Benzoin officinarum *C. B. pin.* 503. (*non* 305.) *& Clayt. quæ ſuperius N. II. p.* 345. *jam recenſita eſt.* Colden *l. c. hujus ſpeciei characterem ſigillatim ita deſcribit:* Calyx *nullus, niſi corollam ſic dicas;* Corolla *petala ſex ovato-acuminata, concava, expanſa;* Stam. *filamenta novem, compreſſa, ſex exteriora tria interiora;* Antheræ *didymæ, ſummitati filamentorum utrimque adnatæ;* Nectar. *corpuſcula ſex, mollia, irregularia, ſingula pedunculo breviſſimo prope baſin intimi ordinis filamentorum affixa;* Piſtill. *Germen ovatum, ſtylus nullus.* Obſerv. *Numerus petalorum & ſtaminum incertus: aliquando octopetala & duodecim ſtamina. Flores lutei, parvi, folia antevertunt & creſcunt in acervis per longitudinem ramulorum diſperſis, h. e. plurimi pedunculo ſingulo ſimplici eidem fundo affixi.* Folia *obverſe elliptica, utrimque acuminata, alterna, petiolata, integerrima, odorata, planis longitudine ramulorum parallelis; folia minora fere circularia, interſperſa. Floret Aprili.* Millerus *hæc addidit: Excreſcit in ſcapum fruticoſum & ramoſum* 8. *vel* 10. *pedes altum, purpureo cortice tectum; folia ſunt ſibi oppoſita (duos prope digitos longa, unum lata, ſuperius glabra, inferius venoſa, ubi aſpera* (rough). *Nondum hucusque Londini produxit flores; baccæ, quas ex Maryland accepit, erant rubræ ad baccas Lauri vulgaris magnitudine & figura prope accedentes.*

Ex Linnæi Systemate naturæ edit. X. 1760.

Chlorax XII. ***Laurus foliis trinerviis ovatis coriaceis*** *Linn. Syst. N. p.* 1010. *lit. A.*

Chlorax *Browne Iamaic. t.* 7. *f.* 1. (*Linn. l. c.*)

Hanc stirpem Browne *in Iamaica detexit eamque, quam secundum* Ehreti *delineationem æri incisam t.* 7. *f.* 1. *repræsentavit, p.* 187. Chloroxylum foliis ovatis glabris rigidis trinerviis, floribus singularibus *nominavit, unde* Linnæus *triviale nomen* Chlorax *excogitavit.* Browne *eandem inter plantas floribus pentandriis trigynis recensuit, eique hunc characterem tribuit iconibus in omnibus respondentem:* Perianthium *monophyllum rotatum in quinque partes lanceolatas profunde sectum;* Corolla: *floris vicem gerunt foliola minima, inæqualia, laciniis calycis adnata: aliud nullum;* Stamina: *filamenta quinque erecta, ex umbilico germini circumducto assurgentia & incisuris calycis oppositа; an antheræ subrotundæ?* Pistillum: *germen subrotundum, minimum umbilico crasso carnoso circumductum; styli tres subulati; breves, stigmata acuta;* Pericarpium: *Drupa sphærica unilocularis: an germen triloculare?* Semina: *nucleus bilobus pericarpio ligneo corticato tectus & membrana propria obvolutus.* Figura *repræsentat ramulum cum foliis ovatis ad apicem parum acuminatis, tribus nervis crassis, arcuatis, ex petiolo ortis, & exiguis transverse excurrentibus venis; baccam unicam ovatam, pedunculo simplici, transversum digitum longo & ex ala folii provenienti insistentem. Figuræ separatim additæ delineant* 1. *baccam cum pedunculo & exigua cupula seu potius pedunculi extremo ampliato ad oras leviter crenato;* 2. *eandem transversim sectam, in qua nux simplex;* 3. *nucleum exemtum;* 4. *florem expansum a facie interna cum suis partibus in characteris expositione descriptis, ubi antheræ pinguntur globosæ & umbilicus orbicularis* (glandularum vel corpusculorum peculiarium nullum vestigium reperitur). *Hæc arbor secundum A. descriptionem vulgaris est in variis montium Iamaicæ locis, & surgit trunco valde ramoso ad insignem altitudinem. Cortex interior diluti sanguinei coloris est & includit sub alburno* (Sap) *lignum durum*

rum (ſtrong), *virideſcens. Folia ſunt glabra figuræ ovalis, tribus valde conſpicuis nervis ornata, illis Camphoræ arboris, magnitudine, figura atque textura* (coriaceæ nulla fit mentio) *ſimilia; fructus raro excedunt magnitudinem avellanæ nucis nudæ hinc inde per ramos diſperſi* (figura pedunculum cum bacca ſolitaria ex folii ala proveni-entem ſiſtit). *Ex charactere ſupra explicato ſatis patet, & hanc ſtirpem Lauri generi adſcribi haud poſſe.*

Ex Browne hiſtoria Iamaica 1756.

XIII. ***Laurus foliis venoſis ovatis, fructu majori calycibus tumidis, laciniis reflexis*** *Brown. p.* 214. *n.* 2. *Laurus Iamaica.*

Laurus &c. *Pk. t.* 304. *f.* 1. & *t.* 369. *f.* 4. (*Browne.*)

Patria: Iamaica. *Browne.*

Quum Browne *hujus ſtirpis figuram nullam, & deſcriptionem tantum brevem & mancam dedit, ſynonyma, quæ ipſi junxit, incerta ſunt,* Plukeneti *præterea figuræ t.* 304. *f.* 1. & *t.* 369. *f.* 4. *inter ſe maxime differunt, & hinc divinari nequit, quænam ex ambabus præferenda ſit: prior tamen, quam* Linnæus & *ipſe* Plukenet *Almag. p.* 210. *Lauri indicæ ſynonymum fecit,* (*vide p. ſuperior.* 351, *a qua tamen intuitu calycis nultum differt, conf. de* Pluken. *figura p.* 355. *ut &* 356. *ubi de* Barrelieri *figura ſermo eſt*), *calycis præcipue laciniis reflexis* Brownii *definitioni magis convenit, quam poſterior, quæ repræſentat baccam vere globoſam & calycem cum laciniis non reflexis, ſed cupulæ inſtar baccam ad tertiam ejus partem arcte circumdantem cum oris in plurimos dentes acutos diſſectis. Hujus nomen in Amaltheo, quod in figuræ margine citatur, eſt* Arbor Maderaſpatana; Mali limoniæ folio, fructu calyculato, villis aureis obſito, & calyce elegan-ter dentato: Embyanum Malabarorum, *quod nomen vero in Horto Malab. non exſtat. Floris imago in utraque* Plukeneti *figura deficit, quem etiam* Browne, *ut monet, in ſua ſpecie non vidit. Neque hic arboris habitum deſcribit, ſed tantum indicat, ſe illam in monti-*

bus

bus S. Annæ reperisse, additque, baccam esse magnitudine ceraso similem, turgidam (plump) *nigramque, & calycem valde crassum tumidumque. Incertum ergo adhuc manet, num hæc quoque stirps vera sit Lauri species.*

Ex Milleri Dictionario septimæ editionis 1759.

Laurus Carolinienſis.

XIV. *Laurus foliis lanceolatis perennantibus, marginibus reflexis, transverse venosis, floribus racemosis* *Mill. n.* 5.

Laurus Carolinienſis foliis acuminatis, baccis cæruleis pediculis longis rubris insidentibus *Catesb. Car. I. p. & t.* 63. (*Mill.*)

Patria. Virginia, ubi vero haud abundat, exceptis quibusdam locis mari propinquis; in Carolina vero ubique reperiuntur, præcipue in humilibus locis paludosis (*in low swampy-lands r* 8) *Catesb. Mill.* qui addit, eandem in Carolina vocari *Laurum rubram*, atque etiam reperiri in aliis Americæ regionibus sed non tam copiose.

Quum Linnæus *Borboniam Plumerii & hanc stirpem pro una eademque habeat, id quod pag. sup.* 349. *N. III. indicavimus, differentia autem notabilis p.* 350. *exposita inter utramque intercedat, p.* 351. *subscripsimus* Milleri *sententiæ, qua hæc ab illa ut species distinguitur. Iis, quæ l. c. de foliorum & fructuum conformatione ex icone Catesbyana collegimus, addimus nunc ipsius* Catesby *hujus stirpis descriptionem, quæ his comprehenditur latine factis: Folia habitu suo illis Lauri vulgaris similia & odoris aromatici sunt; baccæ maturæ fiunt cæruleæ, quarum duæ interdum tres simul invicem crescunt super pedunculo duos vel tres digitos longo & rubro, quo colore calyx* (cupula) *etiam imbutus est, cujus oræ dentatæ sunt.* Millerus *hanc descriptionem sua ita illustrat, & perfectiorem reddit:* Folia *multo longiora sunt illis Lauri vulgaris,*

r 8) Secundum hanc interpretationem corrigenda est illa, quæ superius p. 310. occurrit.

garis, *ſubtus paullulum lanuginoſa & ad margines reflexa, ad quos venæ ex media coſta transverſe excurrunt;* flores maſculini *in longis corymbis* (long-bunches) *oriuntur ex foliorum alis,* femininæ ſtirpes *excludunt* flores *ſuos in laxis corymbis, pedunculis prælongis rubris inſiſtentes;* baccæ *cæruleæ calycibus pariter rubris incluſæ ſunt. Arbor ad altitudinem inſignem aſſurgit* recto & craſſo trunco, *qui vero in regionum locis interioribus non adeo amplus fit.* Lignum *ejus magni æſtimatur ob venas* (grain) *ſubtiles, quapropter excellit ad opera tabellata* &c. *Tam tenera eſt hæc ſtirps, ut in Anglia mitiori quoque hieme aerem liberum haud ferat.*

XV. *Laurus foliis ovatis planis integerrimis, pedunculis ramoſis, floribus in capitulum collectis* *Mill. n.* 10.

Laurus mexicana.

Laurus americana foliis ſubrotundis, floribus in capitulum collectis *Houſt. MSt.* (*Mill.*)

Patria: regnum mexicanum, Vera Crux dictum, ubi Hovston hanc ſpeciem detexit. *Mill.*

Arbor hæc, ſecundum Milleri *deſcriptionem, aſſurgit* trunco *lignoſo ad* 20. *pedum altitudinem in multos ramos, cortice cinereo aſperoque tectos, diviſo. Ex ramorum extremitatibus proveniunt pedunculi inæqualis longitudinis & in plures minores diviſi, quorum unusquisque ſuſtinet faſciculum* (cluſter) *exiguorum florum alborum in capitulum ſeu parvam umbellam communi involucro collectorum. Sunt hi* maſculini & feminini *in diſtinctis ſtirpibus: femininis, qui nullis gaudent ſtaminibus, ſuccedunt* baccæ *ovales, magnitudine baccis Lauri vulgaris non penitus pares.* Folia *duobus circiter digitis longitudine & uni latitudine reſpondent, ſuntque in ſummitate ſubrotunda & integra, petiolis valde brevibus inſiſtentia.*

Atque hæ ſunt ſtirpes illæ, quarum aliquot pro diſtinctis generibus agnoverunt Botanici celeberrimi, omnes vero Linnæus ut & alii non infimi ſubſellii Auctores methodici, qui

ejus ſyſtema adoptarunt, ad unicum Lauri genus relegarunt. Quum vero earundem ſingularum partium, tum genus tum ſpeciem conſtituentium, deſcriptio a variis auctoribus tradita ſit non una eademque: eas commentariolo, ſeu potius diverſarum ſententiarum collectione perſequuti ſumus eum tantum in finem, ut illis, quibus earundem examinis in vivis vel ſiccis plantis inſtituendi occaſio favet, digito monſtretur, quæ confirmanda, corrigenda vel ſupplenda ſint. Id quoque in votis habemus, ut alii quoque inquirant, num antheræ florum femininorum Lauri vulgaris ſemper, atque etiam in aliis ſpeciebus pariter, reperiantur ſolidæ atque inanes: conf. p. ſuperior 336. Ceterum quum præcipue MILLERVS nunc ſatis docuit, plurimas, ſi non omnes, Lauri ſpecies eſſe dicœcias: ejus ſententia ſuperius p. 343. expoſita omnino amplectenda eſt, nempe, Laurum ad claſſem plantarum dicœciarum referendam eſſe; num vero ad enneandrias pertineat, dum ſtamina in paucis, atque in his etiam non conſtanter, huic numero reſpondent, aliis dijudicandum relinquimus.

Superſunt quidem multæ adhuc ſtirpes Lauri, vel ſaltem Cinnamomi aut Caſſiæ nomine a variis recenſitæ: quia vero earum characteres & generici & ſpecifici, adhuc deſiderantur, inanis eſſet labor, ex imperfectis definitionibus vel etiam figuris de iisdem judicare, utrum genuinam Lauri ſpeciem an tantum varietatem aut differentiam conſtituant. Vt tamen earum nomina, quæ per tranſennam annotavimus, collecta proſtent, ſequentia indicamus *s* 8).

Plures Cinnamomi diverſitates in Zeylona aliisque Indiæ regionibus obſervari, monuit jam BVRMANNVS *Thef. Zeyl. p.* 62.

s 8) RAIVS quidem *Dendrol. p.* 85. quarundam catalogum jam exhibuit, ſed miſcuit cum illis non ſolum eas ſtirpes, quæ nunc ad alia genera jure meritoque relatæ ſunt, ſed etiam illas, quæ Laurifoliæ tantum nomine indicatæ ſunt.

62. ubi ad *Hermanni H. L. Bat.* & *Anonymum* ſupra p. 369. ſeq. nota *u* & *x* 7 citatum provocat, idque p. 69. repetit, ubi *Hermanni Muſ. Zeyl.* & *Grimmii Laborat. Zeyl.* t 8) allegat. Anonymus ſequentes ſpecies ulterius explicatas recenſet: 1) *Raſe Coronde ſ. acre ſvave ac dulce Cinnamomum*, quod eſt optimum Zeylanicum; 2) *Cabatte Coronde, ſive amarum & adſtringens Cinnamomum.* 3) *Capperoe Coronde ſ. Caphuram ſpirans Cinnamomum.* 4) *Welle Coronde ſ. arenoſum Cinnamomum.* 5) *Sewel Coronde ſ. mucilaginoſum Cinnamomum.* 6) *Nieke Coronde i. e. arbor Cinnamomi, arbori Nieke ſimilis.* 7) *Dawel Coronde ſ. tympani Cinnamomum.* 8) *Catte Coronde ſ. ſpinoſum Cinnamomum* 9) *Mael Coronde ſ. floridum Cinnamomum*, cujus jam ſupra p. 388. nota *n* 8. mentio facta eſt. Muſæum Zeylanicum p. 12. addit 10) *Kurudu-Paela ſ. parvum Cinnamomum* & 11) *Kurudu Aetha ſ. Cinnamomum frugiferum;* Laborator. Zeyl. vero p. 84. 12) *Walkurundu* vel *Canell de Matte ſ. Cinnamomum ſylveſtre.* Reperiuntur præterea in BREYNII Prodromo II. 13) *Arbor canellifera indica, cortice acerrimo viſcido mucilaginoſo, Caſſia lignea fuſca aromatica C. B. pin.* (quam DALE p. 327. b. n. 3. *Caſſiam ligneam communem Offic.* vocat) 14) *Arbor canellifera Taiwanica, cortice acerrimo viſcido, ingrato quodam ſapore intermixto.* 15) *Arbor Canellifera ſylveſtris Iaponica folio minimo.* 16) *Arbor Canellifera ſylveſtris ex Surinama folio prægrandi.* 17) *Laurus vulgaris folio undulato minimo ſ. breviſſimo, an Laurus Cypria Plinii?* 18) *Laurus vulgaris folio minimo læviſſimo, an Laurus Delphica Plinii?* In PLVKENETI Almageſto 19) *Caſſia cinnamomea ſtrictiori folio, ignobilior, cujus folium eſt Malabathrum ſ. Tamalapatrum anguſtifolium officin.* 20) *Caſſia cinnamomea ſylveſtris Iavanica,*

t 8) THOM. BARTHOLINI Acta medica & philoſoph. Hafnienſia a. 1677—79. Vol. V. Hafniæ 1680. 4to p. 223. & ex his Acta Eruditorum a. 1682. Lipſ. a. eod. 4to p. 38. indicant, hoc laboratorium Zeyl. a. 1677. belgico idiomate excuſum & a B. Pielat tecto auctoris nomine latinitate donatum eſſe, quod proſtat hoc titulo: *Inſulæ Ceylanæ theſaurus Medicus vel Laboratorium Ceylanicum a* BARTH. PIELAT *Med. Doct. latinitate donatum.* Amſt. 1679. 12.

vanica, rhomboide folio, parvo fructu calyculato Phytogr. t. 13. f. 3. quæ ſiſtit ramulum cum foliis & baccis cupula brevi incluſis. 21) *Caſſia lignea Laurifolia americana, cortice albo valde acri aromatico ſ. Canella alba Cluſii.* 22) *Laurus Maderenſis anguſtifolia pallida odoratiſſima, venis foliorum averſa parte magis extantibus Phyt. t. 199. f. 2.* ubi ramus cum foliis tantum. 23) *Laurus regia odoratiſſima Maderenſis C. B. pin. 345. ſ. Laurus latifolia Azorica Cinnamomi odore H. Amſtel.* Hanc in H. Amſtel. a Commelinis deſcripto invenire haud potui. 24) *Laurus Azorica pallidioribus & latioribus foliis inodora Phyt. t. 199. f. 3.* quæ folium tantum ſeparatum exhibet. In Ejusdem Amaltheo 25) *Caſſia, cinnamomeæ Myrrhæ odore Phytographiæ ſimilis, ex inſula Cheuſam.* In Sterbeekii Citri cultura 26) *Laurus ſerrata odorata Promontorii bonæ ſpei Stapeliana* v8), *ſ. Laurus Africana ſerrata odorata anguſtifolia Hermanni*, cum icone rami foliis & pedunculis fructiferis ſpicatis onuſti. 27) *Laurus Africana ſerrato folio odorata major Hermanni*, cum figura totius ſtirpis, & ramulis cum flore & baccis ſpicatis ſeparatim. Hæc & antecedens ad Myricam Linnæi accedere videntur. 28) *Laurus Michnacavenſis Hernandi p. 98.* quam ex hoc etiam recenſet Sterbeek p. 292. In Sloane Itinere ſeu Plantarum hiſtoria Vol. II. p. 136. t. 166. f. 1. 29) *Laurus folio breviore, flore racemoſo minore.* In Rumphii Herbario Amboinenſi extant ſequentes ſtirpes, quas Burmannus vel in ſcholiis annexis vel in indice hujus operis univerſali pro Lauris declaravit, ſunt nempe: 30) *Cortex caryophylloides, Culitlawan Rumph. P. II. p. 65. t. 14.* cum foliis, flore & fructu, *Laurus fructu mon-*

v8) Hujus ſtirpis ramulum cum tribus foliis eodem nomine, ſed ſine explicatione, ſiſtit figura ligno exciſa a Stapelio exhibita in opere hoc titulo proſtante: Theophrasti *Ereſii, de Hiſtoria plantarum libri X. græce & latine* &c. *cum notis tum commentariis itemque rariorum plantarum iconibus illuſtravit* Io. Bodæus *à* Stapel, *Medicus Amſtelodamenſis* &c. Amſtel. 1644. fol. pag. 333.

monſtroſo & ſpongioſo, cortice aromatico caryophylleo Burm. ib. p. 69. 31) *Lauraſter Amboinenſis Rumph. l. c. p. 70. t.* 15. cum foliis, flore &fructu, qui vero Lauro parum convenit; *Laurus Burm.* in indice. 32) *Machilus mas & femina Rumph. P. III. p.* 68. & 70. *t.* 40, ramus cum foliis & flore; 33) *Machilus media Rumph. ib. t.* 41. ramus cum foliis & fructu. 34) *Machilus anguſtifolia ſ. minima Rumph. ib. t.* 42. (conf. *Auctuar. p.* 60.) ramus cum foliis & fructu. 35) *Lignum leve primum, incolis Halaur. Rumph. P. III. p.* 71. *t.* 43. ramus cum foliis, flore & fructu calyculato; 36) *Lignum leve minus, incolis Halaur Kitſiil, Rumph. ib. t.* 44. ramus cum foliis & fructu calyculato. 37) *Lignum leve alterum, incolis Ewaſſa, Rumph. ib. pag.* 72. *t.* 45. ramus cum foliis & fructu calyculato: has Machili & Ligni levis differentias ad Lauros pariter refert Burmannus in indice univerſali, ad quas etiam referendæ 38) *Laurus Iapanica*, aliis *Cinnamomum Iapanicum*, Auct. p. 63. & 39) *aliud Cinnamomum Iapanicum* ibid. p. 64. Denique apud Browne p. 214. n. 3. occurrit 40) *Laurus foliis obverſe ovatis ſubtus cinereis, fructibus oblongis ſparſis, calycibus deciduis;* quia vero A. flores non vidit, ipſe huic ſtirpi Lauri nomen dubius tribuit.

His adhuc accenſendæ ſunt ſtirpes illæ, quarum nomina quidem ut ſynonyma ſpeciebus ſuperius num. I. -- XV. recenſitis juncta, ſtirpes ipſæ vero deſcriptione vel figura tam accurate nondum repræſentatæ ſunt, ut absque omni dubio pro iisdem agnoſci queant, adeoque pariter ulteriori examine opus habeant. Sunt hæ 41) *Saſſafras laurinis foliis indiviſis, ex provincia Floridana Pluk. ſ. Saſſafras Lauri foliis Piſonis* vid. pag. ſup. 289. & 345. 42) *Saſſafras folio crenato Hernandi & Muntingii* p. 289. & 293. 43) *Laurus indica Aldini* p. 351. 354. cum *Lauro indica Barellierii* p. 352. 369. 399. & *Sterbeekii* p. 395. & *noſtra* p. 354. t. IX. fig. 12--18. conferenda 44) *Cinnamomum*

ſilveſtre americanum Sebæ p. 352. 357. 45) *Laurus indica Plukenetii* p. 351. 355. 46) *Laurus baccis atropurpureis pediculis rubris inſidentibus Clayt.* p. 352. 356. 47) *Laurus folio longiore, flore hexapetalo racemoſo, fructu humidiore Sloane* p. 356. 48) *Malabathri ſpecies inodora, Laurus agreſtis dicta* p. 361. 49) *Arbor camphorifera Sumatrana Grimmii, Breynii & Rumphii*, p. 359. 366. 50) *Katou-karua H. Malabarici* p. 369. 379. 51) *Tamalapatra ſ. Arbor Malabatri folii Garciæ* p. 377. 379. 52) *Cinnamomum perpetuo florens Burmanni & Anonymi* p. 385. 388. 53) *Dawal kurundu ſ. Nicadawala Hermanni* p. 386. 54) *Perſea Cluſii & Milleri* propter perianthium 394. & nectarium p. 396. 55) *Lauro affinis aquatilis* &c. *Claytoni* pag. 397. 56) *Laurus foliis venoſis ovatis* &c. *Browne* p. 399. 57) *Arbor Maderaſpatana, Mali limonii foliis Plukeneti* p. 399.

Et hæc ſufficiant ad demonſtrandum, quam' multæ in hoc unico plantarum genere ſuperſint ſpecies vel ſaltem varietates aut differentiæ curatius adhuc definiendæ.

Illas ſtirpes omnes, quas non alio, quam *Laurifoliæ* nomine, Auctores, præcipue *Plukenet & Sloane*, indicarunt, atque præterea floris & fructus characteres vel plane ſilentio præterierunt, vel alios, quam qui Lauro conveniunt, annotarunt, ſtudio omiſimus: illas tamen adhuc producimus, quæ Lauri quidem nomine recenſitæ ſunt, quarum tamen definitio vel figura aliquos ſaltem characteres exhibent Lauri characteri non reſpondentes: nempe 1) *Caſſiam cinnamomeam ſ. Cinnamomum ſylveſtre Barbadenſium, ſ. arborem bacciferam fructu calyculato*

lato tetrapyreno, folio enervi Pluk. Almag. p. 89. t. 160. f. 7. ubi etiam hæc bacca cum quatuor ſeminibus atque etiam calyx in quinque foliola ſectus delineatur. 2) *Laurum juliferam, folio ſpecioſo enervi Kæmpferi Amœn. p. 775.* cum icone rami, floris & fructus charactere, qui differentiam a Lauro luculenter indicat. 3) *Laurum ſerratam, floribus ſpicatis ex foliorum alis provenientibus Burm. Theſ. Zeyl. p. 139. t. 62.* quam ad Myrtum accedere ipſe indicat.

Agmen tandem claudant illæ ſtirpes, Lauri quidem nomine olim indicatæ, ſed quarum characteres nunc eousque cogniti redditi ſunt, ut recentiores methodici auctores vel ex illis peculiaria genera conſtituerint, vel ad alia genera eas retulerint. Silentio præterimus *Laurum-Tinum* & *Laurum Alexandrinam*, dudum jam ex Lauri familia genuina (vid. p. ſuper. 324.) relegatas: reliquæ ſunt 1) *Laurus Africana ſerratis foliis Bartholini Act. Hafn. Vol. II.* pag. 57. quam *Raius Hiſt. II. p.* 1690. citat, & *Hermannus H. Lugd. pag.* 239. a Lauris ſeparavit & *Evonymo adſinem æthiopicam ſemper viritantem fructu globoſo ſcabro, foliis ſalicis rigidis ſerratis, Linnæus* denique *in H. Cliff. Kiggelariam* nominavit, characterem accuratius definivit & *Sterbeekii* figuram ſatis jam laudabilem *Ehreti* delineatione perfectam reddidit. 2) *Laurus tulipifera foliis ſubtus ex cinereo aut argenteo purpurantibus Raii Hiſt. II.* 1798. *Breynii Prodr. II. p. 62,* quæ *Magnoliæ* nomine a *Linnæo* diſtincta & *Magnolia foliis ovato-lanceolatis* appellata eſt. 3) *Laurus africana minor Quercifolio H. Amſtel. II. p.* 161. *t.* 81. ubi icon totius ſtirpis & baccarum ſeparatarum,

tarum, quam *Linnæus* ad *Myricæ* genus retulit & *Spec. p.* 1025. *n.* 4. *Myricam foliis oblongis oppoſite ſinuatis* vocavit.

Ceterum quum hæc tractatio arbori Saſſafras dictæ potiſſimum dicata fuit: animus quidem erat, uſum ejus œconomicum & medicum annectere; ſed quum ea præter propoſitum fuſior evaſit, atque præterea nundinæ inſtantes ulteriorem moram non concedunt, hic recenſionis filum abrumpere coor, alio forſan tempore, DEO volente, pertexendum.

Id nunc adhuc addo, me feſtinantem in recenſione Auctorum, qui Saſſafras arboris aliquam dederunt deſcriptionem, præteriiſſe Io. Raii relationem, quæ in ejus Hiſtoriæ plantarum tomo II. Londini 1688. fol. maj. edito p. 1688. extat. Eſt autem hæc relatio potiſſimum ex Monardi, Gerardi, Parkinsoni, C. & I. Bavhini operibus jam citatis tantum compilata: ſed ibid. p. 1918. indicat, ſequentia addenda eſſe: *Dr.* Bannister *in Catalogo Plantarum Virginenſium Saſſafras arborem tum florendi modo, tum araneoſis filamentis, in quæ Scabioſæ adinſtar folia rupta ducuntur, ad Cornum marem accedere ſcribit, nec fructus aut facultates diſpares eſſe, unde Corni ſpeciem eſſe non veretur aſſerere.* Atque hæc p. ſuper. 294. n. 19* inſerenda ſunt. P. 295. nota ii lin. 2. ſtirpium, adde horti. P. 326. nota g 5 lineæ ultimæ hæc addantur: (*Lauri flos hexapetalus eſt ſexu diſtinctus. Male ideo hic* (ſcil. inter flores tetrapetalos) *reponitur.* Sed ipſe Hallervs hoc emendavit in Enumer. plantar. H. Regii agrique Göttingenſis: vid. p. ſuper. 329. n. 73.

MEMO-

MEMORIA
VIRI

Illustris, Excellentissimi, Experientissimi atque Amplissimi

D. MICHAELIS ALBERTI,

Potentissimi Regis Porussorum Consiliarii aulici, & in Consistorio Ducatus Magdeburgensis Senatoris, Medicinæ & Philosophiæ naturalis in regia Fridericiana Halensi Professoris Primarii, Reipublicæ Norimbergensis Physici ordinarii, Alumnorum regiorum Ephori Senioris, Academiæ Cæsareæ Naturæ Curiosorum, & Regiæ Scientiarum Berolinensis Collegæ,

die XVII. Maii MDCCLVII.

placida morte extincti,

ex funebri Pro-Rectoris & Senatus Academiæ Halensis Programmate depromta.

Haud inficiandus imprudentis vulgi error eſt, diu multumque vixiſſe eos, qui pluribus annis vixerunt, vitamque ex longa annorum ſerie habuerunt aliis diuturniorem. Certe non ſolus ille, quem natura ſuppeditat, vivendi apparatus, vita dici meretur, quin vitam vere vitalem eam duntaxat agnoſcere oportet, quæ in bonis egregiisque operibus collocatur, & in præclaris publicæ privatæque rei commodis atque ornamentis conſumitur. Sunt viciſſim plerique, quibus magna vitæ pars elabitur male agendo, maxima nihil agendo, tota aliud agendo, & quantum credas his ipſis, licet diutiſſime vixerint, per luxum ac negligentiam deceſſiſſe vitæ, quam, ſi rationem audias, iis imputare nulla ſpecie licet? Vita ſane a Deo immortali unicuique conceſſa eſt, non ut vivat tantum, ſed ut laudabiliter atque utiliter vivat, tempusque, quantum poteſt, optime diſponat. Feſtive admodum & acute hanc diverſitatem vivendi diſterminatam legimus in ſepulcrali marmore SIMILIS, Conſulis Romani ſub TRAIANO Imperatore, cui inſcriptum in hæc verba:

HIC. IACET. SIMILIS.
CVIVS. AETAS. LXXIII. ANNORVM. FVIT.
IPSE. SEPTEM. DVNTAXAT. ANNOS. VIXIT.

Quanto igitur majorem illorum oportet gloriam eſſe, qui non ſolum diu, verum etiam præclare vixerunt, ſupparique & æquali copia annorum meritorumque inſignium pleni & graves, nominis ſui atque præſtantiæ memoriam ad poſteros transmittunt? Nullum expreſſius hujus rei exemplum producere licet, quam Illuſtris, Excellentiſſimique Viri, *D. Michaelis* ALBERTI, Academiæ Fridericianæ Senioris meritiſſimi, cui ſupremum pietatis officium hoc loco præſtare aggredimur. Longe ultra ſeptuagenariam ætatem, quam tanquam ſuetum mortalitatis terminum ipſe divinior Codex agnoſcit, vitam

egregii viri divini Numinis protulit clementia, decus haud dubie in illo præcipuum Academiæ hujus ſervatura in plures annos, donec, cœleſti decreto ex ſtatione ſua, quam digniſſime tenuerat, nuper evocaretur, otio ſempiterno, poſt tot labores vigiliasque, totque præclare merita, gaviſurus ſine fine. Pertinet utique ad rationes officii noſtri, ut occaſionem hanc arripiamus, ad ſcribendum virum omnis generis meritis cumulatiſſimum, cujusque fama & celebritas longe lateque per eruditum orbem patens, haud mediocri huic Academiæ ornamento per longum tempus exſtitit.

Protulit virum inſignem, cujus exceſſu nunc muſtum adfligimur, anno MDCLXXXII. die XIII. Novembris ocellus ille Germaniæ, Norimberga, S.R.I. florentiſſima respublica. Patrem habuit virum plurimum reverendum, & ob ſingularem vitæ ſanctitatem Norimbergenſibus venerabilem, *M. Paulum Martinum* ALBERTI, Seniorem templi *S. Laurentii*, & in æde *S. Claræ* Paſtorem. Matrem coluit *Barbaram* FALCKNERIAM, illuſtris *Iohannis* FALCKNERI, Conſulis, Camerarii reipublicæ, & Iudicis provincialis, filiam. Mittimus alios præclaros majores, quorum virtutes & laudabiliter imitatus eſt, & feliciter expreſſit, cum in propriis noſtri decoribus ſatis argumenti ſuppetat ad ſcribendum, nec alienarum laudum ſplendore virtus indigeat. Sacri fontis myſterio initiatus fuit die XIV. Nov. teſtibus adhibitis viris egregiis ac ſpectabilibus, quos inter memoriam præcipue *Michaelis* KHEIMII, mercatoris Norimbergenſis nominatiſſimi, animo, quoad vixit, impreſſam ſervavit. Parum abfuit, quin, ob inſignem corpuſculi debilitatem, vix editus in lucem, immaturo fato exſtingueretur; verum valeſcere divino beneficio cœpit præter ſpem Medicorum, viresque ſenſim collegit, ut ſuperſtite hoc filio amantiſſimi recrearentur parentes, majoribus rebus ac fortunis a cœleſti providentia deſtinato. Educationem domi habuit ſolicitam

citam ac plane egregiam, beneficiumque illud a parentibus accepit maximum, ut mature ad veræ pietatis exemplum formaretur, principiisque ſacroſanctæ religionis dextre imbueretur, qua ipſa re nihil melius, nihil præſtabilius, liberis præſtare parentes poſſunt. Erat præter hæc noſter præclaris eruditus ingenii dotibus, quæ fructus dulces mitesque mature jam ſignificabant, quamobrem quantum in illam ætatem cadere poterat, etiam ad linguarum ſcientiarumque cognitionem aliquam, partim ab ipſo parente, partim a domeſticis præceptoribus, manuducebatur. Quæ omnia adeo contigerunt feliciter, ut in diſciplinam tandem tradi poſſet Rectoris clariſſimi, *M. Io. Georgii* Fvchsii, cujus præceptis doctrinisque in humaniori litteratura plurimum debuit, multaque elegantis ingenii ſpecimina edidit, manifeſte docentia, quid quantumque ab eo exſpectandum aliquando litteris & reipublicæ eſſet. Admiſſus deinde ad publicas celebris illius Gymnaſii lectiones anno MDCXCVIII. doctos peritosque Profeſſores in Theologicis, Geographicis, Hiſtoricis, Logicis, Metaphyſicis, diſciplinis inſigni cum mentis intentione audivit, atque ob non vulgarem diſcendi ardorem ab omnibus ſingulari benevolentia ornatus fuit. Citius omnino ſtudia in Academiam proferre licuiſſet noſtro, ſi quidem maturitatem ingenii, & litterarum apparatum ſpectemus, ſublimioribus diſciplinis abunde ſuffecturum; verum cum ſumtibus neceſſariis, ob mediocritatem rerum ſuarum, non eſſet ferundis, moram aliquam conſulte ſibi imperavit, nec tamen ſine fructu otium illud Norimbergenſe tranſegit, quin exemplo ac inſtitutione magnorum ejus ævi virorum, *Eraſmi Franciſci & Erhardi* Weigelii, tum Norimbergæ commorantium, feliciſſimo cum ſucceſſu uſus eſt. Poſtea Altorfinam Academiam, bene jactis variarum artium fundamentis, adiit. Primum quidem ad humaniores diſciplinas præcipuam induſtriam adhibuit, audivitque in Mathematicis celebratiſſimi nominis virum, Stvrmivm, in Philoſophicis Roe-

TEMBECCIVM, in Rhetoricis OMEISIVM. Auctus præterea præceptis celeberrimorum Profeſſorum, SPIZELII, WAGENSEILII & MOERLINI, quorum famam & merita juſtiſſime colit & ſuſpicit hodieque litteratus orbis. Finem autem & ſcopum ſtudiis ſuis principem deinceps conſtituit ſanctam Theologiam, litterisque Orientis operam dedit ſub moderamine *B.* SONNTAGII, in ipſis vero Theologicis diſciplinis auctorem ſibi propoſuit *Iob. Mich.* LANGIVM, Profeſſorem Theologiæ ordinarium, cujus identidem convictu conſpicuo temporis intervallo frui datum fuit. Ad publice declarandos factos in Theologia profectus diſputationem in cathedram protulit, *de modo dirigendi actiones humanas ad gloriam Dei*, Præſide MOERLINO ſuo, egregiaque facundia graviſſimum argumentum ediſſeruit, auditoriique communem approbationem meritus eſt. Contigit ei non multo poſt, ubi majorem indies exiſtimationem conſequeretur, ut morum ſtudiorumque moderator eligeretur juveni in Ienenſem Academiam cogitanti, quam optatiſſimam nactus fuit occaſionem doctiſſimis Salanæ viris innoteſcendi. Venit tum in notitiam amicitiamque inclitorum virorum, *D.* WEDELII, *D.* KRAVSII & *D.* SLEVOGTII, quorum admiratio effecit, ut ſenſu aliquo Medicinæ tangeretur, medicamque artem colere inciperet, licet, ut Theologiæ nuntium mitteret, nondum a ſe impetrare poſſet. DANZIO tum familiariſſimus fuit, omnesque cogitationes in Theologia defixas ſervabat, jamque in eo erat, ut Magiſtri gradum ambiret, ſub STVRMII præſidio obtinendum. Enimvero cum multa ſunt in hac vita, quæ optimis quantumvis deſtinatis mutationem inferunt, conſiliaque bene cœpta alio flectunt, ita etiam contigit viro illuſtri, ut Medicina tandem totum illum ſibi vindicaret, quod ipſe beatus noſter Medicus magis aliorum perſuaſionibus adſcripſit, quam certam ſibi in eo conſilii conſtitiſſe rationem arbitratus eſt. Indoluit ſæpenumero huic viciſſitudini, &, pro ſingulari candore animi, haud conſulte admodum ac ingenue a ſe actum,

con-

confeſſus eſt, quin mutationem hujusmodi ſtudiorum, plus levitatis quam rationis habentem, omnibus Studioſis nunquam non ſerio diſſuaſit. Conſolationi tamen fuit per omnem vitam, quod, quem nomine & officio haud præferebat, re ipſa potius ageret, Theologum, cœleſtem ſapientiam omni humanæ ſapientiæ longiſſime anteponendo, & divini verbi deliciis animum continenter reficiendo, quam conſuetudinem usque ad ſeros annos conſtantiſſime ſervavit.

Propitio ſane fato, pro illa animi & ſtudiorum ratione, ad excolendam ulterius medicam artem, delatus Halam fuit, quo non ſolum principis ſuæ ætatis Medici, *Georgii Erneſti* STAHLII, fama illum attraxit, verum etiam inſigne exemplum *Auguſti Hermanni* FRANCKII, ut par eſſet facultas, cum in medicis diſciplinis, tum in Theologia proficiendi ex voto. Amabilis extemplo exiſtere cœpit FRANCKIO, cujus commendatio deinceps multum valuit apud STAHLIVM, amicum FRANCKII, ut præter uberrimum fructum, quem ex publicis, privatis atque privatiſſimis ſummi viri lectionibus conſequebatur, etiam familiarius illo uti liceret, ac ſuper hæc ejus convictu & contubernio honoratus, ampliſſimam obtineret occaſionem, Stahlianas penitus imbibendi doctrinas, perfectumque incomparabilis Medici diſcipulum reddendi Academiæ & litteris. Aſceticis *Pauli* ANTONII lectionibus annis MDCCI. & MDCCII. non minus diligentiſſime interfuit, nec unquam fauſti dememinit temporis, quo ſalutarem medicinam animi, cum medicina corporis, tam opportune conjungere licuit. Maioribus iam cœptis idoneus, ſub STAHLII moderamine Diſſertationem ſpeciminis cauſa habuit, *de malo hypochondriaco-hyſterico*, quam brevi poſt excepit Diſſertatio alia, eaque inauguralis, præſidio ejusdem, *de Erroribus medicinæ practicæ*, poſt quam in ſolenni plurium Candidatorum inauguratione Medicinæ Doctor appellatus eſt, annos natus XXII.

Suaſor

Suafor nunc erat STAHLIVS, ut docendo periculum faceret, principiaque ſalutaris artis, in quibus pernoſcendis totus adhuc fuerat, doceret cives academicos, cujus rei facultatem pro more Academiarum adeptus eſt Diſſertatione nova, *de vera Pathologia hæmorrhagiæ narium* præſidendo habita. Factus ad novum Doctorem non mediocris Studioſorum concurſus; agnoſcebatur in illo ob ſoliditatem & perſpicuitatem doctrinarum alter STAHLIVS, maximoque jure Halenſi Academiæ adſerendus videbatur, cum amantiſſimi patris, *Pauli Martini*, deſideriis ac votis obtemperans ſubito relinqueret Halam Magdeburgicam, ac Norimbergam repeteret. Maluit fortaſſe pater filii meritis ac opera frui patriam, quam exteram urbem, præſertim quod academicæ ſorti diffiſus, probabiliorem in patria enitendi opportunitatem divinatus fuerit. Vtcunque ſit, redux Norimbergam, praxi medicæ deſervire cœpit, itidemque docendo ſelectiores Medicinæ cultores ad altiora præparavit, nunquam otioſus, ſed aliorum commodis continuo deditus, quæ res tantum illi nomen paravit, ut honorifica appellatione Phyſicus ordinarius S. R. I. liberæ civitatis Windsheimenſis deſideraretur, licet officium hoc recuſare ſatius exiſtimaverit. Habuit igitur tenuitque noſtrum ab eo tempore Norimberga, ubi glorioſe conſeneſcere dulce & decorum arbitrabatur. Mors tamen ſuperveniens venerandi parentis hæc conſilia penitus diſturbavit. Alia tum exorta rerum facies, & receptu in Collegium Medicorum Norimbergenſium, quem pro conſtituenda certioris fortunæ apud ſuos ſpe neceſſarium habebat, neſcio qua invidia intercluſus, mirifice excitatus eſt ad reſalutandas Muſas Hallenſes, & ad confidentiorem in hac noſtra urbe aditum experiendum officiorum academicorum, præſertim, quod nulla patronorum ope atque auxilio hic deſtitueretur, ſicque ingenii vires & raræ eruditionis opes Fridericianæ ſimpliciter nunc dicare & devovere decrevit. Reſumſit poſt reditum impiger priſtinas occupationes in emolumentum

acade-

academicæ juventutis, inclaruit magis magisque Collegiis philoſophicis & medicis, ac præcipue acroaſibus in Logicam & Ethicam magni THOMASII, ejusque de eſſentia ſpiritus ſyſtema, haud mediocrem ſibi celebritatem comparavit, oraque & oculos civium in ſe convertit, THOMASII ſimul ſingularem favorem demeritus, qui ſemper inconcuſſus duravit, variisque in ſcriptis Thomaſianis honorificis teſtimoniis publice probatus eſt. Perſeveravit in hoc tramite conſtantia admirabili, nec cupiditate aliqua conſequendorum honorum ambitioſe vexatus, meritorum, quam habebat, ſolida laude & gloria, &, quam quotidie bonorum omnium judicio augebat atque amplificabat, apprime contentus, præter exſpectationem, quantum claritas nominis ſui efficeret apud Norimbergenſes, populares ſuos, experiebatur, ubi anno MDCCVII. die VII. Iunii in Collegium Medicorum cum ampliſſimis laudis documentis ſponte adſciſceretur, licet ad divortium cum Fridericiana iterum faciendum nihil eum adducere poſſet.

Ac profecto ſumma cum ratione & æquitate remunerata haud multo poſt noſtri in Fridericianam fidem fuit FRIDERICI I. Poruſſorum Regis juſtitia, cum anno MDCCX. die XVI. Decembris Profeſſor Medicinæ conſtitueretur extraordinarius, firmiorique nexu Poruſſico imperio vir eximius & publice utilis adſtringeretur. Sicut vero omnis officii diligentiſſimus erat, nec ullum laborum refugiebat onus, ita, quid in ornando munere Profeſſorio poſſit ingenui doctoris induſtria, in illa jam extraordinaria ſtatione oſtendit, ſive Collegiorum, nulla impedimentorum ſpecie aut excuſatione interceptorum, operoſos labores, ſive Diſſertationum academicarum inſignem copiam, ſpectaveris. Atque hic ipſe gradus eſt, qui ad altiora ſternitur academicis, ut probata illorum præſtantia, & in adminiſtrandis officiis ſedulitate, paullatim ſublimius evehantur. Itum hac via etiam a noſtro feliciter ſatis, quando anno MDCCXVI.

die XVI. Ianuarii, evocato in aulam Regiam Berolinenſem ſummo STAHLIO ad illuſtre Archiatri capeſſendum munus, huic viro digniſſimus in ordine Medicorum ſuffectus fuit ſucceſſor, eximia cum ſpe, futurum, ut tanti luminis jacturam Albertini nominis celebritas quam feliciſſime ſolaretur. Nec fefellit augurium Fridericianam, quæ, amiſſo STAHLIO, nacta eſt in noſtro quicquid ad STAHLIVM Academiæ medicoque ordini reddendum requirebatur. Durabat ad hæc in beato viro irreſtinctus laborandi ardor, quem in tuenda demandata ſibi provincia docendo, diſputando, ſcribendo, in virili pariter ætate ac ipſa ſenectute, oſtendit, dies noctesque doctis meditationibus abſumſit, in ſumma omne vitæ tempus publicis utilitatibus ſacrum eſſe juſſit. Haud mirum videri poteſt, deſiderio tam præclari viri tactos Norimbergenſes ſerio agitaſſe conſilia de tanto Medicinæ & Philoſophiæ decore Altorfinæ Academiæ ſuæ inferendo, quæ tamen pro illo, in quo nunc conſtitutus erat, rerum ſuarum ſtatu a Fridericiana abalienare noſtrum non poterant. Inde alia ſuper alia Regiæ clementiæ conſecutus documenta, Conſiliarii aulici dignitate honoratus fuit anno MDCCXVII. die XXVII. Septembris: Phyſicam Profeſſionem ordinariam anno MDCCXIX. die I. Maii obtinuit ac denique in Ducatus Magdeburgici ſacro Conſiſtorio Senator rite receptus fuit die XVII. Martii anno MDCCXXV. multisque deinceps in Conſiſtorialibus cauſis expediendis inſignem dexteritatem probavit. Tot vero dignitatibus atque honoribus paullatim auctus, eam ſemper ſervavit modeſtiam, ut nunquam ambitioſe ſibi blandiretur, animumque meritorum gloria efferret, quin nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam, referens, in eo ſolum elaboraret, ut parem ad adminiſtranda ſplendida munera ſolertiam atque fidem adhiberet, ſublimitatemque non in inanibus titulorum umbris, ſed in re ipſa, quæreret. Necquicquam hic prætereundum eſt, quod Imperialis

Leo-

Leopoldina Naturæ Curioſorum Academia ornamentum haud mediocre ſibi imputaverit, tantum ſibi adſciſcere Collegam, quem locum ſub ANDRONICI nomine diu præclare illuſtravit, multumque celebritatis inclitae Societati adſtruxit. Nec carere voluit tam inſigni viro Societas ſcientiarum Regia Berolinenſis, quem anno MDCCXXVI. die XIX. Iunii ſolenni transmiſſo Diplomate inter ornamenta ſua cum laude præcipua cooptavit.

Conſulatu Fridericianæ ter functus, anno MDCCXXVI. anno MDCCXXXVII. & anno MDCCLIV. magnam geſti officii exiſtimationem iniit, præſertim quod in turbulentis temporibus in regenda Academia egregiam prudentiam adhibuiſſet, ſapienter providendo, ne quid respublica noſtra litteraria inter dubios & difficiles rerum eventus caperet detrimenti. In qua re, cum plus valeat conſulendi & agendi dexteritas, paratumque conſilium, quam qualiscunque altiſſimæ eruditionis opinio, patet ſane, quantum ille, præter ampliſſimam doctrinam, valuerit in optime agendis rebus, & proſpiciendo rei communi, quod ſæpenumero ne maximis quidem hominibus datum eſt. Tertium Conſul præcipuam felicitatem habuit, quod Halam Magdeburgicam tranſiens magnus FRIDERICVS, Poruſſorum Rex, amor ac delicium omnium bonorum, ac inprimis Muſarum dulce decus ac præſidium, auguſto ſuo adſpectu illum dignaretur, in ſtatum Fridericianæ & litterarum inquireret, omnibusque cum ſignis ſingularis clementiæ illum dimitteret. Id unicum adjicimus, tenuiſſe diu ſatis apud nos virum illuſtrem officium Profeſſoris Philoſophiæ ordinarii, licet Magiſtri titulo deſtitutum, quem docendæ Philoſophiæ peritiam nec augere nec minuere in quoquam, facile largientur intelligentiores, ſed ex improviſo contigit, ut & hæc Magiſterii jura ſponte illi tribuerentur à Leucorea Academia, Decano celeberr. HAFERVNGIO, illuſtri cum teſtimonio maximo-

rum in Philoſophiam meritorum, ſiquidem limatiſſimum, ut ſcribit, judicium ſibi expetit Philoſophi noſtri, de cauſa durationis nivium circa caminos montis Aetnæ, in re ardua ac recondita ſententiam noſtri requirens, quam neminem facile daturum melius rectiusque arbitrabatur.

Nunc quidem, ſi incredibilem illam beati viri in ſcribendo ſollertiam, animique intentionem conſideremus, maximo jure iis eruditorum comparandus videtur, qui ex hac parte plurimum præſtiterunt, doctorumque operum multitudine gloriam conſecuti ſunt immortalem. Admirationi merito omnibus eſt, ingens copia Diſſertationum academicarum, proprio viri ſtudio conſcriptarum, atque ex raritate argumentorum plurimum commendabilium, quæ centurias tres & dimidiam excedunt, quarumque indicium ſubjicimus in calce. Tum vero *Iurisprudentiæ medicæ* voluminoſum Syſtema, diffuſiſſimæ lectionis apparatu inſtructiſſimum, acerrimi judicii luminibus ſplendidum, & totum utilitatibus vitæ humanæ ſcriptum, quam perenne, quæſo, famæ Albertinæ monumentum eſt, nullo unquam tempore, quoad litteris & artibus inter homines pretium erit, interiturum? Quam elegans, quam novum, *ſpecimen* illud *Medicinæ theologicæ*, ex diverſorum argumentorum, Theologiæ finitimorum, egregiis meditationibus compoſitum? cui ſupparem merito jungimus collectionem aliam minorum ſcriptorum Germanicorum, ad illuſtrandam & Medicinam & Philoſophiam pertinentium. Conticeſcimus alia, quæ ad adornandum *Lexicon* aliquod *medicum reale* contulit; Syſtema medicinæ totius in uſum auditorum concinnatum: acceptiſſimum cum Medicis, tum Iurisconſultis Commentarium medicum in Conſtitutionem criminalem Carolinam, ne ultra ſcriptionis hujus modum ingratiis Lectorum plus juſto evagemur. Quemadmodum vero tota ſcribendi ratio viri illuſtris eruditionem amplisſimam oſtendit, ita non minus eſt, quod ubique agnoſcas illum

Deo

Deo & religioni devotum deditumque animum, dum nunquam sibi scribere excellentius & in publicum utilius visus est, quam ubi piis meditationibus ac insignium Theologorum sententiis, velut gemmis, omnia sua scripta atque opera interstingueret, in qua re tanto promtiori illi esse licuit, quod ex continua lectione atque meditatione probatissimorum Ecclesiæ nostræ Theologorum, LVTHERI, ARNDII, SPENERI, SCRIVERI, MÜLLERI, GEIERI, & nostratium Hallensium, adhibita excerpendi inexhausta industria, semper præsto haberet locupletissimum collectaneorum apparatum, fidelem memorabilium rerum depositarium, unde petere liceret luculentas illustrationes & testimonia, quibus pleraque ejus scripta, sigillatim Dissertationes, abundant.

Nihil quidem possumus universim in laudem viri summi adferre illustrius, quam fuisse totam ejus vitam, præter tot alia laudabilia facta, perpetuum virtutis ac pietatis exercitium. Id ipsum erat, quod quærebat, quod desiderabat, in quo lætabatur, animique unicam requiem, in beata ac indissolubili cum Deo conjunctione, reponebat. Sic adversarum rerum leniit tædium, sic ad optime sperandum mentem continuo excitavit, sic dispertitus fuit otia, ut nunquam non divinæ clementiæ & auxilii certus, mortalitatis iter faustissime absolveret, in conspectu quasi Dei, quem castis invocare precibus, cœleste præsidium in omnibus expetere, ac divinæ benedictioni se suosque ardentissime commendare, nunquam destitit. Divini verbi crebra & fere continua meditatio maximæ illi deliciæ, & in his tenebris ac vicissitudinibus rerum humanarum fulgida lux erat. Multum illi animi pro fide & veritate. Ingenium fœcundum, nec sine Socratico sale, erat: judicium vivax & acre: in cultu parsimonia: abstinentia familiaritatum, quibus multorum vita nimium distrahitur. Iucundissima intra penates quies. Benignitas in indigos opis homines. Arrogan-

tiæ qualiscunque fuga. Denique perpetua cura, quam per omnem vitam in pectore aluit, placendi Deo, & per fiduciam in CHRISTO poſtremo merendi beatam æternitatem, quam principem omnibus eruditis curam eſſe optavit, nullis aliarum rerum impedimentis temere ſummovendam, cum hac re omnis hominum felicitas, omnis tranquillitas mentis, omne vivendi decus, omnis ſalus, veriſſime nitatur.

Lætis auſpiciis conjugem ſibi elegit anno MDCCV. virginem nobiliſſimam, *Annam Magdalenam* WENDTIAM, *Georgii* WENDTII, Senatorii ordinis viri, filiam natu maximam, coluitque cum illa connubium tranquillum, dulce, & ex omni parte fortunatum, pluribus annis, donec anno MDCCXLI. triſtem viduitatis ſortem ſubire cogeretur urgentibus fatis, fidæ uxoris adjumento orbatus jam ſexagenarius, & in flebilem ſolitudinem, ſub adventantem ſenectam, conjectus. Fœcundo cum WENDTIA matrimonio gaviſus eſt, quando ex dilecta hac conjuge amplexus eſt prognatos:

I. *Charlottam Sophiam*, quæ flebili digreſſu anno MDCCXXVIII. e vivis ſublata, inſigni parentes luctu adfecit. Virgo fuerat omnibus corporis & virtutum decoribus ornatiſſima, maximæ ſpei filia, tantoque juſtius deflenda, quod ex filiabus tribus adhuc unica ſupereſſet.

II. *Chriſtianum Erneſtum*, non multo poſt, quam natus eſſet, exſtinctum.

III. *Auguſtum Georgium*, poſt tres annos vivis ereptum.

IV. *Henriettam Auguſtam*, æquali fato poſt triennii intervallum ſublatam e mortalium conſortio; denique firmamentum illuſtris familiæ, unicumque præſidium,

V. *Henricum Chriſtianum*, nunc Regis Poruſſorum Sereniſſimi Conſiliarium aulicum & Profeſſorem Medicinæ apud nos extraordinarium, in excolendis botanicis amœnitatibus feli-

feliciſſimum, variisque in hac Medicinæ parte eruditis ſpeciminibus notum. Multæ conſolationi fuit noſtro, quod deſolatam tot ſuorum mortibus domum fulcire daretur auſpicatiſſimo conjugio excellentiſſimi viri cum elegantiſſima virgine, *Chriſtiana Sophia* MATTHESIA, nominatiſſimi olim Hallenſium Conſulis filia, ex qua conjunctione nepotes habuit *Chriſtianam Sophiam*, *Mariam Eliſabetham*, *Chriſtianum Wilhelmum*, *Michaelem Henricum*, *Chriſtianum Auguſtum*, & *Iohannem Wilhelmum*.

Ceterum ad beatum Illuſtris viri ex hac vita diſceſſum quod attinet, haud quidem toto vitæ tempore ſanitate adeo firma ac corporis robore tam valido uſus eſt, quin ſubinde, ac prope quotidie, variis incommoditatibus, morborumque & ægritudinum tentamentis, objectus eſſet. Omne in hoc ſtatu remedium quæſivit in vitæ ratione tranquilla, victus & diætæ cura quam accuratiſſima, adfectuumque vehementiorum fuga, qua re effectum eſt, ut vitam produxerit ad ſeram usque ſenectutem, infinitisque laboribus & occupationibus, quas officium academicum ſecum fert, continuo par fuerit. Poſtremo cum ſeptuagenaria majorem ætatem adſequeretur, magis magisque occidere ſenſit vim mortalis naturæ, donec in ſeptuageſimo quinto vitæ anno conſtitutus, manifeſtis documentis propiorem adventum prævideret mortis, cujus rationem hic prolixius deſcribere nihil attinet, cum ſatis ſit adnotaſſe, magno illum animo atque conſtantia, ac inſigni in Deo fiducia, firmatum, patientiſſime acquieviſſe in divina voluntate, atque, quod in præclare acta vita habuerat præcipuum, etiam in fine ejusdem ſervaſſe, animum Deo devotum, & Chriſti, Servatoris, cauſa omnia a mitiſſimi Patris cœleſtis bonitate exſpectantem. Hoc ſenſu, hac mente animam Deo reſignavit die XVII. Maji, MDCCLVII. hora IV. matutina, vivendo expletis annis LXXIV. menſibus VI. diebus III.

De-

Designatio Scriptorum
a
b. Dn. D. MICHAELE ALBERTI
editorum.

I.
Opuscula in Quarto.

I. Introductio in universam Medicinam, tam theoreticam, quam practicam, cujus

Pars I. complectitur Physiologiam & Pathologiam, Hal. Magdeb. 1718. Editio altera, priori auctior, ibid. 1741.

Pars II. exhibet Semiologiam, Hygienen, Materiam medicam & Chirurgiam, Hal. Magdeb. 1719.

Pars III. tradit Therapiam medicam, Praxin universalem & Praxin extemporaneam; cum additamento Philosophiæ naturalis & Chymiæ, Hal. Magdeb. 1721.

Accedit IV. Isagoge Formulas medicamentosas, Praxi clinicæ accommodatas, conscribendi, Hal. Magdeb. 1726.

II. Iurisprudentia medica, cum Præf. *Christ.* THOMASII, Hal. Magdeb. 1725. Editio secunda multo auctior, ibid. 1736.

III. Iurisprudentiæ medicæ Tom. II. Schneeberg. 1729.

IV. Iurisprudentiæ medic. Tom. III. ibid. 1733.

V. Iurisprudentiæ medicæ Tom. IV. Lipsi. & Gœrlitz. 1737.

VI. Iurisprudentiæ medicæ Tom. V. ibid. 1740.

VII. Iurisprudentiæ medicæ Tom. VI. cum Indice in universum hoc opus directo, Lipsi. & Gœrlitz. 1747.

VIII.

VIII. Tentamen Lexici realis, Obſervationum medicarum, ex variis Auctoribus ſelectarum, Pars prima, Halæ Magdeb. 1727.

IX. Tentamen Lexici realis Obſervationum medicarum. Pars altera, Halæ Magdeb. 1730.

X. Commentarius medicus in Conſtitutionem criminalem Carolinam. Hal. impenſ. Orphanotroph. 1739. Nota. Hujus Libri mentio fit *in denen wœchentl. Halliſchen Anzeigen* Num. 21. ann. 1739. p. 354. ſeq.

II.

Tractatus in Quarto.

I. Tractatus, de Medicamentorum modo operandi in corpore vivo, Hal. Magdeb. 1720.

II. Tractatus, de Hæmorrhoidibus, cum Præf. STAHLII, Hal. 1722.

III. de Torturæ Subjectis aptis & ineptis, Hal. 1729.

IV. de Natura humana, qua indicatur & rationibus ac ſuffragiis theologicis, medicis atque philoſophicis confirmatur: animam hominis rationalem proprium ſuum domicilium generare, conſervare & ſanare, Hal. 1732.

V. de Longævitate hominis, naturalibus nonnullis mediis adjuvanda & promovenda, regulis præcipue diæteticis accommodata, Hal. 1732.

VI. *Philoſophiſche Gedanken, von dem Unterſchied der Kräfte der Seele nach dem Unterſcheid der Menſchen, Halle* 1740.

VII. *Mediciniſche Betrachtung, von den Kräften der Seele nach dem Unterſcheid des Leibes uud deſſen natürl. Geſundheit oder Krankheit, Halle* 1740.

VIII. Lemma medicum, explicans: Noli me tangere medicum, *einige Krankheiten, welche keine eigne Cur leiden*, Hal. 1752.

III.

In Octavo.

I. Tract. de Energia naturæ, Hal. 1707.

II. Tract. de Pædantiſino medico, ibid. eod.

III. *Mediciniſche und Philoſoph. Schrifften*, ibid. 1721.

IV. *Abhandlung vom Podagra junger Leute*, ibid. 1725.

V. *Ausführlicher Beweis vom Podagra ohne Salz*, ibid. 1725.

VI. Medicina theologica, cum Præf. *Dn. D. Ioh. Mich.* LANGII, & altera *b. Autoris*, de Luca Medico, ibid. 1726.

VII. Obſervationes quædam in A. N. C. & Obſervationibus latinis Hallenſibus contentæ, quæ in *mediciniſchen und philoſophiſchen Schrifften* comprehenſæ reperiuntur.

ELOGIVM

Jo. Hartm. Degner.
Med. Doctor, Civitatis Noviomagens.
Consul et Architer, Acad. Caes.
Natur. Curios. Collega.

G. P. Nusbiegel fecit. Norib.

ELOGIVM

VIRI

Prænobiliſſimi, Experientiſſimi, Ampliſſimi atque Doctiſſimi,

D. IOAN. HARTMANNI DEGNER,

Civitatis Noviomagenſis Conſulis, Scabini & Archiatri, Cæſareæque Leopoldino-Carolinæ Academiæ Naturæ Curioſorum Collegæ, nomine

ARGONAVTAE IV.

die VI. Novembr. A. R. S. MDCCLVI.
placida morte extincti.

Clarorum virorum facta moresque Posteris tradere antiquitus usitatum, nec nostris quidem temporibus Literatorum cura omisit. Cumque in eorum censum, qui de Republica literaria optime meruerunt, secundum omnes, ad quos Scriptorum hujus viri notitia peruenit, summo jure referendus sit Amplissimus & Celeberrimus DEGNERVS, operæ erit pretium, præcipua vitæ hujus viri momenta paucis exponere. Vrbs Patria *Suinfurtum* fuit, *S. R. I.* civitas, tot sagaciorum ingeniorum ferax mater, ubi *Noster* die XIX. Iulii MDCCLXXVII. natus est. Patrem habuit Virum Amplissimum *Ioannem Hartmannum* DEGNER, ICtum, reipublicæ Suinfurtensis Senatorem ac Scabinum, redituum Commendæ Munnerstadtensis ac Cœnobii celeberrimi Bildhusani Curatorem summum. Mater ei fuit Matrona nobilissima *Anna Christina de* FEHR. Avum paternum coluit virum nobilissimum & doctissimum *Leonardum* DEGNER, ICtum, clientiumque Patronum, ac redituum publicorum in Tractu celeberrimo Ostheimensi atque Friesenhusano in Franconia, quæ ad orientem vergit, Præfectum, Aviamque feminam spectatæ virtutis *Annam* METZLER. Avus maternus fuit, Vir, dum viveret, illustris *Ioannes Michael de* FEHR, Liberæ S.R.I. Reipublicæ Suinfurtensis Iudex Cæsareus privilegiatus primæ instantiæ, & Prætor Imperialis, Acad. Natur. Curios. Præses secundus, & Imperatoris LEOPOLDI gl. m. Archiater, quem illustris Academiæ mandato sollemni Oratione, pro eo, ac par est, laudavit LOCHNERVS, Physicus Norimbergensis, quæ deinceps *Nat. Cur. Ephemeridibus Dec. II. Ann. VIII.* inserta est. Avia materna fuit femina nobilissima *Anna Maria* OTTO. Filio sacris initiato, idem cum Patre nomen delatum. Vterque *Nostri* parens pro virili parte id sedulo egerunt, ut liberali educatione doctrinaque puerili filius institueretur. Ingenii haud sterilis indicia protulit, & præcipue talem se in Gymnasio patrio probavit, ut jam nemo dubitaret, fore, ut præfi-

xam ſtudii metam feliciſſime conſequeretur, nec tantum parentibus & præceptoribus perplacuit, ſed viros etiam eruditionis ſolidæ fama præclaros ſibi conciliavit. Poſitis itaque politiorum literarum fundamentis, anno hujus ſeculi nono Halam Magdeburgicam, tot doctiſſimorum virorum Alumnam, pertendit, ut arti medicæ ſcientiæque naturali, ad quas animus inclinabat, ſe totum daret; ſed Pater eum jurisprudentiæ deſtinaverat, cujus votis & annuit. Hic ſumma cum induſtria nominis celeberrimi viros STRYKIVM, LVDWIGIVM ac BOEHMERVM Iurisprudentiæ præcepta docentes, & THOMASIVM GVNDLINGIVMque Philoſophiæ & Hiſtoriæ cognitionem profitentes, non ſine eruditionis fama audivit; diligenter poſtea Medicinæ ſtatorem ſummum, HOFFMANNVM, alioſque Doctores in Medicina ac Phyſica præceptores ſecutus eſt. Stadio academico per triennium confecto, & utroque parente intra octiduum rebus humanis exemtis, ad patrios lares rediit. DEGNERVS ita ſui juris factus, genioque ſuo indulgens, Iuris ſtudium, ut ut in hoc doctrinæ genere non leves progreſſus feciſſet, reliquit, nec a ſcopo forſan alienum erit rationem reddere, cur illud reliquerit. Conſtat inter eruditos, inſigne illud Medicorum par, *Ioannem Laurentium* BAVSCHIVM, & *Ioannem Michaelem* FEHRIVM, anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo ſecundo Suinfurti ad excolendam ornandamque artem medicam, atque abditos Naturæ receſſus perſcrutandos, cum præſtantiſſimis in Germania Medicis *Societatem* condidiſſe. Nec deerant viri eruditionis gloria florentes, qui huic laudabili Inſtituto ſuam operam pro virili conferebant, & obſervationes ſingulares, quas cum Eruditis communicare geſtiebant, Suinfurtum mittebant, ut *Ephemeridibus Naturæ Curioſorum* inſererentur. Quod laude omnino dignum *ſodalitium* artis clinicæ culturæ maxime proficuum, cum progreſſu temporis majora ſumeret incrementa, ita ut nove veluti amictu ſuperbiret, poſtea an. MDCLXXXVII,

illuſtri

illuſtri *Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum*, quæ adhuc ſupereſt floretque, originem dedit. Conf. *Ioan.* ENGLERTI *Programma in Natal. ſecul. Gymnaſii Suinfurtenſis* anno MDCCXXXIV. ibidem editum, ubi *de origine Acad. Nat. Curioſ. ejuſdemque primis Præſidibus* quædam referuntur; uberiorem autem horum notitiam ſuppeditavit illuſtris Præſes BÜCHNERVS, in *Hiſtoria S. R. I. Academiæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum*, ann. MDCCLV. publici juris facta.

Incidebat *Noſter* in vagum illud literarium commercium, quod prælaudatis BAVSCHIO & FEHRIO cum præclaris diverſarum gentium viris per aliquot annos interceſſerat, quo veluti in ſpeculo conſummatiſſimi Medici imaginem cernebat expreſſam. Horum labore artisque fructu admodum delectabatur, hiſque animus *Noſtri*, per ſe artis ſalutaris cupidus, ita accendebatur, ut Avi aliorumque veſtigia premere, & iisdem ſtudiis ac moribus ſua promovere commoda vellet. His perpolitus ac limatus, in eo erat totus, ut media apta eligeret, quibus artis præcepta ad methodum medendi, quæ eſt anima curationis, converteret. Et hunc ſcopum attigit. Eodem enim tempore Berleburgum, non ignobile in Comitatu Wittgenſteinenſi oppidum, celebris doctiſſimorum virorum cœtus illuſtraverat, in quos ob ſingularia, quæ in omni doctrinæ genere fovebant, placita, Literatorum præcipue Germanorum oculos converſos fuiſſe, hiſtoria docet literaria. Huc multi nec obſcuri generis juvenes certatim confluebant, ut his erudiendis ſe traderent. DEGNERVS ſcientiæ ſuæ pomœria extendendi cupidine flagrans, conſilio, quod exitus docuit, perutili, hanc doctiſſimorum virorum coloniam inviſebat, ac viros in arte ſalutari perſpicuos duces ſibi eligebat, præ ceteris vero virum immortalis famæ IVNCKERVM, cui ut vegetam ſenectutem cum omnibus bonis ex animo optamus, ita *Noſter* eius

ami-

amicitiam ſibi admodum proficuam ad extremum vitæ diem ſanctiſſime coluit. Heic cœptum artis curſum quanto potuit maximo conatu perfecit. Viſcera, quæ natura abdidit, inteſtina, arterias, venas, nervos diligenter perſcrutatus eſt, membrorum nexum, figuram & ordinem accuratiſſime perquiſivit, & chemicis artificiis res abditiſſimas in ſua principia ſolvit, earumque naturam exactiſſima ratione rimatus eſt, viresque experiundo cognovit.

Quanto autem in hanc artem ferebatur amore, & quam aſſiduo eam excoluit ſtudio, non ſolum ex eo, quod pharmaca, quæ præ reliquis ſingulari virtute ſe commendabant, ipſe parabat, ſed vel ex ejus Diſſertatione de *Turfis*, *Acidulis Vbergenſibus & Phoſphori urinæ præparatione* (quam deſcriptam vide in Diſſertatione de *Phoſphoris & Phoſphoro urinæ*, Auctore *P. N.* LOTICHIO, Medico experientiſſimo) ſatis ſuperque patet. Quibus ornatus ſubſidiis Trajectum ad Rhenum deſcendit, ubi, habita Diſſertatione inaugurali, de *notabili quodam caſu Febris petechialis cum cholerico-cauſodea complicatæ*, ſummos artis ſuæ honores ann. MDCCXVII. conſecutus eſt. Primo medicinam Elberfeldæ non ſine artis fructu fecit. Deinde animo ad caſtiſſimum vitæ humanæ fœdus converſo, menſe Decembr. MDCCXVIII. in matrimonium duxit nobiliſſimam & pietate animique caſtimonia longe commendatiſſimam Matronam *Catharinam Gertrudem* BRAHM, viri ampliſſimi & experientiſſimi *Ioannis Chriſtiani* CALCKHOVII, ad Aulas Berolinenſem, & poſtea Monaſterienſem in Weſtphalia Medici præcipui viduam, amplſſimi *P.* BRAHM, ICti, & civitatis Veſalienſis Conſulis filiam. A quo inde tempore, Elberfeldam relinquens, Noviomagi ſedes fixit, ubi ægrotantium ſaluti omnem operam & fidem navavit, ac exiſtimationem in arte ſanandi quæſitam in dies majorem amplioremque ſibi conciliavit.

Nec

Nec domi & intra privatos parietes induſtria ejus eluxit, ſed foris eam quoque elucubratis ingenii monumentis nobilitavit, quibus ſuper Medicorum vulgus elatum, Illuſtris Academiæ Ceſareæ Natur. Curioſorum Proceres eum in ſuorum numerum, ut Academiæ operam ſuam addiceret, cooptarunt, & quidem ſub cognomine *Argonautæ IV.* ut aliquando veſtigia *Argonautæ I.* ſequeretur, ſub qua appellatione celeberr. Fehrivs, Degneri Avus, in Academiæ Ephemeridibus claruit. Iam inde dignum ſe Collegarum exſpectatione præſtitit, ac obſervationes ſelectiores, non proletaria, ſed ea, qua decuit, opera, meditatione atque uſu conſcriptas, illuſtris hujus Academiæ Actis inſeruit. Ad hæc egregias quoque Commentationes quasdam contulit ad eximium opus *Collectionum medico-phyſicarum Wratislavienſium*, quibus non vulgare inter Eruditos nomen conſecutus eſt. Præterea, cum anno MDCCXXXVI. Noviomagi Dyſenteria magnas ſtrages ederet, famam dexteritatis in eo malo depellendo præ ceteris ſibi comparavit. Quam ob rem Ampliſſimus civitatis Noviomagenſis *Magiſtratus* in eum oculos convertebat, & paulo poſt *ordinarii Medici* provinciam *Noſtro* capeſſendam obtulit. Hanc ſpectata integritate geſſit, ejuſque partes ſumma cura ſtudioque ſic explevit, ut huic ſtationi, antea duobus & nonnunquam tribus demandatæ, ab anno MDCCXLIII. uſque ad ultimum mortalis vitæ ſpatium, adprobante Magiſtratu, *ſolus* præfuerit. Hujus Dyſenteriæ epidemice graſſantis Hiſtoria medica anno MDCCXXXVIII. typis deſcripta, ei ſummorum in arte medica virorum adplauſum conciliavit, ut & ubique libellus avide diſtraheretur, & totus *Actis phyſico-medicis Acad. Natur. Curioſ.* inſereretur. Cum vero poſt aliquot annos vix ac ne vix comparari & *Noſter* Bibliopolæ Lovanienſis *I. F. van Overbeeke* impudens auſum in excudenda, inſcio Auctore, altera hujus Tractatus editione, mendis ubique ſcatente, ferre non poterat, haud inconſultum arbitratus fuit, eundem novis obſervationibus adauctum orbi

erudito communicare. Calci hujus opuſculi adjuncta eſt *Relatio hiſtorica, cum Reſponſo Facultatis Medicæ Halenſis, de Morte per Mercurium ſublimatum corroſivum producta.* Recenſent Editionem primam Lipſienſes in *Supplementis ad Acta nova Eruditor. Tom. VII. Sect. IX.* pag. 423. ſeqq. & Norimbergenſes in *Commercio literario ad rei medicæ & ſcientiæ naturalis incrementum inſtituto*, ann. MDCCXXXVIII. pag. 341. ſeqq. Editio vero *poſtrema* recenſetur in *Commentariis de rebus in Scientia naturali & Medicina geſtis* Vol. IV. pag. 267. ſeqq. Vt vero in dyſenteria curanda variis medicamentis, tum temporis plerumque ignotis, ſummo cum ſucceſſu uſus fuit; ita haud ſingularem meretur laudem, quod primus WINTERO, celſiſſimæ domus Arauſionenſis Archiatro digniſſimo, & in Academ. Lugduno-Batava Prof. Medicinæ celeberrimo, *Atropæ*, ſive *Solani furioſi* vires in ſanandis tumoribus ſcirrhoſis inveteratis expoſuerit. Hic etenim Auctor fuit *T.* LAMBERGEN, Profeſſori Franequerano, nunc Groningano meritiſſimo, in muliere, quæ carcinomate mammæ laborabat, hujus medicamenti virtutem experiundi, quæ ejus efficaciæ fuit deprehenſa, ut grave iſthoc malum, & fere inſanabile viſum, in integrum ſublatum fuerit. Quod vero mireris, hujus herbæ vires in ſe prius explorando LAMBERGEN eandem doſin adhibendam edoctus eſt, quam *Noſter* WINTERO determinaverat. Conf. *Tib.* LAMBERGEN *Lectionem inauguralem, ſiſtentem Ephemeridem perſanati Carcinomatis*, quam Diſputationibus ad *Morborum hiſtoriam & curationem facientibus* inſeruit HALLERVS Tom. II. pag. 3. ſeqq.

Priori connubio morte piæ & ſedulæ uxoris an. MDCCXL. menſe Decembr. ſoluto, ſecundum iniit matrimonium cum Nobiliſſima virtutibusque proba virgine *Anna Catharina Gertrude* MIDDELDORFF, Viri ſumme Reverendi *Alberti Petri* MIDDELDORFF, Eccleſiæ civitatis, quæ eſt in Comitatu Marcano, Schwelmenſis, eique adjacentium Pagorum pie beneque meriti

riti Paſtoris filia, quam, peractis *Arenaci in Geldria* nuptiarum ſollemnibus, MDCCXLII. domum duxit, viduam nunc mœſtiſſimam, quacum felix tranquillumque exegit conjugium, hilareque vixit. Ex utroque connubio nullos reliquit poſteros. Anno MDCCLI. Sereniſſimus Dominus GVILIELMVS *Arauſionenſis & Naſſovii Princeps*, totius fœderati Belgii Gubernator hereditarius, DEGNERVM noſtrum muneri *Senatoris*, & poſtea *Scabini civitatis Noviomagenſis* gerendo admovit. In hac ſparta obeunda ita ſe geſſit, ut cum ſuæ dignitati, tum civium exſpectationi ſatis fecerit. Quibus rebus factum eſt, ut anno MDCCLVI. a Sereniſſima & Regia Principe ANNA, Belgii Gubernatrice, ad *Conſulatus* ejusdem civitatis faſtigium promoveretur, quem dignitatis locum in Senatu & congreſſibus, in conſiliis atque negotiis publicis pari diligentia & fide, uti ſincerum & cordatum decet virum, cum decora animi præſentia ita ſuſtinuit, ut animus in rei communis ſalutem nunquam torpuerit, nec a cogitatione rerum ſeriarum avocari potuerit, nullamque partem temporis, ne in morbo quidem, ad otiandum ſibi conceſſerit. Ad finem enim anni MDCCLV. cœpit ventriculus, quæ quotidie ingerebantur, vomitu cruda reddere, eoque adhibitis remediis haud cohibendo, tandemque aſſiduo, digeſtio in dies magis magisque depravari, corpus extenuari, & vita, ſubtracto omni fere nutrimento, tandem penitus aboleri. Ventriculum vero ad continuum hunc vomitum ab affectione ſcirrhoſa, vel ipſum hoc viſcus, vel vicinum aliquod occupante irritari, ſemper quoad vixit, ſuſpicatus ipſe DEGNERVS. Nihil equidem prætermiſſum fuit, quod eo faceret, ut malum nimis validum expugnaretur; ſed debilitas & languor cogitatione celerius prævertebant. Deo itaque confiſus, compoſito firmatoque cœleſti fiducia animo, ex vita hac miſera mortalique die ſexto Novembris anni MDCCLVI. inter vota preceſque circumſtantium non tam obiit, quam obdormivit.

De reliquo in gratiam Germanorum, tacente interprete, Opuſculum de *Turfis* ſub ſpecioſo titulo: *Teutſchlands neu entdeckte Goldgrube, das iſt: Iob. Hartm.* DEGNERI *phyſicaliſche und chymiſche Erœrterung vom* Torf, *vorſtellend einen natürlichen Bericht von denen brennenden* Waſen, *ſo in denen mehreſten Landſchaften, inſonderheit in Holland, angetroffen, und an ſtatt des Holtzes gebraucht werden. Zum nützlichen und nœthigen Unterricht bey dem von Tag zu Tag ſich mehr einfindenden Holtzmangel in Teutſchland, aus dem Lateiniſchen überſetzt von* Domandros. *Franckfurth und Leipzig* 1731. Quamvis vero heic illic aberraverit interpres a ſenſu verborum phyſicorum; laude tamen ſua dignus omnino eſt, ob magnam diligentiam adhibitam, & ob gratam *germanici ſermonis* perſpicuitatem.

MEMO-

MEMORIA
VIRI
Excellentissimi, Experientissimi, Amplissimi atque celeberrimi,
IOHANNIS ERNESTI HEBENSTREITII,
Medicinæ Doctoris & Professoris primarii, Ordinis Medicorum Decani perpetui, Decemviri Colleg. Paullino convictuque publ. curando, Collegii principalis major. Sodalis, civitatis Lipſ. Phyſici, Academiarum, Cæſareæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum, & Maſſilienſis Sodalis

Nonis Decembr. A. R. S. MDCCLVII.

rebus humanis exemti,

ex

funebri Programmate

Rectoris Academiæ Lipſienſis

depromta.

Non eget noſtra ad poſteritatem commendatione, memoria *Ioannis Erneſti* HEBENSTREITII, cujus ingenium doctrinamque, medico orbi acerba morte interceptam, dolemus: adeo ipſam per ſe omnibus caram eſſe putamus, adeoque multis monimentis eam ipſe vivus ſtabilivit, & ad omnem poſteritatem propagavit. Sed ut non nolumus habere imagines parentum, conjugum, liberorum, & fratrum, in quibus nihil, præter oris figuram, lineamenta, coloresque, expreſſum videmus, cum in animo multo luculentiores imagines, non modo corporum, ſed etiam animorum, repoſitas ſpectemus: ita nec iis, qui vel vivi HEBENSTREITII ingenium, doctrinam, virtutesque e propinquo, & per uſum diſciplinamve fruendo, vel ſcriptis expreſſas legendo cognoverunt, iniucundum fore putamus, in hac veluti tabula, aliquam Hebenſtreitiani ingenii, animi, totiusque vitæ imaginem propoſitam intueri: quæ ſi non ad vivum exprimat, quicquid vel ab natura datum habuit, vel ſtudio curaque partum, vel denique per doctrinam & virtutem aliis publice privatimque impertivit, ſaltem eorum cum ſuavitate quadam admoneat. Nam etiam de bonis jucundisque rebus, nec modo noſtris, ſed etiam alienis, valet, quod eſt de adverſis acerbisque apud Poëtem dictum: *etiam meminiſſe juvabit.*

Editus eſt in hanc lucem in Villa nova (*Neuenhof*) Diœceſeos Neoſtadienſis in Variſcis, a. d. XV. Ian. ann. MDCCII. patre *Io. Davide*, qui tum ibi, poſt Neoſtadii, ſacra fecit; matre felici ingeniis præclaris edendis, *Eſthera Suſanna*, *Io. Georgii* GVTNERI filia, qui Luſcaviæ, diœceſeos Colditianæ oppidulo, ſacerdotium obtinuerat, e *Suſanna* SCHVZIA, ſacerdotis in diœceſi Neoſtadienſi filia. Avum paternum habuit *Ioannem*, in eadem Villa nova ſacerdotem, qui in matrimonio habuit *Reginam*, *Davidis* STEMLERI, Archidiaconi Neoſtadienſis, filiam. Initia religionis & literarum cum pater ipſe tradidiſſet, datus

eſt

est primum in disciplinam *Io. Oswaldi* THOELITSCHII, in ludo Neostadiensi Conrectoris, & *Davidis* WENDLERI, Rectoris; post missus in Vinariense Gymnasium, ubi magistris usus est magno illo *Io. Matthia* GESNERO, qui tum Conrectoris ibi munus sustinebat, & *Io. Christophoro* KIESEWETTERO, Rectore, hospite autem *Io. Friderico* HEBENSTREITIO, ad aedem S. Iacobi tum Pastore, post Butstadiensis Ecclesiae & Diœceseos Praesule: qui eum, ut filium, aluit atque amavit. Ibi cum sub tam excellentibus doctoribus praeclare profeciisset in literis latinis & graecis, in Ienensem Academiam se contulit, ann. cIↃIↃCCXVIIII. natus annos duodeviginti. Sed cum ibi non reperiret, unde viveret, in hanc urbem se contulit, sperans fore, ut, quae fratrem natu maiorem benigne ad id temporis aluisset, eam ipse quoque benignam experiretur. Quae spes eum non fefellit. Nam & in Convictu publico locus ei contigit, & stipendium regium, & Patronus *Aug. Quirinus Florens* RIVINVS, qui eum, perspecto ingenio, celeriter adamavit, & omnibus in rebus, quoad vixit, enixissime juvit. Praeceptores secutus est philosophiae & litterarum causa LEHMANNVM Physicum, & *A. F.* MÜLLERVM: in medica autem doctrina, illum ipsum maxime RIVINVM, tum PAVLLVM, SCHACHERVM, ETMÜLLERVM, WALTHERVM, PLATNERVM & LISCHWICIVM: herbariae rei caussa, praeter RIVINVM, etiam HAHNIVM. Emensus studiorum curriculum, ad docendum adjunxit animum, disceptataque pro cathedra, sub LISCHWICIO, Exercitatione *de continuanda Rivinorum industria in emendando plantarum charactere*, Magistri philosophiae honores cepit cIↃIↃCCXXVII. & anno post, jus privatim docendae philosophiae, defendendo Exercitationem *de Ordinibus Conchyliorum methodica ratione constituendis*. Secutus est post duos annos a. d. V. Maji, ann. cIↃIↃCCXXX. Doctoratus artis medicae, scripta & feliciter defensa *de Viribus medicis minerarum & mineralium* diatriba: quo accepto etiam aditum sibi munire coepit ad Collegium Ordinis medici per aliam Disputatio-

tationem *de ſenſu externo virium in plantis judice.* Sed cum omnes medicæ doctrinæ partes ſtudioſe diligenterque tractaret, tum vero inprimis, & ſuo quodam ſtudio incenſus, & RIVINI cohortatione & exemplo invitatus, rem herbariam cupidiſſime & feliciſſime colebat, adjuvante etiam memoria, cujus prope divina vis erat. Quod cum videret RIVINVS, impenſe eum commendavit *Caſpari* BOSIO, ædilitio Senatori, & Horti Boſiani majoris tum domino, ut ejus opera uteretur in plantis raris, quæ ibi alerentur, tuendis & ordinandis. Ille vero ei rei præfectus, tanta non modo diligentia, ſed etiam ſolertia uſus eſt, ut non modo ipſe BOSIVS vehementer probaret ejus operam, ipſumque ea cauſa omni genere benignitatis foveret, ſed ut etiam majores judices mirifice curam ejus & ſolertiam laudarent. In quibus vel maxime fuit celeberrimus ille HEVCHERVS, Medicus regius, qui, cum horti plantas inſpexiſſet, HEBENSTREITIVMque per eam occaſionem propius cognoviſſet, mirifice collaudato ipſo, memorem ſe ejus fore apud Regem, liberaliter promiſit. Cui promiſſo mox fides conſtitit. Itaque quod ſtudium, liberalis delectationis maxime cauſa, erat ſuſceptum, etiam ad utilitatem valuit, quæ eſſet tanto magis jucunda & honeſta, quanto minus ab initio fuiſſet quæſita.

Erat tum adhuc in vivis AVGVSTVS Rex, hujus Noſtri Pater, inter ceteras virtutes plurimas & maximas, etiam amore incredibili omnium bonarum & pulcrarum artium atque rerum præditus, inprimisque naturæ operum omnium cognoſcendorum, inque ſedem ſuam, Dresdam, ex omnibus terræ partibus congerendorum cupidiſſimus, plane alter *Ptolemæus Philadelphus.* Nam *Ptolemæus* ille, ut (ex *Agatharchidis Periplo Maris rubri*) *Diodorus Siculus* tradit (III. p. 169. Ed. Rhod.) non modo libros ex omnibus locis congerebat, & eruditiſſimos quosque viros liberaliſſime fovebat & alebat, ſed etiam rariora & ſpecie admirabilia animalia Alexandriam magno ſumtu adduci

curabat, propoſitis ingentibus præmiis, ſi qui in eo genere aliquid, quod viſendum eſſet, cepiſſent, atque ad ſe adduxiſſent. Is igitur AVGVSTVS induxerat in animum, mittere in Africam, qui inde vel viva animalia majora, vel eorum exuvias & membra peterent, nec plantas aut alia naturæ opera, quæ illi terræ propria eſſent, negligerent. Deſtinabatur autem iis peragranda Africa, primum ſeptentrionalis, quæ mediterraneo mari adluitur, *Barbariam* vulgo vocant, ad deſerta usque Libyæ, Saram nunc appellant; deinde occidentalis, inde ab Atlante ad Bonæ ſpei promontorium: nam orientalem, hoc eſt, Aegyptum, jam perluſtrarat TVRNEFORTIVS. His deſtinatis perficiendis cum quæreretur vir idoneus, commendabatur Regi, ab HEVCHERO, HEBENSTREITIVS, in quo eſſet & hiſtoriæ naturalis, & linguarum ſcientia ei rei apta. Miſſus igitur eſt, cum adoleſcentum, quos ipſe ſibi delegiſſet, in his LVDOVICI, qui nunc Ordini Medicorum apud nos præeſt, comitatu, inſtructus literis Regum Franciæ, Britanniæ, & Principum Belgii fœderati, quibus non modo Legatis eorum, ſed etiam Principibus Africæ commendaretur. Profectus Dresda, a. d. XXIII. Octobris, ann. cIↃIↃccxxxi. per Germaniam, Helvetos & Franciam, extremo anno pervenit Maſſiliam: unde cum ſolviſſet a. d. XXIV. Ianuarii proximi, difficili & moleſto curſu, a. d. XXVII. demum Februarii portum Algerii attigit. Ea in urbe cum tres amplius menſes ita commoratus eſſet, ut ſubinde in vicinas regiones excurreret, medio Iunio inde navi digreſſus, venit Bonam, Tunetanorum finium, ſed Algerianæ ditionis oppidum, haud procul Hipponis regii ruinis: unde excurrendi facultas dabatur in Conſtantinæ fines, quæ & ipſa eſt Algeriani regni, & veteris Numidiæ pars, verſus Orientem ſita, antiquitatis Romanæ reliquiis inprimis referta, cujus caput eſt Conſtantina urbs, olim Cirta, Numidiæ regum ſedes. Inde oram maritimam legens, adiit Thabracam inſulam, nobilem coralliorum captura, quam ibi Genuenſes exer-

exercent, Bisertamque urbem (quæ est Hippo Diarrhytus, s. Zarrhytus, unde & nomen corruptum est in Bisertam) brevi intervallo ab Vtica distantem, ad ultimum terrestri itinere Tunetem. Ea urbs cum vicina sit veteri Carthagini, e cujus excidio olim incrementa cepit, non modo ejus ruinas spectabat, sed & visendarum vicinarum regionum facultatem sibi datam sperabat. Sed ea tum quidem spes irrita fuit. Etenim Princeps Tunetanus ita infesto erat in Christianos animo, ut eis peragrandorum Tunetanorum finium potestatem omnem adimeret. Itaque mox Tripolim contendit inspectisque diligenter, quæ regio ea visenda habet, per Melitam insulam Tunetem reversus est. Sed dum aberat, LVDOVICVS, qui valetudinis causa ibi remanserat, aditu ad Principis benevolentiam reperto, impetraverat visendarum regionum vicinarum veniam, easque peragrando pervenerat ad Saræ usque fines. Qua re cognita, persecutus eum est HEBENSTREITIVS, & cum alias regiones, tum maxime partem eam peragravit, quæ inter Tunetanum & Tripolitanum regnum ab angustis initiis ducta, latioribus spatiis versus interiora Africæ propagatur: Arabes *Biled-ol-Gerid* *) vocant, hoc est, terram palmarum, quarum ibi magnus proventus est. His terris peragrandis cum multa spectanda præberet natura, tum vero vir antiquitatis eruditæ & amans & intelligens sæpenumero mirifice adfectus est animo, cum reliquias vel urbium clarissimarum, ut Carthaginis, ut Vticæ, ut Hipponis utriusque, magnificentiæ porro antiquæ in viis publicis, in aquæductibus, similibusque videret, vel vestigia summorum & clarissimorum Imperatorum, Episcoporum, & campos victoriis maximis insignes calcaret,

*) Lingua vulgari incolæ vocant *Bled-ol-Gerid*, in libellis Geographicis est *Bilidulgerid*. Sed SCHAVIVS Britannus (SCHAW) in Itinerario T I p. 272. ait, esse *Bled al* vel *el Jeridde* vel *Jereed*, terram siccam.

cum per ruinas Carthaginis erranti, Hannibalis, Scipionis imago offerretur, cum etiam Marii, qui in ejusdem urbis ruinis quondam delituiſſet. Atque utinam neque cupiditati ejus vel viſendorum monumentorum, vel deſcribendorum titulorum, ſtultus error barbarorum, exiſtimantium theſauros terris abditos inſpiciendis titulis quæri, neque conſilio edendorum eorum, quæ vidiſſet ac deſcripſiſſet, omninoque itineris illius deſcribendi, negotioſæ vitæ occupatio atque brevitas obſtitiſſet! haberemus, aut habituri certe eſſemus, quæ antiquitati vel accuratius cognoſcendæ, vel ornandæ egregie prodeſſent.

Sed cum ex illo itinere a. d. XIV. Martii ann. XXXIII. eſſet reverſus Tunetem, inopinatum ac triſte impedimentum itineris perſequendi, quo vellet, oblatum eſt, nunciata Avgvsti morte, quæ neceſſitatem revertendi in patriam imponeret. Itaque non multo poſt, relicta Africa, per Galliam & Batavos, menſe Octobri, rediit Dresdam, inde, rationibus itinerum redditis, Lipſiam, adiitque mox d. XX. Nov. Phyſiologiæ Profeſſionem ordinariam, quæ ei abſenti erat decreta, ut quam celerrime præmium ferret laboris eruditi, & periculorum, quæ terra marique adiſſet. Ipſe vero tanta Principis liberalitate ita incenſus eſt ad ſtudium bene de Academia, de juventute medicæ artis ſtudia æmulante, deque arte ſua merendi, ut totum ſe ad medicinam vel docendam, vel ſcriptis illuſtrandam atque ornandam, vel faciendam denique conferret. Cujus ſtudii & alimenta habuit a multitudine eorum, qui ejus vel doctrinam in diſcendo, vel opem in valetudine tuenda & recuperanda expeterent, & præmia a Principe plurima. Nam intra ſedecim annos ab ultimo Ordinis ſui loco in primum eſt provectus, cui ille cum magna & ſua dignitate, & Ordinis Academiæque univerſæ utilitate, per octo annos præfuit. Quo magis omnes, non modo ipſius & familiæ ampliſſimæ cauſa, ſed etiam Academiæ nomine, doluimus, cum ille præma-

tura

tura morte e vivis eſt ſublatus; de qua priusquam dicamus, breviter de ejus ſtudiis, diſciplina & ſcriptis commemorandum videtur.

Cum eſſet omnium bonarum literarum & amans & ſtudioſus, imbutus eo amore primum a patre, deinde a præclaris, quos ſupra commemoravimus, præceptoribus, maxime tamen & adamarat, & colebat poëticam latinam, & literas græcas, quarum ſcientia majorem ceteris humanitatis partibus copulationem cum arte medica haberet. Et ad poëticam quidem ab ipſa natura impellebatur, ut, ſi vitæ genus conceſſiſſet, in ea plane excellere potuiſſet. Etenim extemporali facilitate fundebat verſus, etiam cum aliud ageret, cum luderet. Teſtis eſt libellus *de uſu partium*, hexametris verſibus ſcriptus, ad Lucretiani carminis ſimilitudinem, cujus partes plures fecit, ludens aleam cum *Iunio*, affine ſuo, Viro Conſultiſſimo: cum interea colluſorem, qui nihil aliud, niſi de movendis ex arte calculis cogitaret, tamen vinceret. Literarum græcarum autem ſtudium maxime conferebat ad Medicos græcos cognoſcendos ac legendos: in quibus quam tritus fuerit, ſi quis ipſi de ſe dicenti *) nolit credere, quamquam alieniſſimo ab omni vanitate, *Palæologiæ Therapeuticæ* credet, in qua præcepta Therapiæ ex omni antiquitate, græca maxime, quamquam & latina, exhibet, comparatis iis, quæ nunc ſunt in uſu, ſentiendi, loquendi, faciendique formis: in quo ſe dicebat non modo hoc ſpectare, ut græcæ linguæ extinctum apud quamplurimos amorem refocillaret, ſed etiam præcepta morborum curandorum, ſub eruditæ linguæ involucris latentia, exponeret, atque ſic juvenes artis medicæ ſtudia æmulantes, ad fontes artis revocaret **). Sed multo majus ejus ſcientiæ documentum

 dediſ-

*) In Tentamine philolog. med. ſuper Aetii libris ineditis, &c. p. 4.

**) Palæol. Therap. Specim. I. p. 4.

dediſſet, ſi ei contigiſſet, ut AETIVM, illuſtris GÜNZII morte deſtitutum, abſolveret, cujus exemplum manu ſcriptum, cum ei traditum eſſet ab ERNESTO noſtro, legeretque ipſo audiente loca quædam, ſtatim non modo dicebat, ex quo ſcriptore eſſet quodque ſumtum: eſt enim in AETII libris Synopſis quædam Medicorum veterum; ſed etiam quædam memoriter ex illis ipſis, alia ingenio corrigebat, accommodate ad linguæ rerumque rationem. In medicæ doctrinæ partibus maximo ſtudio tenebatur rei herbariæ, ut ſupra diximus, rerum naturalium omnium, inprimisque earum, quæ e terræ viſceribus eruuntur: in quibus generibus ita notata mente omnia & trita habebat, ut eum nihil fugeret, omnia in promptu eſſent. Itaque communis interpres adhibebatur in Muſeis noſtris, Richteriano, Boſiano, Linkiano, ſi quis ad ea viſenda venerat, erantque demonſtrationes rerum ejusmodi, ut non modo peritia earum, ſed etiam amor appareret, qui conſuetudine videndi non imminutus, ut fit, ſed auctus & confirmatus eſſet.

Ad artem faciendam ſe contulerat ſtatim, cum ex itinere Africano redierat. Et expetebatur opera ejus a multis. Erat enim in viſendis ægrotis aſſiduus, præſertim cum periculi aliquid ſubeſſe videretur, in curando diligens, lenis, & qui ægrotos non modo remediis artis juvaret, ſed etiam orationis humanitate, ad animos erigendos & confirmandos apta, quæ interdum plus prodeſt, quam remediorum ſalubritas. Nam & amabat eos, a quibus adhiberi ſolebat, & in aliis quoque rebus conſilio aut re prodeſſe cupiebat. Nec minus aſſiduus ac diligens erat in docendo. Erat autem diſciplina ejusmodi, ut non modo neceſſaria ad artem vel intelligendam vel faciendam accurate traderet, ſed etiam, quæ ad ornandam artem valerent, promeret liberaliter ex interiori doctrina. Quod erat perfacile Viro lectionis prope infinitæ, memoriæ autem ita felicis, ut facile ſuggereret, quicquid res & locus poſceret

ret. Nam legendi inſatiabilis aviditas erat, & quicquid ex Italia, Gallia, aliisque locis adferebatur librorum, ad aliquam vel naturalis ſcientiæ, vel medicæ doctrinæ partem pertinentium, id omne legebat, & ita accurate legebat, ut ſummam rerum traditarum, & quicquid in iis novum eſſet & exquiſitum, in litteras referret, & *Actis Eruditorum* inſerendum curaret. Itaque a multis annis nemo alius magis illis Commentariis profuit. Atque beata hæc doctrinæ exquiſitæ & variæ copia cernitur etiam in iis, quæ per occaſiones academicas, aliasque, ſcripſit in omni genere doctrinæ ſuæ: quorum indicem ſubjecimus.

Sed ut magis libero a domeſticis curis animo, & in muneribus publicis adminiſtrandis, & in ſtudiis doctrinæ tractandis, verſari poſſet, mature de matrimonio ineundo cogitavit, duxitque anno XXXVIIII. a. d. IV. Non. Febr. *Io.* GVILIELMIAM, *Vlrici* IVNII, Mathematum quondam apud nos Profeſſoris clariſſimi, ex *Olearia* filiam, ornatiſſimam ſexus ſui decoribus, ex qua eodem anno, prid. Cal. Decembres, tulit filium, *Georgium Erneſtum*, feliciſſimi ingenii paterni heredem, ſed cum acerbiſſima ipſius jactura. Nam ſeptimo a partu die obiit. Sed eam jacturam reparavit a. XLII. ducta a. d. XVII. Cal. Aug. *Chriſtiana Eugenia* BOSSEKIA, Virgine ornatiſſima, quæ nunc ereptum ſibi præmatura morte maritum mœret. Ex ea ſex liberi vivo, unus filius mortuo natus eſt: *Chriſtiana Sophia*, *Gottlieb Erneſtus*, *Henricus Michael*, *Chriſtianus Benedictus*, quarto menſe mortuus, *Chriſtiana Benedicta*, ipſo natali die mortua, *Chriſtiana Benedicta*, denique *Erneſtus Benjam. Gottlieb*, a. d. IV. Idib. Febr. nuperis: quæ ſoboles, ut, ſub matris amantiſſimæ tutela, feliciter adoleſcat, & communis humanitatis, & multo magis parentis, tam bene de rebus noſtris meriti, cauſa, optamus, præſertim cum nulla alia de cauſſa magis miſeranda videri debeat mors viri, vita longiori digniſſimi, quam quod tam multos parente amantiſſimo privavit, qui ejus conſilio & cura cum maxime indigebant.

Eam

Eam contraxit ex tali cauſſa. Habuerat in ceteri corporis robore, & conſtante ſanitate, ante aliquot annos utrumque oculum male adfectum e ſuffuſione. Sed ea ita erat curata, ut, cum oculum vitreo inſtrumento juvaret, legendo, ſcribendo, ceterisque rebus ſufficeret, quæ oculi aciem deſiderant. Itaque cum e lugubri apud Rosbacum pugna vulnerati eſſent in hanc urbem delati, aſſiduus aderat vulnerum curationibus, & vulnera ipſa inſpiciebat, non modo ut conſuleret ægrotantibus, & qui vulneribus manu curandis adhiberentur, ſed etiam ut exemplo ſuo diſcipulorum ſtudium ad viſendum, ac viſendo diſcendum, excitaret. Ibi, dum ſæpe propius admovet oculos vulneribus, nimis plus hauſit putridi & pernicioſi vaporis. Primum quidem febricula eum corripuit, a. d. VII. Cal. Novemb. quæ catarrhali ſimilis eſſet, nec ab conſuetis laboribus abſtraheret. Sed paucis diebus poſt, major vis mali prorupit, apparuitque, periculum ſubeſſe. Nam marcor quidam & dormiendi aſſidua libido cum putrida febre acceſſerat. Convolant Collegæ, Viri artis medicæ Conſultiſſimi, omnemque artem expromunt, ſi poſſint ſervare Virum, ſibi neceſſitudine Collegii carum, & humanitate jucundum. Sed artem ſuperavit vis morbi. Itaque Nonis Decembr. placide exſpiravit, magno cum dolore, cum modo ſuorum, ſed etiam omnium, qui, quantam in eo jacturam ſui, quantam civitas Lipſienſis, quantam denique Academia, & univerſa res literarum publica feciſſet, ſatis æſtimarent.

Indiculus Scriptorum.

LIBRI.

De uſu partium Carmen, ſeu Phyſiologia metrica, ad modum *T. Lucretii Cari* de rerum natura, in gratiam auditorum concinnata. Lipſiæ 1739. 8v.

Patho-

Pathologia metrica, ſeu de morbis Carmen, in gratiam auditorum concinnatum. Lipſ. 1740. 8v.

Muſeum Richterianum, continens foſſilia, animalia, vegetabilia marina, illuſtrata iconibus & commentariis D. I. E. H. accedit (*Ioann. Frider.* CHRISTII) de Gemmis ſcalptis antiquis liber ſingularis. Ibid. 1743. fol.

Παλαιολογια Therapiæ, qua Veterum de morbis curandis placita recentiorum ſententiis æquantur. Specim. I--XXXV. Ibid. 1748--54.

Anthropologia forenſis, ſiſtens Medici circa rempublicam causſasque dicendas officium, cum rerum anatomicarum ac phyſicarum, quæ illud attinent, expoſitionibus. Ibid. 1751. 8v.

Idem liber. Editio altera c. fig. æneis. 1753. 8v.

Ἐξήγησις ὀνομάτων τῶν περὶ παθῶν. Exegeſis nominum græcorum, quæ morbos definiunt. *Erklärung griechiſcher Wörter von Krankheiten des menſchlichen Körpers.* Ibid. 1751. 4t.

De homine ſano & ægroto Carmen, ſiſtens phyſiologiam, pathologiam, hygienen, therapiam, materiam medicam: præfatur de antiqua medicina carmen: ſubnectuntur ſimiles Poëtarum ſententiæ: accedunt ſingula quædam carmina. Ibid. 1753. 8v.

Ordo morborum cauſſalis. Specim. I--VII. Lipſ. 1754--57. 8v.

Aetiologia chemica ſeu expoſitio cauſſarum ſani & ægroti hominis ſecundum principia chemica, diſſertatiunculis clariſſimorum quorundam juvenum expoſita, cum Indice neceſſario. Ibid. 1757. 4t.

Tentamen phyſiologicum medicum ſuper AETII *Amideni* Synopſis Medicorum veterum libris octo, poſt illos octo, quos Aldus Manutius Venetiis 1534. evulgavit. Ib. eod. 4t.

Præter ea præfatus eſt ad libros ſequentes:

D. Chriſtian Gotthold SCHWENKE, *vom geſunden Landleben* &c. *Leipzig* 1751. 8v.

Iob. Woyt, Gazophylacium medicum, *oder Schatzkammer medicinisch- und natürlicher Dinge in einer richtigen und ordentlichen Alphabeth-Ordnung. Leipz.* 1751. 4.

D. Anton Heins. Pharmacia rationalis, *oder vernünfftiger Gebrauch auserlesener Genesmittel* &c. ibid. 1757. 4t.

Dissertationes.

De continuanda Rivinorum industria in eruendo plantarum charactere. Præside *Io. Christoph.* Lischwitz. Lips. 1726. 4t.

— ordinibus Conchyliorum methodica ratione instituendis. Resp. *Io.* Gezavr. Ibid. 1728. 4t.

— vitiis nominum in significatu tentamina quædam. Resp. *Io. Christian* Bartholomæi. Ibid. 1729.

— Viribus minerarum & mineralium medicamentosis. Præside *Ioan. Casp.* Küchlero. Ibid. 1730. 4t.

— sensu externo facultatum in plantis indice. Resp. *Christian. Gottlieb.* Lvdwig. Ib. eod. 4t.

Definitiones plantarum. Resp. *Christ. Augusti.* Ebersbach. Ibid. 1731. 4t.

De indicatione medica. Resp. *Ge. Aug.* Langgvth. Ib. 1733. 4t.

— usu hydrargyri interno ad mentem Recentiorum. Resp. *Christoph. Fridr.* Sartorivs. 1735. 4t.

— partium coalescentia morbosa, *von den widernatürlich zusammen gewachsenen Theilen des menschlichen Körpers.* Resp. *Gottlob. Carol.* Springsfeld. Ibid. 1738. 4t.

— dentitione secunda juniorum. Resp. *Io. Andr.* Vngebaver. Ibid. 1738. 4t. c. fig.

— morbis a pervigilio. Resp. *Io. Car.* Pvscher. Ibid. 1741. 4t.

— Capitonibus laborioso partu nascentibus. Resp. *Anton.* Heins. ibid. 1743. 4t. c. fig.

— Oculo lachrymante. Resp. *Io. Frid.* Kappe. Ib. eod. 4t.

Historiæ naturalis Fossilium caput de Terris. Resp. *Io. Georg.* Lvther. Ibid. 1745. 4t.

Exer-

Exercitationes adoleſcenti ætati ſalubres. Reſp. *Frid. Sam.* SPARR. Ibid. eod. 4t.

Funiculi umbilicalis humani pathologia. Reſp. *Io. Andr.* LEHMANN. Lipſ. 1747. 4t. c. fig.

De metaſchematiſmo morborum. Reſp. *Io. Gottlieb.* MEYER. Ib. eod. 4t.

--- ſuſpecta valetudine. Reſp. *Io. Chriſtoph.* ELHARD. Ibid. 1757. 4t.

Programmata.

De organis piſcium externis. Lipſiæ 1733. 4t.

Anatome hominis recens nati repetita. Ibid. 1738. 4t.

De baſi calvariæ. Ibid. 1738. 4t.

--- cerebrum incidendi methodo. Ibid 1739. 4t.

--- arteriarum corporis humani confiniis. Ib. eod. 4t.

--- rarioribus quibusdam oſſium momentis. Ib. 1740. 4t.

--- diploe oſſium. Ib. eod. 4t.

--- venis corporis humani. Ib. eod. 4t.

--- vaginis vaſorum. Ib. eod. 4t.

--- methodo plantarum ex fructu optima. Ib. eod. 4t.

--- Medici cadavera ſecantis religione. Ibid. 1741. 4t.

--- flexu arteriarum. Ibid. 1741. 4t.

--- Medicis archiatris & profeſſoribus. Ib. eod. 4t.

--- vermibus Anatomicorum adminiſtris. Ib. eod. c. fig. 4t.

--- vaſis ſanguiferis oculi. Ibid. 1742. 4t.

--- inſectorum natalibus. Ibid. 1743. 4t. c. fig.

--- mediaſtino poſtico. Ib. eod. 4t.

--- corpore delicti, Medici ſecantis culpa incerto. Ib. eod. 4t.

--- venis communicantibus. Ibid. 1744. 4t.

Hiſtoriæ naturalis Inſectorum inſtitutiones. Ib. 1745.

De fœtu vegetabili. Ibid. 1747. 4t.

---ordinibus gemmarum verbis C. Plinii Secundi, ex ejus Naturalis hiſtoriæ libr. XXXVII. Ibid. eod. 4t.

Εὐπραγία ἀγαθῦ ἰατρῦ. Lipſ. 1748. 4t.
Medicinæ cum Iurisprudentia comparatio. Ibid. 1749. 4t.
De cura paſcuorum. Ibid. 1752. fol.
Περὶ ἀναφωνήσεως, de declamatione. Ib. 1753. 4t.
De læſionibus ex diſpoſitione vulnerati morboſa letiferis. Ibid. 1755. 4t.
--- obſequio Principum erga Medicos. Ib. eod. 4t.
Miſericordiæ limites in exercenda arte. Ib. 1756. 4t.
Aetii *Amideni* Ἀνεκδοτων lib. IX. c. XXVIII. exhibens tenuioris inteſtini morbum, quem ileon & chordapſum dicunt, una cum Veterum ſuper hac ægrotatione ſententiis. Ib. 1757. 4t.

Oratio.

Oratio quæ antiquitatum Romanarum per Africam repertarum memoriam recolit. Lipſ. 1733. 4t.

MEMO-

D. LAVRENTIVS HEISTERVS,
Sereniss. Brunsvic. et Luneb. Ducis Consiliarius aulicus et Archiater, Med. Chirurg. ac Botan. Prof. publ. et primarius in Acad. Iulia Carolina, ejusdemq. Senior, Acad. Caes. Reg. Londin. et Berol. Societ. Scientiar. Collega.
Nat. d. XIX. Sept. ↀↀↀCLXXXIII. Den. d. XVIII. Apr. ↀↀↀCCLVIII.

J. M. Seligmann sculps. Norimbergae.

MEMORIA
VIRI
Illustris, & Experientissimi
LAVRENTII HEISTERI,
Medic. Doctoris, Sereniss Ducis Brunov. & Luneb.
Consil. aul. & Archiat. Medicin. Pract. Chirurg. & Botan. P. P. O.
Ordinis sui & totius Acad. Senior. Societatum Cæsareæ Nat. Curios. Regiarum Londin. & Berol. Scient. & Botanicæ
Florent. Sodalis

d. XVIII. April. A. S. R. MDCCLVIII.
defuncti,

ex

Programmate funebri

Pro-Rectoris & Senatus
Academiæ Iuliæ Carolinæ
depromta.

MEMORIA

VI R I

Illustris, & Excellentissimi

LAURENTII HERSTERI,

Magnæ Decoris Senatoris Duplicis Reipubl. Claudiopolitanæ

Cancellarii, Insulæ Insignis Prætoris, Classis Militum Præfecti,

Ordinis Equestris Insulani Societatum Collegiarum Capitalium Ma-

gistri, & Equitis Aurati Regii & Patricii

Florentissimi

Q. XVIII. April. A. S. R. MDCCLVIII

defuncti,

ex

Programmate Funebri

Pro-Rectoris & Senatus

Academiæ Thalia Carolinæ

deprompta.

Magno nuper ornamento universus orbis litteratus medicus orbatus est, decessu incomparabilis Medici, *Laurentii* HEISTERI, quem & præsens ætas admirata est, & omnis posteritas, meritorum ejus memor, celebrabit. Etenim tam excellens ejus scientia in omni genere medicinæ enituit, tam admirabilis dexteritas, multiplicibus difficillimisque curationum experimentis, & longinquo annorum usu, exercita, ut fama Viri manaret latissime, atque e variis disjunctisque locis, a multis, magnæ etiam dignitatis, ægrotantibus in auxilium morbi opera ejus consiliumque expeteretur. Ingenii vero studiique, quo universum artis salutaris fundum excoluit, monumenta magno numero in vulgus edita, merita ejus cum exteris remotissimisque gentibus communicarunt, cupidissimeque excepta effecerunt, ut pluribus in rebus sanior apud eas sanitatis regula obtineret. Qua meritorum ejus amplitudine sane futurum est, ut pluribus post sæculis, apud quascunque nationes, HEISTERI nomen in officinis & acroateriis Medicorum frequenti prædicatione memoretur.

Famam ejus & existimationem eximiam haud facile recordamur, quin simul ad animum occurrat memoria celeberrimi ex antiquioribus Medici, *Iacobi* PSYCHOCHRESTI *a*). Hic, Archiater olim Leonis Thracis, Imperatoris, si PHOTIO & SVIDÆ fides habenda est, tanta, quanta vix alius antiquæ memoriæ

a) PSYCHOCHRESTVS verum ejus nomen videtur, quamquam ab aliis libentius *Psychrestum* vocari videam. In vetustioribus SVIDÆ editionibus extat Ψυχοχρισος. KÜSTERVS verum ei nomen e MALELA restituisse ait Ψυχρισος. Sed, ut me docuit *Ioannes* FREIND in Historia medicinæ, p. 170. *Alexander* Medicus, *Iacobi* fere æqualis, diserte memorat, hoc ei nomen attributum, ὁτι ὑγραισικῃ τροφῃ ἐχοντι. In tam plana ejus nominis interpretatione dubium non est, quin, levi unius literæ mutatione, apud SVIDAM legendum sit Ψυχοχρησος. MALELA, futilis alias scriptor, non videtur audiendus.

riæ Medicus, auctoritate floruit, auctore SVIDA *b*), omnes ætatis ſuæ Medicos antecelluit gloria & ad antiquos proxime acceſſit, ita quidem, ut eorum pleroſque ſuperaret, ab hominibus autem, opis medicæ indigentibus, amatus mirum in modum cultuſque eſt, ut qui facultatem medendi, divinæ ſimilem, adeptus videretur. Hac communi hominum veneratione fiebat, ut ampliſſimis honorum ornamentis decoraretur. Nam Senatus, ut MALELA refert *c*), ei ſtatuam in thermis Zeuxippi ponendam curavit, aliam vero Athenis ei poſitam, & ab *Iſidoro Gazæo*, Philoſopho, viſam, DAMASCIVS memorat *d*). Accedebant honorifica elogia, quibus merita & beneſacta *Iacobi* certatim homines proſequebantur. Alii enim Σωτηρα appellabant, magnifico & divino nomine, quo olim & Dii, in genus humanum maxime benefici, & homines, præſtantiſſimi ſalutis humanæ opitulatores, ſolebant ornari *e*). Alii, qui Philoſophorum more loqui malebant, Aſclepiadeam opinabantur eſſe *Iacobi* animam & natura Pæoniam. Prætereo alia, quæ ad famam *Iacobi* honeſtandam, vulgi ſermonibus agitata SVIDAS memorat. Illud autem memoratu dignum, alios Medicos, laudum *Iacobi* æmulos & obtrectatores, calumniatos eſſe, non eſſe Medicum *Iacobum*, ſed quendam θεοφιλη και ιερεα. Quibus nominibus cum olim ii vocarentur, qui medicinæ facultatem non arte & ſtudio, ſed Deorum quodam munere adepti crederentur, Aeſculapii præcipue Sacerdotes; *Iacobum* adverſarii ejus Deo charum & ſacrum malebant, quam Medicum, dicere, quod proſperitatem curationum ejus fatebantur, ſcientiæ, peritiæ,

b) Vid. Ἰακωβος.

c) In vit. Leonis.

d) Apud PHOTIVM, Cod. 242. *Iſidorum Gazæum* cum *Peluſiota* perperam confundit FREINDIVS l. c.

e) SPANHEIMIVS Diſſ. V. de præſtantia Numiſm. SCHWARZIVS de Aeſculapio & Hygea Diis φιλανθρωποις, §. XI., p. 20.

ritiæ, prudentiæque derogabant, videbanturque eum ſpecioſo magnificoque elogio cohoneſtare, cum maligne adducerent in contemtum. Quapropter laudator ille *Iacobi*, quiſquis eſt, apud SVIDAM, ut vocuiis horum obtrectatorum occurrat, easdem ad laudem ejus convertit, & minime falſos fuiſſe talia dictitantes monet, vere enim virum illum fuiſſe θεοφιλη, επιεικη, και θεῳ κεχαρισμενον. Quibus ſane verbis declarat, non defuiſſe *Iacobo* eximiam ſanandi ſcientiam, ſed hoc excellentiorem eam fuiſſe, quod ſingulari Dei favore & virtute fortunari videretur.

Grave omnino eſt elogium, quo *Iacobum* impertit admirator ejus, ſubjectamque habet veriſſimam ſententiam, qua medicinæ vis & fortuna ad Deum, omnis auctorem effectoremque ſalutis, recte refertur. Cum enim Deus hominum a ſe conditorum vitam & ſalutem ipſe quam optime conſervatam velit, eamque ob cauſſam in hac rerum univerſitate varia propoſuerit ſanitatis præſidia, unde auxilium morborum peti poſſit, dubium non eſt, in Medicorum etiam ſtudiis operisque, quibus ſaluti generis humani conſulitur, haud exiguum providentiæ divinæ munus ſpectari. Quod ſi recte admittitur, & illud verum eſt, quod laudator *Pſychochreſti* apud SVIDAM prædicat, magnum Medicum, qui ſummum artis attigerit, & ſaluti generis humani præſtantiſſimi navaverit operam, eſſe θεοφιλη, επιεικη και θεῳ κεχαρισμενον. Cujus quidem imaginem, in *Iacobo* laudatam, cum luculenter expreſſerit *Laurentius* HEISTERVS noſter, eam quidem, animus eſt, hic accuratius deſcriptam proponere, ut ejus virtutum meritorumque quandam quaſi formam exhibeamus.

Itaque in magno Medico, quem vocamus θεοφιλη, primo nobis proponimus *excellens ingenium*, præclaris ſapientiæ præſidiis inſtructum, quod ad ſalutem hominum omni arte & ope tuendam, naturali eximioque ſtudio feratur. Homines enim,

qui ſapientia excellenti & ſummis animi dotibus eminerent, ea ætate, qua *Iacobus* vivebat, mos erat θεοφιλες, θεοφιλεςατος, vel ſimili nomine, appellare *f*). *Iacobo* æquales ejus tribuebant Aſclepiadeam vel Pæoniam animam, eaque intelligi volebant præſtantem animi habitum, ad ſtudia medicinæ tam aptum & propenſum, quam fuerit ipſorum artis inventorum. Quo minus autem Medicus θε φιλης ſola facultate naturali, nullo adjuta uſu & ſtudio, definiatur, prudenter adjicit *Iacobi* laudator, affuiſſe etiam in eo ἐρωτικὴν τε ἐπιτηδευματος ἐπιμελειαν, quæ maxime ſoleat quoſque artifices conciliare & conjungere artis præſidibus. Hæc quidem ita ille, quiſquis eſt, pro ſtudio religionis paganæ, arti cuique ſuos præſides Deos affingens, ſed tamen ad intelligendam excellentis Medici rationem haud inepte. Requirit in eo amatoriam artis diligentiam, eaque *ardorem ſtudii* ſignificat, quo quis in artem aliquam ita feratur, ut ſumma ingenii contentione ea omnia meditetur & agat, quibus ipſa artis ſcientia perfici conſummarique poſſit. Eam diligentiam, pergit ille, artifici amorem Deorum, artis præſidum, conciliare, quo ſcilicet fiat, ut veluti divino inſtinctu agitatus magis magiſque elaboret, & admirabilem perfectiſſimamque artis facultatem aſſequatur. Sic enim & Phidiam in ſtatuaria, & Zeuxidem in pictura perfectiſſimos opifices evaſiſſe, quod ob ſummum artis ſtudium ipſo numine Apollinis aut Minervæ afflati viderentur. Itaque, hoc auctore, optimi quique artifices ſunt θεοφιλες, propter ſummum, quod in arte excolenda perficiendaque collocant, ſtudium. Nam ſi ad ingenium, promtum a natura & acutum, acceſſit ratio doctrinæ & ſolertia indefeſſa, ſolet illud emergere in artibus excellens, quod appellare ſolemus *divinum*. In Medicina autem dubium non eſt, quin

f) θεοφιλεςατον ipſum *Iacobum* appellat ALEXANDER, teſte FREINDIO, l. c. Sic *Hypatiam*, magiſtram ſuam, SYNESIVS ſalutare ſolet, θεοφιλεςατην, σεβασμιωτατην, μακαριαν φιλοσοφον, epiſt. 4. & 10.

quin ſummus demum amor ejus intentiorque induſtria magnum Medicum efficiat, eundemque θεοφιλη. Quo propius enim medicinæ profeſſio ad beneficam Dei naturam & eam curam accedit, qua ſaluti generis humani a ſe conditi providet, hoc certius exiſtimandum eſt, numine & favore ſingulari divino fieri, ſi qui excellenti præditi ingenio, majoribus artis & ſtudii ſucceſſibus, ad ſalutem hominum procurandam connitantur. Quoties igitur Medicum θεοφιλη mihi propono, toties illuſtris aliqua ſpecies magni σωτηρος obverſatur, qui ſingulari naturæ impulſu, veluti inſtinctu divino, excitatus, ad excolendam ornandamque artis ſalutaris diſciplinam acerrimum ſtudium, omnesque cogitationes contulit, omnia ſalutis humanæ præſidia, & univerſæ medicinæ rationes excuſſit, eamque doctrinæ medicinalis præſtantiam conſecutus eſt, a qua optima ſanitatis auxilia ad multos homines proficiſcantur.

SVIDAS Medicum ſuum θεοφιλη laude ſimul *bonitatis & manſuetudinis* impertit, appellatque ἐπιεικη, ea quidem ſignificatione, ut oſtendat, hunc eſſe magnum Medicum Deoque gratum, qui ſumma humanitate & propenſione ad miſerias hominum levandas gaudeat. Eſt ſcilicet omnis medicina opus charitatis & miſerationis humanæ, quæ adeo propria hujus profeſſionis eſt, ut *Scribonius* LARGVS g) Medicum, a quo abſit ea, merito omnibus Diis & hominibus inviſum pronuntiet. Hinc antiquitas, ad eam medicinæ virtutem indicandam, præſides ejus Deos φιλανθρωπους, Φιλολαους h), πραους, ἡπιους, *mites* i), aliisque nominibus, appellavit, Medicos autem notiſſimo elogio χαριεντας dixit, ut qui arte ſua benefica humanitatisque plena

 ſum-

g) In Epiſt. ad C. Iulium Calliſtum.

h) Eo nomine cultus eſt Aeſculapius in fano ad Aſopum, teſte PAVSANIA p. 267.

i) Vid. SCHWARZIVS l. c. §. 14.

ſummam apud homines gratiam inirent. Minime omnium igitur a Medico θεοφιλεα humanitatis ſenſus abeſſe poteſt. Hæc enim ea virtus eſt, quæ Medicum Deo arctiore colligatione devincit, eumque veluti adminiſtrum efficit φιλανθρωπιας & benignitatis divinæ, quæ vitam ſalutemque hominum quam optime vult conſervatam, & nullo non auxilio moleſtias & miſerias eorum levari cupit. Quam ſi imitandam ſibi proponit Medicus θεοφιλες, tum officiis Medici præclari obeundis aptior paratiorque redditur. Sic enim medendi ſcientiam ad liberaliſſimæ benignitatis divinæ exemplar diſpenſat, cariſſimam omnium hominum vitam ducit, neminemque beneficium artis ſuæ invidet, ad decumbentium morbos ſanandos ſummam ſolicitudinem adhibet, non alio, quam officii, ſtudio doctus, neque ab eo ulla laborum difficultate, aut moleſtiarum tædio retardatur, quicquid denique ſtudii, cogitationis & experientiæ poteſt, ad amplificandam medicinæ facultatem & augenda ſanitatis humanæ præſidia confert. Peſſimi vitii, & humanitati maxime adverſarii, infamia, teſte SENECA *k*), quosdam olim Medicos preſſit, cum dicerentur opus quærere, ſæpiusque morbos augere & irritare, ut majore gloria ſanarent. Contra *Iacobus* apud SVIDAM id egit ſedulo & accurate, ut ægrum quam maturrime, & quam breviſſimo ejus cruciatu, allevaret, ſæpe dicere ſolitus: Medici optimi eſſe, aut ſtatim deſperare de morbo, aut, ſi eum attigerit, mox nonnihil levare ægrotantem, nec prius ab eo diſcedere, quam meliuſcule ſe habeat. Quo ſane ſtudio peritiam æque ac humanitatem, dignam Medico θεοφιλεα, approbavit.

Porro autem SVIDAS, cum eundem θεω κεχαριτωμενον appellat, videtur *fortunam curationum* ejus & *proſperum ſucceſſum* admirari. Etenim *Iacobum* memorat omnes fere ab urgentibus malis aut ſtatim, aut paullo poſt, liberaſſe, indeque magnificum

k) De beneficiis lib. VI. cap. 36.

cum nomen Σωτηρος, veluti Aesculapii, obtinuisse. Neque aliud, quam efficacem felicemque ejus medendi potestatem, indicarunt homines, qui, eodem teste, *Iacobum* dicebant habere δυναμιν ισοθεον. Hoc enim nomine veteres & medicamenta insignire solebant, quorum præsentissima virtus & efficacia comperta esset *l*). Iam ab omni antiquitate medicinæ vis quædam divinitatis inesse credita est. Nam vim morborum occulte grassantem frangere virtute applicati remedii, pestemque corporis humani adeo profligare, ut illico mortis periculo expediatur, id supra humanam naturam esse videbatur. Ea re factum est, ut primos Medicinæ repertores, & alios, quos fama ejus artis illustraverat, admiratio hominum cumulatissimis afficeret honoribus in ipsosque Deos referret. Quæ tamen divinitas opinione magis hominum & admiratione scientiæ, ab aliorum intelligentia abstrusæ, quam divina quadam virtute, constabat. Maxima & indubitata Dei potestas in mirificis Christi, optimi Servatoris, operibus spectata est, qui quamquam minime rapinam duceret το ειναι ισα θεω *m*), perfectis tamen mirabiliter sanationibus, omnibus numeris absolutam ostendit δυναμιν ισοθεον, summumque non animæ solum, sed & corporis humani, se Σωτηρα demonstravit. Eadem virtute diviniore muniti legati ejus, ut doctrinam cœlestem mirabilium spectaculis operum confirmarent, desperatissimos morbos ex hominum corporibus jussu solo profligarunt. Hanc quidem potestatem ισοθεον Medici, fragilitatis suæ conscii, nec vindicare sibi, nec sperare possunt, & tamen in omni medicinæ negotio, in consilio Medici, & in virtutibus remediorum vis quædam divinitatis adest, quæ summopere ad salutem hominis reparandam valeat. Agnoscunt vim eam, sancteque celebrant,

l) Annotavit Castellivs in Lex. med. Vid, ισοθεος.

m) Philipp. II. 6.

ipſi veteres pagani, ſed appellant *Fortunam n)*, ἀγαθον Δαιμονα, ἀγαθην Τυχην, cujus adeo ſtatuam in templo Aeſculapii collocatam memorat ARISTIDES *o)*. Et ſæpius hodie Medici, fractis inopinato pertinaciſſimis morbis, & refectis cito ægrotantium viribus, vim agnoſcunt captu ſuo & arte medica ſuperiorem, in eaque manifeſtum auxilii divini pignus revereri, & cum Iapide, Virgiliano Medico, fateri coguntur:

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt, neque te, Aenea, mea dextera ſervat,
Major agit Deus p).

Eſt ſæpe, ubi conſultatio Medici extricat nihil, nec quicquam veri remedii invenit: eſt, ubi manus medentis nequicquam trepidat, imo peccat, niſi altior fortuna manum ejus & conſilium regat. Contra vero, ubi in atrociſſimo malo, excuſſis omnibus artis præſidiis, diu incaſſum laboravit, incidit tandem, quaſi nutu divino, in veram medendi viam, & medicamentum reperit, quaſi divinitus oblatum, quo æger mox relevetur. Itaque curatur quidem valetudo hominum imperatis a Medico remediis, ſed tamen providentis Dei numine artem ejus ſecundante. Hic enim ipſe eſt auctor vitæ ſalutisque humanæ, dominus vivorum & mortuorum: hic effector & fabricator tum naturæ humanæ, tum rerum ſalubritate præſtantium: hic animum Medici in poteſtate habet, perſpicientiam ejus acuit & conſilium dirigit, ut videat accurate, conjiciat recte, conſulat pru-

n) *Corn.* CELSVS lib. VII. Præfat: *In morbis multum fortuna confert, eademque ſæpe ſalutaria, ſæpe vana ſunt.* Conf. *b.* HEISTERI Diſp. anno 1722. habita, *de Fortuna medica, ad locum quendam Hippocratis.*

o) Sacr. ſerm. I. p. 276.

p) VIRGILIVS Aen. XII. v. 427.

prudenter: hic denique ipſis medicamentis vim addit & ſalubritatem, qua diffuſa in venas, vigor roburque corporis inſtauretur. Idem igitur magnum Medicum, quem illuſtrius virtutis ſuæ, omnia ſervantis, inſtrumentum eſſe voluit, conſilio inſtruit adeo promto & ſolerti, ut multorum hominum ſalute feliciter per eum reſtituta, δυναμις quædam ἰσοθεος animadverti poſſit.

Quo majorem autem artis, divino munere ſibi tributæ, excellentiam & efficacitatem intelligit Medicus θεοφιλης, hoc magis dat operam, ut curis ſtudiisque ſuis Dei gloria quam luculentiſſime illuſtretur. Quantum ad hanc amplificandam fecerint operæ & curationes PSYCHOCHRESTI, facile ex ipſis elogiis, *Iacobo* tributis, intelligere licet, quibus ille quaſi adminiſter bonitatis divinæ celebratur, & beneficia, officio ejus hominibus præſtita, Deo, tanquam auctori, accepta referuntur. Quot enim homines Medicus fractos debilitatosque viribus confirmat, quot ille periculo mortis eximit, tot veluti ora ad efferendas Dei laudes apperit, tot quaſi teſtes excitat bonitatis divinæ. Ipſa autem rei medicæ diſciplina tantam rerum copiam, ad intelligendam ſummi ſapientiam opificis præſtantium, exhibet, ut quo quis artis ſcientior peritiorque eſt, hoc magis debeat, admiratione rerum tam excellentium defixus, immenſi majeſtatem effectoris revereri. Corporis humani, cujus accuratior notitia Medicis relicta eſt, excellenter admirabiliterque exſtructi fabricam, & illam omnium membrorum aptiſſimam coagmentationem & concinnitatem, illum ſingularum partium, minimarum etiam, uſum, ordinem, conſenſionem quis eſt, qui intelligat plenius, quin vim divinæ exædificationis incredibilem agnoſcat, & in venerationem ſapientiſſimi fabricatoris rapiatur? Porro autem herbarum, ſtirpium aliarumque rerum, quæ in uſum medicinæ aut naſcuntur, aut præparantur, diſtincta coloribus varietas, multifaria præſtantia, diſpares virtutes ampliſſimum Medico ſpectaculum pandunt,

quo

quo vim capaciſſimæ exuberantiſſimæque mentis, talium rerum effectricis, contemplari poſſit. Hæc igitur animo & mente naviter perluſtrat Medicus Θεοφιλης, ſed quo interius accuratiusque receſſus naturæ perveſtigat, hoc majora ſummi conſilii argumenta in minutiſſimis rebus deprehendit, atque hoc magis exardet ſtudio, recondita divini artificii miracula protrahendi in lucem & demonſtrandi, ut eorum excellentia quam plurimis patefiat, & excelſi ſapientia molitoris religioſius æſtimetur.

Tanta amplitudine gaudet, quem hactenus informavimus, Medicus, ingenio divinus, animo humanus, arte felix, ſtudio pius. Cujus exemplar adeo vita & ſtudiis expreſſit *Laurentius* Heistervs, ut affirmare non vereamur, enituiſſe in eo, ut in Psychochresto, Medicum Θεοφιλη, επιτηδειον και Θεῳ κεχαρισμενον. Hujus enim peritia, in omnibus artis ſalutaris partibus excellens, tantum auctoritate apud remotiſſimas gentes, tantum in propulſandis plurium generum morbis profectu valuit, ut Vir magni nominis divinitus excitatus, & ſaluti generis humani donatus videretur. Ab ineunte juventute cum animum, artibus liberalibus præmunitum, ad ſtudium artis medicinalis applicuiſſet, tanto opere eam complexus & perſecutus eſt, ut facile appareret, ingenium ejus arti medicæ a natura aptum, & veluti divinitus deſtinatum eſſe. Hoc ille auſpicio ſtudiorum accepto, porro ipſius quaſi Dei manu apprehenſus deductusque per omnia artis curricula & exercitia eſt, ut perfectam ejus ſcientiam aſſequeretur. Etenim incredibili multa diſcendi experiendique ardore incitatus, nihil intentatum reliquit, quo ſibi medicinæ, tum medicamentis, tum manu curantis, peritiam & uſum compararet, multoque laboris & ſumtus impendio exteras regiones adiit, Medicorum celeberrimorum ſcholas, Anatomicorum officinas, medicinas Chirurgorum frequentavit, omnia artis ſubſidia & præſtantiſſima quæque experimenta inſpexit,

ſpexit, pertractavit & familiaria ſibi reddidit, tum vero in caſtrenſia populorum belligerantium valetudinaria, tanquam in palæſtram omnis exercitationis medicæ, ſe contulit, ibique variis curationum periculis, & quotidiano multiplicique uſu, tantam brevi tempore artis peritiam collegit, quantam alii longa annorum exercitatione vix nanciſcantur. Quo incredibili ſtudio excolendæ Medicinæ ſane abunde approbavit, quam in *Iacobo* olim laudaverunt, ἐρωτικὴν τὰ ἐπιτηδεύματος ἐπιμέλειαν. Impendit autem hanc operam eo diligentius, quo majore ſenſu humanitatis ad explenda boni Medici officia ducebatur, artem reputans, quam Dei φιλανθρωπία ſaluti generis humani indulſiſſet, ejusdem virtutis ſtudio tractandam, & in quorumvis hominum auxilium liberaliter expromendam eſſe, neque in ea ullas laboris & moleſtiarum acerbitates defugiendas. Cujus quidem ſolicitudinis uberrimum fructum tulit, efficientia & fortuna artis ſuæ plurimis hominibus ſalutari, ſummaque nominis, quam inde conſecutus eſt, celebritate. Nam ex magno ægrorum numero, quos morbis graviſſimis liberavit, verbis vix poteſt exprimi, quantam artis peritiæque ſuæ exiſtimationem longe lateque excitaverit, cum non ii ſolum auxilium ejus implorarent, qui opera præſentis uti poſſent, ſed & exteri permulti, e longinquis religionibus, & magnæ dignitatis, qui vel evocabant eum ad ſe literis, vel hanc in urbem commeabant, ut apud Hristervm, tanquam in fano Aeſculapii incubantes, conſilio ejus aut manu ſalutari priſtinam reciperent ſanitatem. Quantum autem patriæ ſuæ profuit Heisteri opera & dexteritas, tantum ſane exteris remotisque gentibus ejus doctrina præſtitit. Nam libri ejus in vulgus editi, quibus optimam ſanandi viam exquiſitis doctrinæ & experientiæ præſidiis munivit, tanta cum eruditorum apud exteras gentes approbatione recepti ſunt, ut in omnes fere Europæarum gentium linguas transferentur, atque ex iis ſanior medendi ratio remotiſſimis etiam populis traderetur. Quam

celebritatem assecutus, minime oblitus fuit beneficii divini, quo sibi ii laborum successus contigissent, sed gloriæ Dei magnitudinem hoc diligentius recoluit, quo majorem ejus amplificandæ materiam in omni medicina reperiebat. Nam & cum morbos acerrimos, superata omnium expectatione, infringeret, locum sibi datum putabat, auxilii divini, cui prosperum tribuebat eventum, prædicandi, & in omni rei medicæ tractatione, præsertim in herbarum & corporis humani natura contemplanda, quo scientior harum rerum erat, hoc majore cum voluptate videndi in iis divinæ sapientiæ vestigia consectabatur. Cujus studii inprimis testes sunt aliquot Commentationes, piæ non minus quam eruditæ, quibus Deum e mirifica fabricæ humanæ compage, & sigillatim e quarundam ejus partium stupendo artificio & usu, religiose cognoscendum proposuit.

Sane eam studiorum rationem, id institutum vitæ secutus est Medicus noster Θεοφιλης, ut in animo habuisse assidue, factisque expressisse videatur, quæ Vates ille & Rex, ex animi divini sententia, de se prædicat: *Deus, tu me a pueris docuisti, & hactenus tua prædico miracula. Ne ad senectam quidem & canos, Deus, me desere, dum tuum brachium posteris, dum tuam futuris omnibus prædico virtutem q).* Quo majores enim industriæ suæ successus vidit Heistervs, hoc magis Dei erga se benignitatem cognovit. Hujus providentia & auxilio se intellexit ab ineunte adolescentia adjutum provectumque ad eam rei medicæ scientiam esse, ut admirabilem Dei bonitatem, in tot rerum medicinalium virtutibus salutiferis conspicuam, & in ipsis morborum curationibus potentem, agnosceret & celebraret. Huc igitur omnia studia & medicamenta sua convertit, ut admirabilia Dei opera patefaceret, & quoties atrocius & desperatius malum feliciter sustulisset, toties solebat divinæ potentiæ

q) Psalm. LXXI. 17. 18.

tiæ brachium, in medicamentorum virtute, & in manu, quam ægro adhiberet, dirigenda efficax, pia mente venerari. Neque enim minore religione duci poterat, quam HEROPHILVS, inter maximos olim habitus Medicos, qui mirifica medicinæ virtute adductus, teſte SCRIBONIO LARGO *r*), pronuntiare ſolitus eſt, *medicamenta Deorum manus eſſe.* Fruſtra *Iulianus*, ille Chriſtianæ religionis defector, Deum ſuum fictitium Aeſculapium, contendit, monſtrata hominibus Medicina, per omnem terrarum orbem ſalutarem dexteram extendiſſe *s*). Verius multo HEISTERVS noſter in tot rei medicæ ſubſidiis, multifariisque ſanitatis remediis, per orbem terrarum diffuſis, ſummi verique Numinis brachium uſquequaque extenſum agnovit, idemque ut a quamplurimis hominibus agnoſceretur, ſtudiis & Commentationibus ſuis efficere anniſus eſt. Ipſe vero in difficillimis, chirurgicis maxime, curationibus non alium ſe, quam

r) Initio Præfat. ad *C. Iul. Calliſtum.* RVELLII quidem editio, quæ ad manus eſt, expreſſit, *divinum munus eſſe.* Sed *Caſp.* BARTHIVS Adverſ. lib. 48. c. 19. jam conjecit, legendum eſſe *Deorum manus.* Idque tam certum, quam quod maxime. Nam conſequentia SCRIBONII verba, quibus HEROPHILI effatum declarat, ſic ſcriptum ab eo eſſe, manifeſte indicant. Sic enim pergit SCRIBONIVS: *Prorſus enim, quod tactus divinus efficere poteſt, id præſtant medicamenta uſu experientiaque comprobata.* Et veram HEROPHILI ſententiam GALENVS etiam, de compoſ. medic. lib. VI. p. 248. his verbis expreſſit: ἑκατερον ὧν ἐλεγεν Ἡροφιλος ἀληθες. ἐαν τε γαρ εἰπῃς ὐδεν εἰναι τα φαρμακα μονα καθ' ἀυτα, προσηκοντως ἐρεις, ὐδ'εν γαρ ἐστιν, ἐαν μη τον χρωμενον ὀρθως σχῃ, ἐαν τε παλιν ἰσον περ θεων χειρας ἐιναι τα φαρμακα, καὶ τυτο ὀρθως ἐρεις. ἀνυει γαρ μεγαλα τον χρωμενον ἀυτοις ἐχοντα γεγυμνασμενον ἐν λογικη μεθοδῳ, μετα τυ καὶ συνετον ειναι φυσει. Temere itaque verba mutavit RVELLIVS, *Scribonii*, ut a BARTHIO appellatur, ſatis audax reſtitutor.

s) IVLIANVS apud CYRILLVM lib. VI. p. 287: ἐπι πασαν ὠρεξε την γην σωτηριον ἑαυτυ δεξιαν.

adminiſtrum brachii divini, indicavit, omnia ſuſtinentis & ſervantis. Hoc in ſtudio amplificandæ divinæ gloriæ, optavit, ut ſibi integris viribus ad ſeram ſenectutem perſeverare liceret. Neque vero deſertus a Deo, ſed firmæ valetudinis beneficio gaviſus eſt Medicus noſter Θεοφιλης. Vidimus eum ſenectute tam vegeta & florente, tam multis ornata meritis uti, ut Coum aliquem aut Pergamenum ſenem noſtris obſervari oculis crederemus. Vidimus eum nulla debilitate a negotiis medicis retardari, imo difficillimis ſubinde curationibus ſtrenue operari, ut facile Medicum aut Chirurgum divino munitum brachio agnoſceremus. Et productiore quidem ætate ſua ita uſus eſt, ut divinæ virtutis excellentiam magis magiſque cognitam poſteris traderet, cum & libros omnis eruditionis medicæ copiis refertos in vulgus ederet, magiſque locupletaret, & diſcipulos quam plurimos ſcholis ſuis præclare inſtitutos emitteret, eandem poſt ſe operam navaturos. Itaque beneficio divino eam quoque felicitatem aſſecutus eſt, quam CICERO, ſenectutem ab iniquis criminationibus vindicans, inprimis laudat, cum & ingenium retinuit ſenex, ne cogeretur in ſtudiis obmuteſcere, & conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum jucundiſſima recordatione oblectatus eſt. Magnum præterea ſenectutis ſolatium, amoriſque divini documentum, habuit in familia ſplendidiſſima, cum liberos & nepotes educaret ſua prementes veſtigia, & generos nanciſceretur, laudis Heiſterianæ capaces & æmulos. Hos quidem ampliſſimis præditos honoribus omnes, & pleroſque Collegas ordinis ſui, vidiſſet, propiuſque acceſſiſſet ad felicitatem *Metelli*, veteribus prædicatam, ſi quidem fata permittere voluiſſent, ut ſibi omnes eſſent ſuperſtites. Sed & hactenus commemorata ſufficiunt, ut in HEISTERO Medicum Θεοφιλη agnoſcamus.

Vberiorem earum rerum, quarum veluti imaginem adumbravimus, explanationem dabit ipſa vitæ ejus deſcriptio, quam

quam jam per partes enarraturi ſumus. Ea quidem jam paſſim a doctis viris mandata literis eſt, atque tum Ephemeridum literariarum commentariis expoſita, tum ſingularibus libellis plenius commemorata. Fama enim HEISTERI, multorumque in re medica meritorum excellentia, digna videbatur, quæ curatius commemoraretur, & cognoſceretur a plurimis. Neque tamen Academia noſtra deeſſe officio potuit, quod memoriæ tanti Viri debebat, ut præclare facta ejus, quibus orbem eruditum, & ſe maxime, illuſtravit, grata prædicaret & commendaret poſteris. Quanquam enim, quibus ſtudiis in republica literaria eminuerit, quibuſque inventis & exercitationibus diſciplinam medicam locupletaverit, jam ſatis aliorum literis eſt proditum, ſunt tamen alia ejus ſtudia, quibus commoda & famam Academiæ ornavit, quæque a nobis non reticenda videntur. Rerum autem copia dicendarum, in tanta meritorum HEISTERI amplitudine, quod anguſtæ ſcriptionis ſpatiis vix poteſt includi, jam poſtulare videtur, ut quam breviſſime omnia comprehendamus, & rerum ſingularum veluti ſummas delibemus.

Natus eſt *Laurentius* HEISTERVS Francofurti ad Mœnum die XIX. Sept. MDCLXXXIII. auſpicatiſſimo quidem tempore, cum univerſa civitas recenti adhuc lætitia ob allatum, de Vienna obſidione liberata, profligatoque Turcorum exercitu, nuntium triumpharet. Patre uſus eſt *Ioanne Henrico*, cive Francofurtano, tunc temporis quidem materiario, ſed qui poſtea vino ſimul vendendo & viatoribus hoſpitio excipiendis rem faceret; matre autem *Maria*, haud obſcuræ in ea urbe gentis ALLEINSIÆ, *Gisberti Laurentii*, mercatoris honeſtiſſimi, filia, quæ vita ad grandem ætatem producta hanc ſenectutis ſuæ ſummam voluptatem duxit, quod felicia filii incrementa, magnamque nominis celebritatem, ipſa videret. Puer nondum novennis in Gymnaſium Francofurtenſe ductus, linguarum veterum

artiumque liberalium cognitioni per integrum decennium operam dedit, ea quidem induſtria, ut plerumque inter diſcipulos primi ſubſellii numeraretur. Vſus autem eſt doctoribus in ea ſchola præciputis *Io. Gerardo* ARNOLDO, Rectore, ejusque ſucceſſore *Io. Iacobo* SCHVDTIO, & *Io. Thomæ* KLVMPFIO, quo auctore tum præcipue animum ad artem poëticam applicuit, &, quod ingenium ſuum aptum iis rebus, nec invenuſtum, intelligeret, varia tum compoſuit carmina, quæ peritorum punctum ferre poſſent. Hac in liberali exercitatione non minus otium, quod a publicis auditionibus ſupereſſet, oblectavit, quam aliis in rebus addiſcendis collocavit utiliter. Nam juſtam Romanæ linguæ ſcientiam aſſecutus, cum paullo adultior eſſet, ad exterarum gentium linguas, quæ hodie vigent, Gallicam ſcilicet, & mox Italicam acceſſit, artem item Muſicam, & delineandi pingendique, addidicit, quarum ei magiſtros ſatis idoneos liberalitas parentum conceſſerat. Quin ipſe, nullo alio duce, ſed ſpectando obſervandoque rationem coagmentandi concinnandique libros arripuit, ita quidem, ut, quoad Francofurti degeret, ipſe ſibi libros ſuos horis ſubſecivis non inepto, nec indecoro, paratu compingeret. Quibus negotiis honeſtis non ſolum animum ſuum recreavit, ſed id aſſecutus eſt maxime, ut ſe a ſodalitio pravi exempli removeret, &, quod in diverſorio, quo educabatur, ſumme neceſſarium erat, ut ſecum habitare diſceret, neque moribus peregrinantium, qui ſolutiores eſſe ſolent, corrumperetur.

Sed ex iiſdem occupationibus, & veluti præludiis ſtudiorum, ſingularis elucebat navitas & induſtria adoleſcentis, quæ parandis quibuſcunque eruditionis inſtrumentis intenta eſſet, & magnum virum minaretur. Itaque cum inſtitutus bene literis, altioribuſque ſtudiis perſequendis jam ſatis paratus, videretur, facto ad vicinas Academias, Gieſſam & Marpurgum, itinere, ut, quænam commodiſſima inſtituto ſuo eſſet, videret,

ret, Gieſſam elegit, & apud *Io. Henr.* MAIVM, Doctorem Theologum celeberrimum, tum Rectorem, nomen ſuum profeſſus, in album civium Academicorum relatus eſt. Addicebat ſe arti medicæ, cujus dudum ſummo ſtudio tenebatur, & cognita *Georgii Chriſtophori* MOELLERI, Medicinam extra ordinem docentis, fama, qua ob eruditionis amplitudinem eximiamque explanate docendi facultatem florebat, hujus diſciplinæ totum ſe tradere conſtituit. Hoc autem in doctorem ſuum ſingulare ſtudium effecit, ut brevi interjecto tempore Gieſſa diſcederet. MOELLERO enim anno ſequenti MDCCIII. Wezlariam evocato, ut ſummis Iudicibus Cameræ Cæſareæ a medicina eſſet, Noſter cum aliis quibusdam adoleſcentibus Medicinæ ſtudioſis doctorem ſuum ſecutus, per integrum fere quadriennium ab ejus ore pependit, & totum naturalis æque ſcientiæ, ac medicæ, campum eo duce emenſus eſt. Adſuevit etiam negotiis clinicis & medicinæ exercendæ, a doctore ſuo ad lectos ægrotorum adductus, ut aſſidere decumbentibus, obſervare morbos, & conſilia medica prudenter exarare diſceret. Neque aliis in rebus eo loco defuit ei aut occaſio, aut ſolertia amplificandæ eruditionis medicæ. Ad rem enim chemicam & pharmacevticam quod attinet, utebatur Wezlariæ hoſpitio peritiſſimi medicamentarii, cui non modo ad medicamentorum, ſimplicium æque ac compoſitorum, notitiam comparandam frequenter adhærebat, ſed etiam majoris momenti medicamenta, chemica præſertim, præparanti, oculos animumque curioſe ad omnia advertens, manum operamque ſociam commodabat. Notitiam ſtructuræ corporis humani ſedulo percipiebat tum ex anatomicis MOELLERI demonſtrationibus, tum a *D.* BARTHOLDO, Academiæ Gieſſenſis Anatomico, ad quem conferre ſe ſolebat toties, quoties ab eo ſectiones cadaverum publicas Gieſſæ inſtitui audiviſſet. Rei autem herbariæ ſtudium, cujus jucunditate jam tum ſe maxime affici ſentiebat, ita perſequebatur, ut, quotiescunque tem-

poris

poris & anni ratio permitteret, hortos, prata, ſilvas & colles in agris vicinarum urbium perreptando, omnium generum herbas, quæ inveniri poſſent, colligeret ſolicite, & inſtruendo herbario, quod dicitur, vivo, diligenter exſiccatas aſſervaret, idque jam tum ad eam magnitudinem excrevit, ut plus quam duo millia herbarum contineret. Aliam proficiendi materiam Noſtro offerebant thermæ & acidulæ quam plurimæ, quæ in vicinia Wezlariæ ob eximiam aquarum ſalubritatem celebrantur. Ad has enim cum quavis æſtate magna nobiliſſimorum hominum multitudo, ſanitatis confirmandæ cauſſa, confluereret, ab iiſque haud raro Moellerı conſilium de recto ſalutarique aquarum uſu requireretur, Heisterus, haud negligens talium rerum obſervator, præceptorem ſuum comitatus, ad ipſos fontes aquarum non ſolum earum naturam, & cauſas ſalubritatis exploravit, ſed etiam, quæ in quibusque morbis recte imperentur, qui cujusque legitimus uſus ſit, & quæ in eo victus ratio tenenda, qui effectus, & quæ converſiones valetudinis obſervandæ, accurate didicit, ejusque rei cognitione exercendæ medicinæ ſcientiam præclare auxit. Tot igitur tamque aſſiduis exercitamentis medicis Heisteri factum eſt, ut quamvis mature Academia diſceſſiſſet, Academiam tamen Wezlariæ minus deſideraret. Ardens enim & indefeſſa ejus induſtria, quæ ſuo ſemper incitabatur inſtinctu, & quamlibet diſcendi opportunitatem arripiebat, quaſcunque in res incidiſſet, ſibi veluti ſcholam aperuit, nihil reliquit inexpertum, & nunquam niſi doctior diſceſſit.

Sed noſter amplius mox ſpatium requirere videbatur, quo excurret, & ingenium optimarum rerum ſtudioſiſſimum exerceret. Itaque cum in plerisque Medicinæ partibus, præſertim Anatome, Chirurgia, Botanice & Chymia, longius progredi, exteroſque audire doctores cuperet, ſuaſu præceptoris ſui & annuente patre, Belgium, illud bonarum artium domici-

micilium, adire constituit, & anno hujus sæculi VI. ineunte æstate, Mœni Rhenique flumine secundo devectus, lustratis simul, quæ Rheno adjacent, celeberrimis urbibus, Lugdunum Batavorum venit, & Medicos ibi publice docentes, eorum ut sibi voluntates conciliaret, salutavit. Cognito autem, Anatomen & Chirurgiam, quarum maxime studio flagrabat, Amstelodami Ruyschii & Ravii scholis multo magis celebrari, quam Leidæ apud Bidlovm, mutavit consilium, & Amstelodamum secessit, statimque adfuit Ruyschio & Commelino, botanicas auditiones in splendidissimo ejus urbis horto medico per æstatem habentibus, Ruyschio etiam in demonstrationibus anatomicis, quas tum canicularibus diebus extra ordinem exhibebat in partibus corporis humani singulis, ita quidem arte præparatis, ut vehementissimo calore cœli sine fastidio spectari tractarique possent. Eratque inprimis jucundissimum spectaculum adolescentis, qui ante annos aliquot mortuus, sed pollinctura artificiosa inunctus, specie & venustate tam admirabili apparebat, ut non mortuus, sed vivus spiransque, & leni tantum somno sopitus videretur. Publicis hisce demonstrationibus ad finem perductis, privatas aperuit Heistero aliisque rogantibus, quibus recensum egit totius thesauri sui anatomici, quem postea Russorum Imperator Petrvs I. ingenti pecuniæ summa emit, & non solum exempla rerum arte præparatarum, ex animalium genere, stupendi pleraque operis, perlustranda proposuit, sed etiam, quæ in quoque nova & notatu digna observasset, aut quæ a se primo inventa essent, enarravit. Heistervs præterea per otium in horto medico rariores, quas adipisci posset, plantas sedulo collegit, iisque herbario suo haud mediocrem accessionem comparavit.

Ravii tunc temporis inter Chirurgos & Lithotomos celeberrimum nomen erat, isque maxime in ossium, musculorum, nervorumque doctrina sic excellere, ut Ruyschivs in splan-

chnologia, ferebatur. In his igitur rebus cum accuratius proficere cuperent quidam Medicinæ ſtudioſi, qui ſe HEISTERO adjunxerant, inſtitutiones anatomico-chirurgicas, centum argenteorum uncialium pretio, quod pro ſe quiſque ſolveret, ſibi a RAVIO pacti, dimidium ſtatim didactri repræſentabant, ea tamen lege, ut ſibi non modo totam rem anatomicam in recentibus cadaveribus quam accuratiſſime demonſtraret, ſed etiam alia cadavera juſto numero procuraret, quibus ſecandis & perſcrutandis ipſi exercere ſe, ſuamque magis inſtruere ſcientiam, poſſent. Paullum vero inſtitutione progreſſus RAVIVS cum promiſſis ſuis minime ſtaret, neque ſolertem fidelemque doctorem ſe præberet, præterea ſumma ubique morum verborumque aſperitate offenderet, plerique auditores, in quibus & Noſter, magiſtri tam moleſti tædio affecti, & reliquæ pecuniæ jacturam facere recuſantes, abſoluta priore auditionum parte, diſceſſerunt, ſeque applicarunt ad RUYSCHIVM, qui propoſitis ſibi iisdem conditionibus minime gravatus, deſideriis juvenum humaniſſima facilitate reſpondit, iisque non modo univerſam ſplanchnologiam tradidit, hæc enim deſiderabatur, ſed etiam cadavera, quotcunque requirerent, ad ſectiones privatim inſtituendas, e magno valetudinario Amſtelodamenſi ſuppeditavit. Hac igitur occaſione prudenter uſus Noſter, indefeſſa, & plane incredibili induſtria continuos integrosque dies per hiemem ad finem usque menſis Maii, anni MDCCVII. incidendis corporibus omnis ætatis atque ſexus conſumſit, omnem anatomes doctrinam denuo pertractavit & memoria defixit, quæ difficiliora eſſent, & RAVIVS oſtendere neglexiſſet, ductu optimorum ſcriptorum, & ſuo ipſe ſtudio, exploravit, varios denique Anatomicorum, VERHEYENI maxime, errores, alia item ab aliis nondum cognita, aut non accurate explicata, notavit, quarum rerum haud pauca tum in Compendio anatomico, tum in Ephemeridibus Nat. Curioſ. deſcripſit.

Quan-

Quantum autem ex anatomicis exercitiis emolumenti ceperat, tantum eodem tempore e multis variisque operationibus chirurgicis proficere conabatur, non Ravii modo & Ruyschii, quos præcipuos duces ſequebatur, ſed aliorum etiam celebrium Chirurgorum, *Petri Adrianſon* Verduyni, ejusque generi Bordeli, Vallantii, Conerdingii, & aliorum, quorum ſibi multo ſumtu & labore amicitiam conciliaverat. His enim inſinuatus, adhibebatur difficillimis quibuſque & operoſis curationibus ſpectandis, quas illi in noſocomiis aliiſque locis haud raro ſuſcipiebant, eaſque privatim imitari in cadaveribus ſolebat, quo promtior manu habiliorque ad opera ejusmodi exequenda fieret. Neque vero hic ſubſtitit ille, ſed nullum ampliorem campum exercendæ Chirurgiæ, quam caſtra militum, ratus, ad exercitum Fœderatorum in Brabantia, qui tum in hoſtem movebat, menſe Iunio anni MDCCVII. per Antverpiam, Bruxellas, & Lovanium, profectus eſt. Lovanii celeberrimum Verheyenvm, literis Ruyschii commendatus, ſalutavit, & publice docentem audivit. Privatim autem vario de rebus anatomicis ſermone collato, nonnullos errores in libello ejus anatomico ab ſe obſervatos modeſte indicavit, quorum ille plerosque candide agnovit, ſed rem anguſtam domi, & penuriam librorum, quæ ſuis obſtaret conatibus, excuſavit. Lovanio relicto, apud exercitum aliquamdiu commoratus, Bruxellas rediit, ubi tum Britanni Batavique refertiſſima habebant noſocomia. In quibus quotidie cum præſtantiſſimis Medicis & Chirurgis caſtrenſibus, Amiando inprimis Anglo, & Crepino Batavo, verſatus, egregie ab iis, plurima curationum chirurgicarum genera ſpectando, profecit, eorumque permiſſu tum primum venæ ſectionis, aliorumque operum leviorum, periculum fecit, ut, his quaſi rudimentis firmatus, aliis gravioribus ſuſcipiendis habilem ſe redderet. Nec prætermiſit obſervare alia, quæ ab iis Medicis in curandis morbis internis fierent, & utilia ſibi ad medicinam proſpere exercendam

viderentur. Reliquum temporis si quid esset, linguæ Anglicæ addiscendæ, quod tum multa sibi cum Anglis consuetudo esset, & legendis optimis Chirurgiæ auctoribus, impendit, colligendis etiam, quæ inter ambulandum se offerrent, rarioribus herbis, quibus instructum thesauri sui herbarii locupletaret.

Exeunte æstate reditum parans, in itinere Gandavi Flandriæ valetudinaria castrensia perlustravit, & *Io.* PALFYNVM celeberrimum Chirurgum, convenit, Flessingæ autem & Medioburgi prægrandes in portu naves bellicas, aliaque notatu digna vidit, indeque pergens Lugdunum Batavorum venit, eo quidem consilio, ut doctrina & recitationibus Medicorum ibi docentium, ad excolendum omnem disciplinæ medicinalis fundum, se magis instrueret & confirmaret. Igitur a celeberr. PERIZONIO, tum Rectore Academiæ, inter cives receptus, assidua diligentia ALBINI scholas practicas, publicas & privatas, BOERHAAVII chemicas, item de visu & morbis oculorum, recitationes, PETRI vero HOTTONI botanicas, frequentavit in horto medico ejus Academiæ instructissimo institutas. Adfuit præterea BIDLOI sectionibus cadaverum, *Friderico* DEKKERO ægros in valetudinario visenti, & de cujusque morbo ferenti judicium, *Le* MORTIO demonstrationes chemicas, & SENGVERDO experimenta mechanico-physica instituenti. Inter hæc studio linguæ Gallicæ ductus, ut promtiorem eius facultatem assequeretur, hospitio & convictu hominis natione Galli usus est. Neque minus ad mathemata adjecit animum, simulque vitro speculari terendo & microscopiis conficiendis operam dedit. Feriis excurrere solebat, ad nobiliores in vicinia urbes, ad prætoria villasque, magnifico exstructas opere, videndas, & perlustratis earum cultissimis hortis nova subinde herbarum rariorum spolia referebat. Vltrajectinam inprimis urbem, ob amœnissimos hortos & viridaria celebrem, cum adiisset, plurimos ejus loci eruditos familiares sibi reddidit, tum

apud

apud celeberr. LEYSDENIVM pulcherrimum rerum anatomicarum & chirurgicarum apparatum inſpexit. Amſtelodami autem RVYSCHIVM ſuum conveniens, cum ibi forte celeberrimum Medicum & Polyhiſtorem, *Theodorum Ianſonium ab* ALMELOVEEN inveniſſet, isque enixe HEISTERVM hortaretur, ut Harderovici a ſe, cum maxime Rectore Academiæ, & Collegii medici Decano, ſummos in Medicina honores reciperet, Noſter ſummo viro gratificandum ratus, fidem dedit, & menſe Majo Harderovicum profectus, habita prius publice diſputatione, *de Tunica choroidea oculi*, laurea Doctoris ab ALMELOVEENIO condecoratus eſt. Eos tamen honores, Lugdunum reverſus, aliquamdiu celavit, ut acroaſes iam a ſe cœptas ſine offenſione continuare & abſolvere poſſet.

Curſu autem ſtudiorum academico peracto, cum Anatomen & Chirurgiam, quarum maxime amore flagrabat, in Batavis videret minus accurate & perſpicue tradi, propter doctorum aut negligentiam, aut imbecillem ætatem, Amſtelodami ſedem figere & profiteri eas diſciplinas conſtituit, liberalem & officioſum ejus conſilii adjutorem nactus RVYSCHIVM, qui quaſi Collegam anatomici muneris HEISTERVM aſſumſit, cellam in valetudinario, ſectionibus aptam, conceſſit, & ut neceſſaria præſto eſſent cadavera, ſe curaturum promiſit, id tamen pactus, ut HEISTERVS rem anatomicam in recentibus cadaveribus, ipſe vero iisdem auditoribus in corporibus arte præparatis demonſtraret, &, quod e ſcholis iſtis rediret, honorarium utrique commune eſſet. Itaque compoſito negotio, comparatisque inſtrumentis idoneis chirurgicis, ineunte auctumno decem Chirurgis, natione Gallis, rem anatomicam ſermone gallico tradidit, mox etiam Germanis quibusdam ſcholas anatomico-chirurgicas aperuit, easque ad æſtatem usque anni MDCCIX. continuavit. Inter hæc animum applicuit ad diſciplinas mathematicas, eas maxime, quarum manifeſtior uſus in Medicina

eſſet, hortatore & duce uſus *Tiberio* HEMSTERHVSIO, Profeſſore tunc temporis mathematum Amſtelodamenſi, quocum multum verſabatur, quod per biennium in ejus ædibus habitabat, fierique eruditis ejus ſermonibus ſtudebat doctior.

Tentata docendi fortuna, ſic porro animum generoſo conſilio inſtituit, ut laudem, quantum poſſet, maximam Chirurgi exercitio conſummati aſſequeretur, reputans ſecum, quantum ſanitatis præſidium multis millibus hominum miſerorum in Chirurgia, uſu bene inſtructa, eſſet, & quam exiguus contra numerus, præſertim in Germania, excellentium Chirurgorum inveniretur. Itaque ut quam ampliſſimum ejus artis ſibi uſum brevi acquireret, iterum in caſtra belligerantium, tanquam in campum Martium, qui exercitationibus ejusmodi quam maxime pateret, ſe conferre ſtatuit, collectoque omni inſtrumento ſuo chirurgico ad exercitum Fœderatorum, qui tum Tornacum obſidione cinxerat, profectus eſt. Vbi litteris RVYSCHII ſui commendatitiis inſinuatus præfectis noſocomiorum caſtrenſium, ab his officio Medici caſtrenſis ornatus, eoque ſtatim in caſtris, apud Tornacum, & paullo poſt Aldenardæ, quo plurimi ſauciatorum Scaldi flumine devehebantur, egregie functus eſt, primario inter Batavos Chirurgo caſtrenſi *de* QVAVRE, qui reliquorum Medicorum operas ordinabat, ſolertiam & dexteritatem HEISTERI ſummopere laudante. Tornaco expugnato cum in eam urbem ſe contuliſſet, ut ædificia & munimenta ejus intus videret, incidit in BRISSALTII, qui Gallorum ibi Medicus fuerat, diſſertationem *de Cataracta*, ejusque novam de hoc morbo ſententiam intellexit, quam poſtea ſuis magis lucubrationibus ornavit. Brevi interjecto tempore pugna omnium cruentiſſima apud Malplacetum pugnata eſt, qua quidem Fœderati victores, ſed cum ingenti exercitus detrimento, diſceſſerunt, & præcipue Batavi, præter eos, quos cæſos magno numero amiſerant, quinque millia vulneratorum ex acie retulerunt. Hi cum

maxi-

maximam partem Bruxellas deferrentur, & HEISTERVS una cum Chirurgo primario plurimiſque aliis eo abire juſſus eſſet, & multi denuo ſauciati ab Monte Hannoniæ, qui tum oppugnabatur, aſportarentur, Noſter in tanto vulnerum & fracturarum multitudine & varietate ampliſſimam materiam nactus experiundæ exercendæque medicinæ, quæ manu curat, multum in ea temporis trivit ad finem uſque Decembris. Multorum etiam militum, ex vulnere mortuorum, corporibus ſubinde uſus ad exploranda, quæ ſibi dubia adhuc viſa eſſent, reperit in oculo diſſecto militis defuncti, cataracta laborante, hoc malum non exortum a quadam pellicula, ſed ab humore cryſtallino opaco & turbido. Finita expeditione ejus anni, exercituque in hiberna reducto, Noſter rediit Amſtelodamum, & ſcholis ſuis anatomicis & chirurgicis, ſumma hiemis inclementia, ad finem usque Aprilis continuatis, plures VERHEYENI alucinationes annotavit, & tabulas ſuas anatomicas, jam tum cœptas, accuratius inſtruxit & locupletavit.

Cum Bruxellis adhuc ageret HEISTERVS officii obeundi cauſſa, in curanda vulneratorum valetudine, accidit, ut Norimbergenſis quidam Medicus KOENIGIVS, ad videnda noſocomia eo profectus, HEISTERVM, cujus ſcientiam anatomicam & chirurgicam multum prædicari audiverat, cognoſcendi cauſſa adiret, eumque ad petendam profeſſionem medicam in Academia Noricorum, morte *Iacobi Pancratii* BRVNONIS haud ita pridem vacuefactam, multis verbis hortaretur. Quanquam vero ille inter Batavos fortuna ſatis favente, & muneribus haud contemnendis, utebatur, nec defuturæ lautiores conditiones, commendatione fautorum, RVYSCHII maxime, videbantur, ſpes ſaltem erat e Medicina in opulentiſſima frequentiſſimaque urbe exercenda copias uberrimas, ampliſſimaque commoda adipiſcendi, re tamen accuratius penſitata, quietius vitæ genus moleſtiori, & certiora commoda incertis antetulit,

atque

atque hinc a RVYSCHIO, cujus patrocinium efflagitaverat, celeberrimo Norimbergenſium Botanico, *D.* VOLKAMERO, per hunc autem Curatoribus Academiæ Altorfinæ, commendatus, vere ineunte anni MDCCIX. collatam in ſe provinciam Anatomiæ & Chirurgiæ comperit. Prius autem, quam Altorfium concederet, æquor trajicere & ad Anglos proficiſci ſtatuit, ut celeberrimos in ea gente Medicos, & quæ apud eos utilia in re medica notatuque digna eſſent, propius curatiusque cognoſceret, venia itineris ab illuſtribus Academiæ Curatoribus rite impetrata. Itaque ineunte menſe Majo ejusdem anni in Britanniam devectus, nihil prius ibi habuit, quam ut præſtantiſſimos quosque in re medica viros notos ſibi & familiares redderet. Præcipue autem *Abrahamo* CYPRIANO, celeberrimo Chirurgo, adfuit, eumque calculi e veſica exſectiones ſubinde dexterrime perficientem, ipſo permittente, ſpectavit. Excellentiſſ. SLOANI magnum & incomparabilem rerum naturalium theſaurum, apud WOODWARDVM vero pulcherrimum apparatum lapidum figuratorum vidit, nec exiguum numerum ab eo muneri accepit. *Iacobi* PETTIVERI, celebris Botanici, prolixam in ſe voluntatem intellexit, & ab eo in ſplendidiſſimum hortum medicum Chelſeyenſem apud Londinum, aliaque multa loca, herbis & ſtirpibus rarioribus conſita, aliquoties deductus, multis etiam herbis, quas in remotiſſimis quibusque terris natas probe ſiccaverat, donatus eſt. Alius Botanici Londinenſis, RANDII liberalitatem, in communicandis ſecum variis graminis Anglicani generibus, expertus eſt. Innotuit etiam duobus Anatomicis, SYLVESTRO & BVSSIERIO, natione Gallis, qui religionis cauſſa e patria in Angliam profugerant; præſtantiſſimo autem Medico LAVATERO, Helvetio, qui Londini ſcholas anatomicas & chirurgicas habere ſolebat, familiariter uſus eſt, ejusque apparatum inſtrumentorum chirurgicorum, ut & ingenioſiſſimi Mechanici HAVKSBEI inſtrumenta mechanica affabre facta perluſtravit. Neque minus celeberrimum

NEWTO-

NEWTONVM convenit, Præsidem Regiæ Societatis, cujus non solum conventui interfuit, a PETTIVERO introductus, sed etiam notabilium & rarissimarum mercium ærarium, ex omni naturæ thesauro locupletissimum, contemplatus est. Annotavit etiam, vidisse se ibidem virum tam immensæ vocis, ut solo ejus sono vitrum fractum dissiliret. Præterimus merito alia, quæ urbs Brittanniæ primaria videndi obtulit, regias, curias, fora, castella, templa, armamentaria, bibliothecas. Horum enim nihil fuit, quod non curate cognoscendum putaret. Sed quatuor mensium spatio jam in Anglia consumto, visis etiam duabus ejus regni Academiis, Cantabrigia & Oxonia, tandem insigni librorum rariorum, instrumentorum, plantarum & fossilium apparatu onustus, retro in Bataviam vela dedit mense Septembri, & porro amicis suis, Amstelodami & Lugduni degentibus, vale dicto, profectionem suam in Academiam Altorfinam maturavit.

Venit Altorfium ineunte mense Novembri, ejusque die XI. a *Io. Iac.* BAIERO Medic. D. & Prof. cum maxime Rectore, in collegium Professorum introductus, quinto mensis proximi die orationem aditialem, *de Hypothesium medicarum fallacia & pernicie*, habuit, quam Programmate, *de Veritatis inveniendæ difficultate in Physica & Medicina* publice indixerat. Scholas deinde publicas & privatas aperuit, frequenti auditorio, & omnibus medicæ artis disciplinis continuo labore pertractandis, quamdiu Altorfii fuit, diligentiam suam & doctrinam facile approbavit. Sectiones cadaverum multa cum industria, & fortasse frequentius, quam antea factum fuerat, instituit. In exercenda autem medicina, tum ea quæ medicamentis, tum quæ manu curat, id brevi nomen adeptus est, ut initio quidem e vicinis locis aulisque Principum & Comitum, mox etiam e remotioribus regionibus, in auxilium morborum vocaretur, & passim curationes chirurgicas, difficillimas sane, felici suc-

ceſſu perageret. Anno MDCCXI. primam Diſſertationem academicam propoſuit *de Maſticatione*, cujus veram rationem ex anatomicis & mechanicis fundamentis eruit, variorumque in ea explicanda errores annotavit. Quam contra cum exortus eſſet auctor quidam obſcurus & perſonatus, non conſultum duxit, convitiis ejus reſpondere, neque, ut ab aliis id fieret, permittere. Eodem anno, & ſequentibus, quatuor continuis Diſſertationibus egit *de Cataracta in lente cryſtallina*, iisdemque anno MDCCXIII. auctis unoque libello foras datis, novam duorum Gallorum, Brissoltii & Maitre-Iean, de cataracta ſententiam primum per Germaniam divulgavit. Quippe eum morbum non in pellicula quadam, in humore aqueo concreta, verſari, ſed plerumque in humore cryſtallino, claritate amiſſa, obſcurato evenire, multis peritorum hominum obſervationibus & experimentis demonſtravit, quanquam alteram ſuffuſionis cauſſam ſubinde extare poſſe, non plane diffiteretur. Huic demonſtrationi etiam illud addiderat, humorem cryſtallinum ad videndum non eſſe plane neceſſarium, adeoque in curatione cataractæ, ſalvo viſu, poſſe ſupprimi; præterea amavroſin, quam plurimi inſanabilem exiſtiment, haud raro ſanari poſſe, glaucoma contra, quod in opacitate humoris vitrei conſiſtat, curationem non admittere, Nactus eſt Noſter ſententiæ ſuæ vehementem adverſarium, Anglum ocularium, qui Pariſiis vivebat, Woolhvsivm, qui non ſolum Diario Eruditorum Gallico acerbam libri Heiſteriani cenſuram curavit inſerendam, ſed ipſum epiſtola contumeliarum plena laceſſivit. In utraque cum Heistervs rem totam convitiis agi, ſuamque ſententiam perverti peſſime atque corrumpi, animadverteret, defendit ſe *Apologia & uberiore illuſtratione ſyſtematis ſui de Cataracta*, anno MDCCXVII. edita, quam tamen Woolhvsivs iterum ſuperbo & amarulento ſcripto oppugnavit. Itaque demum Heistervs *Vindicias ſententiæ ſuæ de cataracta, glaucomate & amavroſi*, anno MDCCXIX. publicavit, eamque perſpicue

spicue declaratam eruditis ita approbavit, ut Woolhvsii litem tantum de nomine fuisse, Heisterum vero experientia optimisque rationibus niti, passim faterentur, uti ex Diario Trevultiensi, & Actis Eruditorum anni MDCCXXIII. tum e singularibus libellis *Antonii* Benevoli Florentiæ *t*), & *Antonii* Cocchi, Romæ *u*) ea de quæstione editis, intelligere licuit. Quin ocularius Parisiensis longo usu experientissimus, *de Saint* Yves, edito anno MDCCXXII. libro *de morbis oculorum*, Heisteri sententiam non solum palam adoptavit, sed etiam contra Woolhvsii iniquas cavillationes enixi graviterque defendit, celeberrimus autem Morgagnivs, Anatomicus Patavinus, nova observatione, cum Heistero anno MDCCXXIV. communicata, denuo confirmavit.

Interea, dum hæc controversia agitabatur, alias permultas disquisitiones eruditas instituit, assiduamque rei medicæ amplificandæ industriam variis scriptis comprobavit, quæ hoc loco singula commemoranda duceremus, nisi propositum esset, indicem omnium scriptorum Heisteri in calce hujus scriptionis accuratius describere. Eminet tamen in iis, quas Altorfii elucubravit, Dissertatio *de nova methodo curandi fistulas lacrymales*, qua methodum Anelii ab se primo in Germania feliciter tentatam, naturam item harum fistularum, & structuram ductuum lacrymalium, cum idoneis huic morbo curando instrumentis, perspicue descripsit; alia præterea *de vera Glandulæ appellatione*, qua veram ejus rationem, & quibus signis ab aliis corporis humani partibus distinguatur, exposuit. Quæ doctrina posthac in Compendio anatomico, secundæ tertiæque editionis, enucleatius proposita, ita arrisit Novgvezio, Gallico novæ Institutionis anatomicæ auctori, ut eam de verbo

t) Lettera d' *Antonio* Benevoli sopra due observationi fatte intorno alle Cateratta in Fiorenze. 4t. 1722.

u) *Antonii* Cocchi de lente crystallina oculi humani vera suffusionis sede. 8v. Romæ 1721.

ad verbum in librum ſuum transferret, HEISTERO ne quidem nominato. Diſputavit præterea *de Valvula coli*, contra *Io. Bapt.* BIANCHVM, Anatomicum Taurinenſem, qui cum valvulam a *Caſp.* BAVHINO inventam, extare negaviſſet, Noſter eam non modo reperiri eo loco, quo eam BAVHINVS demonſtraſſet, aſſeruit, ſed etiam in ſtructura & uſu ejus ſingulare ſapientiæ divinæ documentum demonſtravit. Iisdem fere temporibus, quibus hæc ſcripta ſunt, principes ejus libri, quos ſolos ſufficere poterat nominaſſe, & quibus maxime celebritatem per omnes Europæ terras adeptus eſt Noſter, primum prodierunt, *Compendium anatomicum*, & *Inſtitutiones Chirurgiæ*. Illud e quatuor Diſſertationibus, publice defenſis, quibus omnem rem anatomicam, partibus ſuis diſtinctam, deſcripſerat, enatum, anno MDCCXVII, Chirurgia autem germanice anno ſequenti primum prodiit. Vterque liber, optimis utiliſſimisque obſervationibus refertus, brevibus temporum intervallis ſæpius ab auctore recognitus, emendatus, & multis acceſſionibus auctus, tanta orbis eruditi approbatione exceptus eſt, ut apud exteras Europæ gentes, fere omnes, ſæpius typis deſcriptus, & in alias linguas translatus ſit, in Academiis autem quam plurimis tum enchiridii loco recitationibus publicis ſubſtructus, tum Medicinæ cultoribus ad cognitionem anatomicæ & chirurgicæ rei recte percipiendam commendatus ſit, omniumque adhuc manibus teratur.

Inter hæc cum fama HEISTERI in dies creſceret, non defuerunt eruditi honores, qui meritis ejus deferrentur. Paucis enim annis, poſt quam Altorfium venerat, allectus eſt ſodalis Societatis Cæſareæ Naturæ Curioſorum, item Academiæ Regiæ ſcientiarum Berolinenſis, & poſthac pro inſtituto Societatis Cæſareæ permultas obſervationes Diariis ejus inſerendas curavit. Anno MDCCXIX. non ſolum Profeſſio medica in Academia Kilonienſi ei oblata, ſed etiam a Sereniſſima Potentiſſi-

tiſſimaque Domo Brunſuico-Luneburgica Profeſſor Anatomes & Chirurgiæ in Academiam Helmſtadienſem vocatus eſt. Cui quidem clementiſſimo juſſui libenter obſequi paratus, hieme tamen inſtante, quod magnitudo itineris, cum uxore & liberis ſuſcipiendi, ea tempeſtate ſibi moleſtiſſima futura videbatur, ad initium uſque veris ſequentis anni remanere Altorfii ſtatuit. Interjecti autem temporis ſpatium in ſtudiis & negotiis eruditis præclare collocavit. Nam Diſſertationem medico-forenſem *de fœtu ex utero matris mortuæ mature exſcindendo*, diligenter elaboratam, publice defendit. Qua ante omnia demonſtrans, fœtum in utero, matre jam defuncta, aliquamdiu vivere, & propterea, niſi mature inciſo matris corpore educatur, aut perire ibidem, aut, quod horrendum, vivum cum matre ſepeliri, provocans deinde ad legem regiam, quæ mulierem gravidam, utero non ſecto, ſepelire vetat, monet Theologos, ICtos, & Medicos, ut in poſterum majorem curam horum fœtuum habeant, nec eos, neglecta, ut fieri conſuevit, ſectione, utero matris mortuæ ſtrangulari patiantur. Per idem tempus cum mulieri cuidam ingentem mammam, gangræna infectam XII. librarum pondo, expeditiſſima ratione abſtuliſſet, notabilem hanc mirandamque effectionem figura æri inciſa, & Diſſertatione ab auditore quodam ſuo elaborata, *de optima Cancrum mammarum exſtirpandi ratione*, deſcribendam curavit. Sectiones cadaverum publicas Programmate indicere ſolitus, extremis præſertim annis, quibus Altorfii vivebat, argumentum harum ſcriptionum ſumſit ab uſu Anatomes in Theologia, ſapientiaque Dei, cum ex univerſa corporis humani fabrica, tum ex ſingularum partium excellentia & uſu, demonſtranda, idemque inſtitutum poſthac Helmſtadii perſecutus eſt. Menſe Septembri anni MDCCXIX. cum Eichſtadii in horto Epiſcopali magnam Aloen Americanam florere audiviſſet, nonnullis Medicinæ cultoribus comitatus ad rarum illud & admirabile ſpectaculum profectus eſt, viſiſque ſimul

aliis rebus ejus urbis memorabilibus, iter Ingolſtadium flexit, ad inclitam Bavariæ Academiam, ubi a publicis Medicinæ Profeſſoribus, præcipue MORASCHIO, honorifice acceptus eſt, eodemque adjuvante Collegia Academiæ, bibliothecam, templa eorumque ornamenta, ſpeculam item aſtronomicam, SCHEINERI magni Mathematici obſervationibus celebrem, perluſtravit. Paullo poſt, quam Altorfium reverterat, inſtituta publice ſectione cadaveris, phoſphorum, qui res ignem concipientes, quaſcunque attigerit, illico inflammat, e cerebro humano præparavit, experimentumque ejus rei, admirantibus cunctis, qui adeſſent, felici ſucceſſu factum, in *Faſtis Academiæ Altorfinæ* anno MDCCXIX, menſe Novembri, relatum legitur.

Reſtant alia quædam induſtriæ ſtudiique HEISTERI, in excolenda rei medicæ ſcientia ſingularis, exempla, quæ ideo hoc loco commemoranda ducimus, quod ea Altorfii perficienda ſuſcepit. Primo autem loco huc referimus inſtructum theſauri herbarii, quem collectum & in ordinem redactum Altorfii primum adornare inſtituit. Etenim apparatu herbarum plantarumque, quas peregrinationibus ſuis eruditis antea magno numero collegerat, ex Altorfino, Norimbergenſibus, aliiſque locupletiſſimis hortis, liberalitate etiam VOLKAMERI, Botanici Norimbergenſis, mirum in modum auctо, & utcunque aſſervato, ejus demum ordinandi concinnandique hanc rationem ſuſcepit, ut, adjuvantibus nonnullis Medicinæ ſtudioſis, herbas vel ſingulas, vel plures ejusdem generis minores, chartæ puræ candidæque dimidiatis plagulis agglutinaret, ſinguliſque ſua nomina ad mentem *Io.* RAII & HOTTONIS, ſæpe etiam TOVRNEFORTII & RIVINI, adſcriberet, magnis denique voluminibus, e charta formæ maximæ compactis & adornatis, ſingula folia inſereret eo ordine, quem, *Io.* RAIVS Methodo ſua plantarum monſtravit. Quo theſauro digeſto, & velut in loculos ſuos diſpoſito, magnitudo ejus apparuit, cum amplius

ſex

sex millibus herbarum, quibus constabat, capiendis sex & sexaginta magna volumina vix sufficerent, quibus succedente tempore ea accessio facta est, ut volumina alia haud pauca adjungenda essent. Præterea Altorfii omnium generum semina & fructus cœpit colligere, penumque instruxit rerum naturalium & raritate notabilium, in quam lapides congessit figuratos, conchylia, pisces, aliaque animalia in lapidem versa, fossilia item varii generis, & rei metallicæ selectiora exempla. Neque minus anatomicam sibi supellectilem comparavit earum rerum, quas in secandis aut manu curandis corporibus notatu dignas reperisset, habuitque sceleta humana cujuscunque ætatis & sexus, fœtus aut abortus omnium mensium, monstra item, & varias corporis humani partes, forma insolita aut aliquo damno insignes, eaque omnia partim ceromate peructa & indurata, partim liquore odorato condita asservavit. Denique vero, ne quid sibi deesset facultatis ad ornandam rerum medicarum scientiam, cum in edendis figuris & tabulis æneis animadvertisset, chalcographi negligentia aut errore multa sæpius perperam exprimi, quibus, absente sculptore, solo literarum ammonitu difficilius occurratur, Heisterus consultum duxit, artem in æs incidendi Altorfii addiscere, ut ea ope instructus ipse apponere omissa, & corrigere depravata posset, nec necesse haberet tabulas æneas sculptori emendandas remittere.

Postquam igitur Altorfii per decennium summa omnium existimatione vixerat, anno hujus sæculi XX. die II. Maji iter suscepit Helmstadium, & magno amicorum comitatu, qui abeuntem officii causa prosequebantur, longius ab urbe progressus, ad meridiem Norimbergæ interjunxit, indeque statim per Bambergam & Coburgum & Academias Saxoniæ viam direxit, quas hoc itinere propius cognoscere constitutum habebat. Itaque Ienæ Wedelios, Fickivm, Teichmeiervm, Hilscherum,

RVM, & præſtantiſſimum Mathematicum WIDEBVRGIVM, Lipſiæ clariſſimos viros BOERNERVM, RIVINVM, PAVLVM, SCHACHERVM, ETTMÜLLERVM, MENCKENIVM, & PLATNERVM ſalutavit, Halis denique THOMASIVM, GVNDLINGIVM, & WOLFIVM convenit, nec omiſit cujuſque urbis bibliothecas & hortos ſplendidiores perluſtrare. Pervenit autem Helmſtadium die XIII. Maji, & re domeſtica aliquantum ordinata, ſalutatiſque Collegis, profectionem ſuſcepit Hannoveram & Guelferbytum, ad officium in utraque aula ſubjectiſſime faciendum, ſimulque ampliſſimas in utraque urbe bibliothecas vidit, & magnificum illud vereque auguſtum SERENISSIMI DVCIS prætorium prope Guelferbytum, quod Salinarum vallis dicitur, in eoque rerum rariſſimarum pretioſiſſimarumque gazam curioſo oculo ſpectavit. Inde reverſus & a S. R. WEISIO, Doctore Theologo & tum Prorectore Academiæ, in collegium Profeſſorum introductus, menſe Iunio, Oratione aditiali *de incrementis Anatomiæ in hoc ſæculo* recitata, ſuperioribus viginti annis tantum ſcriptorum anatomicorum proventum, tantamque inventorum & emendationum rei anatomicæ copiam fuiſſe demonſtravit, quantam vix omnia retro ſæcula oſtendant. Eodem die cadaver maſculinum nactus, primas lectiones & demonſtrationes anatomicas programmate, *de Dei cognitione ex inteſtinorum craſſorum fabrica & uſu*, indixit, hiſce abſolutis publice ſcholas phyſiologicas, privatim theoreticas & practicas aperuit, ad quas proſcripto libello, *de Inventis anatomicis hujus ſæculi*, invitavit.

Quibus deinceps laboribus eruditis in Academia Helmſtadienſi perfunctus ſit, quibus porro inclaruerit ſtudiis, & quæ meditamenta exercitiaque ſuſceperit ad augendam ſalutis humanæ ſcientiam, longius hic repetere & enarrare non vacat, facileque e ſcriptorum ejus ſummario, quod hiſce paginis ſubjungimus, intelligitur. Orationes in laureæ Medicæ aliaque Academiæ

demiæ celebritate permultas habuit, eruditi amœnique argumenti, quamquam typis haud evulgatas. In his ea eſt, quam anno MDCCXXV. in publica Doctorum Medicinæ renunciatione, *de utilitate Medicinæ in Iurisprudentia* recitavit, poſtea publice diſputandi cauſſa propoſitam; & alia, pro more Academiæ noſtræ in ejus natali eodem anno dicta, *de potentiſſimæ domus Guelficæ meritis in rem medicam.* Quod argumentum pro devota Domui Guelficæ pietate ſua aliis deinceps orationibus, maximeque ea, quam extremam omnium ſuperiore anno in ejuſdem natalis ſolemni habuit, perſecutus eſt. Inter cetera autem meditamenta ornandæ rei medicæ, de CONRINGII Introductione in artem medicam ejuſque ſcriptores optimos, jam a SCHELHAMMERO ad annum MDCCXXXVII. continuata, novis a ſe acceſſionibus amplificanda, cogitavit, voluitque ei libro non ſolum recentiorum ſcriptorum ad noſtram ætatem ſupplementum, ſed etiam e veteribus adjicere haud paucos, a prioribus neglectos editoribus, totam autem libri doctrinam ſic ad optima recentiorum Medicorum ſcita confirmare, ut literatis Medicinæ ſtudioſis majorem utilitatem afferre poſſet. Sed hoc opus minus elimare & perficere potuit, aut negotiorum multitudine impeditus, aut aliena culpa retardatus. Molitus etiam *Catalogum plantarum circa Helmſtadium naſcentium*, non ſolum colligendis & deſcribendis iis ſubinde otium ſuum æſtivo tempore impertivit, & quaſdam rariores plantas delineari curavit, ſed alias etiam obſervationes botanicas & animadverſiones, TOVRNEFORTIO & RAIO emendando, literis mandavit, opportuno tempore editurus. Ab anno MDCCXXII. obſervationes barometricas, Mercurii variationes & tempeſtatum viciſſitudines annotando, ſingulis diebus inſtituit, eaſque in Annalibus Academiæ Iuliæ publicare conſuevit. Sectiones cadaverum humanorum, quoad munere Anatomico functus eſt, publice privatimque quam plurimas peregit, omnibuſque fere proluſionibus, quibus publice inſtituendas indixit, cognoſcen-

dam e ſingulis corporis humani partibus divini fabricatoris ſapientiam celebravit, ita quidem, ut a ſummo literatore, *Io. Alberto* FABRICIO, inter ſcriptores, qui veritatem religionis Chriſtianæ aſſeruerunt, cum laude referri mereretur *x*). Memorabilis inprimis ea ſectio fuit, quam anno hujus ſæculi XXII. in cadavere mulieris gravidæ inſtituit, quæ extremo graviditatis menſe, capite glande plumbea trajecto, occubuerat. Ad quod veluti rarum ſpectaculum cum magna hominum, illuſtrium etiam & peregre advenientium, multitudo confluxiſſet, HEISTERVS univerſum gravidæ mulieris, partui proximæ, habitum, quæque ad ipſum uterum & fœtum ſpectant, demonſtratione accurata explicavit. In aliis ſectionibus, quas privatim obiit ſæpiſſime, tam adultorum, quam infantum, ſingulari genere morbi aut violenta morte defunctorum, mulierum item partu difficili extinctarum, haud raro peculiares mortis cauſas obſervavit, quas perinde atque alia, quæ notatu digna reperiſſet, in Diariis atque Actis Naturæ Curioſorum commemorare ſolitus eſt.

Anatomici munus ad annum uſque MDCCXXX. geſſit, quo juſſu Sereniſſimorum Principum, Academiæ Nutriciorum, Medicinæ theoreticæ & Botanices provinciam ſuſcepit. Theoreticam anno MDCCXL. mortuo *Brandano* MEIBOMIO, Medicinæ Profeſſore primario, cum practica commutavit, retenta Chirurgiæ & rei herbariæ profeſſione. Cum Botanices docendæ officio cura ſimul horti medici demandata eſt, quam tanta cum laude geſſit, ut Academia in horto eo perpetuum monumentum induſtriæ & meritorum HEISTERI habitura ſit. Etenim admirabili plantarum, ſtirpium, fruticum arborumque copia conſitus, multaque arte, opere topiario & xyſtis exornatus, ædificiis denique varioque inſtrumento, ad culturam & conſervationem rei hortenſis neceſſario, paratus inſtructuſque eſt,

x) pag. 292.

eſt, ut admirationi voluptatique viſentibus ſit, interque præſtantiſſimos Germaniæ hortos habeatur. Ad eam copiæ ſplendoriſque amplitudinem perfectus eſt liberalitate & indulgentia Sereniſſimorum Academiæ Nutriciorum, ſed annitente & apparante omnia HEISTERO, qui nullis parſit laboribus, ut hortum quam pulcherrime exornaret. Anno MDCCXXX. horti cura ſuſcepta, cum vix ducentis inſtructum plantis reperiſſet, harum numerum intra paucorum annorum ſpatium ad aliquot millia auxit, idque teſtatum fecit edito ſubinde Catalogo plantarum, quas ſingulis annis in hortum intuliſſet. Iis porro anno MDCCXXXVIII. inſignis & maxime memorabilis acceſſio ejuſdem HEISTERI ſtudio facta eſt. Quippe Conſult. *Io. Henricus* SPRECKELSENIVS, Senatus Reipublicæ Hamburgenſis Secretarius meritiſſimus, egregium plantarum rariſſimarum apparatum, quas ex omnibus orbis terrarum partibus magno ſumtu arceſſitas, & viginti annorum ſtudio collectas aſſervaverat, rogatu HEISTERI adductus, horto Academiæ Iuliæ donavit, earumque tranſportatio CCC. amplius argenteorum uncialium impenſa conſtitit. Tantæ autem plantarum multitudini cum anguſtior horti area haud ſufficere, idemque aſperis Aquilonibus nimium expoſitus videretur, anno MDCCXXXIX. ſupplicibus a Sereniſſimo Duce & Domino noſtro CAROLO literis impetravit, ut, vendito eo, alius idemque amplior fundus, poſt templum St. Walpurgis ſitus, coëmtis quibuſdam ad amplitudinem ſpatii vicinorum hortulis, adornando horto medico pararetur. In hoc igitur, curante HEISTERO, non mediocri ſumtu, novum ædificium cum heliocamino, quo tenerum arborum nemus ab hibernæ auræ injuriis defenderetur, exſtructum eſt, ita quidem, ut non ſolum ſpecularibus Auſtro objectis plenum ſolem admittat, ſed etiam nova arte, ſiphonibus per pavimentum ductis, conceptum e fornacibus calorem, ad fovendas arbores plantaſque, ſalubri temperamento huc illuc digerat & miniſtret. Acceſſerunt in-

sequentibus annis alia ad perfectiorem horti instructum, ædificata domus hortulani, ductus ante hortum murus, atque areis commode rigandis puteus apparatus est, ipso HEISTERO expensarum omnium rationes conficiente, quo annitente etiam anno MDCCXLIX. effectum est, ut a SERENISSIMO PRINCIPE pleno horto immunitas daretur.

Quantam autem Academiæ curis & laboribus eruditis utilitatem attulit, tantam sane aliis exterisque hominibus opis medicæ dexteritate. Nam medicinam operosissime assidueque fecit, & Chirurgiæ maxime scientia & usu nobilis in curandis corporis affectionibus malis, vitiisque externis, operationes chirurgicas omnium generum, difficillimas haud raro & desperatas, feliciter peregit, atque innumeros homines summis molestiis & cruciatibus liberavit. Quas cum ille semper sua manu perficeret, dici non potest, quantam inde sibi nominis celebritatem paraverit, & quæ assidue fuerint hominum infirmorum desideria, opem ejus & manum medicam exposcentium. Quippe non solum ab indigenis vicinisque ægrotis arcessitus, sed etiam in longinquas remotasque regiones Principum illustriumque hominum literis evocatus est, plurimaque ejus generis itinera, & præter alia, Rostochium, Bremam, Berolinum, Dresdam, Byrutum, Vinariam, Geram, Suerinum, Hannoveram suscepit, ut alios taceamus quam plurimos, e remotioribus locis, qui aut literis ad HEISTERVM datis consilia sibi medica expetierunt, aut, morbo sic permittente, ipsi Helmstadium commigrantes ejus curæ se crediderunt, quorum sane ea frequentia fuit, ut raro aliquod tempus incideret, quo non aliquem peregrinum, sanitatis causa ab HEISTERO recipiendæ, hic commorari videremus.

Cunctis officii partibus & vitæ suæ instituto ut apprime satisfaceret, indefessam operam adhibuit, rebusque suis omnibus, quod magnum perfectumque esset, spectavit, eumque

sibi

sibi & rei librariæ & varii instrumenti apparatum comparavit, qui ad medicinam, docendam æque ac exercendam, instructissimum redderet, & magnum consummatumque Medicum & Chirurgum deceret. Bibliothecæ ejus, quam cum omni rei medicæ, tum anatomicæ præcipue & chirurgicæ locupletandæ adornavit, tanta fuit amplitudo, ut plus quam dena millia anatomicorum & chirurgicorum librorum complecteretur, quos variis exaratos linguis, & ex omnibus Europæ regnis multo labore magnisque sumptibus conquisitos, suis non solum, sed & aliorum usibus, artis medicæ studiosorum, comparavit, ut inde incrementa medicinæ, & recentissima quæque subsidia, cognosci & depromi possent. In his sunt centum & sexaginta Volumina Disputationum academicarum, quarum Indicem accuratum confecerat, ut, quo quæque Volumine contineretur, statim scire posset. Bibliothecæ tam amplæ insigni ornamento fuerunt imagines aere expressæ celebrium Medicorum quadringentæ amplius, quibus alia haud minor copia tabularum accessit, Principum, illustriumque virorum, Theologorum, ICtorum & Philosophorum vultus referentium. Instrumentorum autem, operibus chirurgicis & anatomicis inservientium, quæ sibi nitide affabreque facta haud exiguis impensis comparavit, tantus apparatus fuit, quantus vix apud alium reperiatur. Thesaurus herbarius amplitudine memorabilis, & ordine elegantiaque conspicuus, fortasse paucos sibi pares habet, & nonaginta magnis Voluminibus constat, in quo, congestis maximam partem herbis, quæ unquam ex aliis orbis terrarum partibus allatæ in Europa, saltim in Germania Belgioque, visæ sunt, quidam veluti hortus orbis terrarum explicatur, oculos animumque intuentium utili jucunditate pascens. Museum anatomicum, & rerum naturalium ærarium, quod Altorfii jam adornare cœpit, quavis data occasione continuaque industria auxit, atque ita instruxit, ut permultis earum rerum curiosis & intelligentibus videndi sui desiderium injiceret. Magnum

denique, ad excellentiam doctrinæ medicæ, omniaque ejus incrementa cognoſcenda, ſubſidium habuit in frequentiſſimo ampliſſimoque literarum commercio, quod cum præſtantiſſimis quibuſque Medicis & Chirurgis, aliiſque eruditis viris, tam in Germania, quam in ceteris Europæ regnis, coluit, ex quo etiam utilitatem cepit, ut, quæ in quaque regione utilis inventio, aut nova acceſſio & emendatio doctrinæ medicæ, facta eſſet, mature reſciſceret, bonos novosque libros, & inſtrumenta recentius fabricata, acciperet, eaque omnia quam primum ad uſum ſuum conferre poſſet. Inſignem numerum doctorum virorum in Italia, Gallia, Anglia, Belgio, Germania, aliiſque regnis, recenſere poſſemus, quibuſcum HEISTERVS colloqui per literas conſuevit, ſi ea res & multum utilitatis, & nihil tædii habitura eſſet. Vt tamen fama Viri latiſſime evagata, ſingularisque apud exteros exiſtimatio, conſtet, aliquos ſaltem & celebriores viros e quavis gente commemorabimus. E Germania igitur nominaſſe ſufficiat *Gerard. van* SWIETEN, *Albertum de* HALLER, *Paul. Gottl.* WERLHOFIVM, *Chriſtoph. Iac.* TREW, *Io. Phil.* BVRGRAVIVM, *Io. Chriſt.* LISCHWITZ, *Franc.* ZIEGLERVM, *Abrah.* VATERVM, *Georg. Matth.* BOSIVM, *Mich. Matth.* LVDOLF, *Io. Arn.* TIMMERMANNVM, BERNERVM, STOCKHVSIVM, *Chriſt. Mart.* BVRCHARDVM. Ex Italia *Io. Bapt.* MORGAGNVM, *Iulium* PONTEDERAM, *Anton.* VALISNERIVM, *Angelum Attil.* TILLIVM, *Anton.* BENEVOLVM, *Petr. Anton.* MICHELOTTVM, *Io.* TARGIONIVM, *Ianum* PLANCVM, *Xaverium* MANETTVM, *Io. Franc.* SEGVIERIVM. E Gallis *Iacobum Benignum* WINSLOW, de St. YVES, PETITVM, *le* DRAN, MAVRANDVM, *le* CAT, *Antonium de* JUSSIEU. Ex Hiſpanis *Andream Garziam* VASQVEZ. Ex Anglis commemorandi *Ioannes* SLOANE, *Richardus* MEAD, *Guil.* CHESELDEN, *Iac.* DOVGLASSIVS, *Iſaacus* RAND, MARTINVS, *Humphr.* SIBTHORPE. E Belgio *Frid.* RVYSCHIVS, *Hermannus* BOERHAAVE, *Bernh. Sigfr.* ALBINVS, *Tib.* HEMSTERHVSIVS, *Io.* BVRMANN, *Io. Frid.* GRONOVIVS, *Io. Georg.* DVVER-

VERNOY, *Adrianus van* ROYEN, *Adrianus* VERDVYN, CLIFFORTIVS, *Io.* GRASHVYS, *Everh. Iac.* WACHENDORF, *Hieron. Dan.* GAVBIVS, *Io. Dan.* SCHLICHTING, *Io.* SERMESIVS. E Dania *Franc. de* FRANCKENAV. E Suecia *Carolus* LINNÆVS, *Io. van* HOORN. E Ruſſia *Ioſephus* WEITBRECHT.

Sic privatis non minus operis, quam publicis monumentis ingenii, fama HEISTERI & celebritate nominis longe lateque propagata, eveniebat, ut & exteri Principes ſuis eum commodare terris percuperent, inſignesque paſſim honores ei deferrentur. Nam haud multo poſt, quam Helmſtadium conceſſerat, tempore, Ruſſorum Imperator PETRVS I. eum in Academiam recens inſtitutam Petropolitanam vocavit, duo millia ſolidorum Ruſſicorum, annui ſtipendii loco, præterea hoſpitium, ligna & lumina gratis præbenda pollicitus, ſimulque pro bibliotheca ejus & theſauro herbario quatuor millia argenteorum uncialium obtulit. Anno hujus ſæculi XXV. juſſu Reverendiſſimi Würceburgi & Bambergæ Epiſcopi, magni & intelligentis artium literarumque exiſtimatoris, actum cum HEISTERO de munere Anatomici & Chirurgi in aula Epiſcopali ſuſcipiendo, delatis una Archiatri & Conſiliarii ornamentis. Propoſitum ei annuum ſalarium mille ſolidorum imperialium, cum congiario vini & frumenti uberrimo, permiſſaque facultas religionis Evangelicæ libere obeundæ & exercendæ. Porro autem Sereniſſimus Dux Holſatiæ anno MDCCXXX. eum ſibi depoposcit ad locum Archiatri & Profeſſoris Medici in Academia Kilonienſi capiendum, quibus honoribus dignitas Conſiliarii Iuſtitiæ adjungebatur. Sed hiſce conditionibus, quamvis lautiſſimis & ſummorum Principum liberalitate dignis, minus ſollicitatus eſt, potiusque in fide & officio Sereniſſimæ Domus Guelficæ, cui ſe totum addixerat, manere decrevit. Quapropter Sereniſſimus Dux LVDOVICVS RVDOLPHVS, HEISTERI in ſe fidem remuneraturus, eum non ſolum acceſſione ſalarii lucu-

luculenta, ſed Archiatri etiam & Conſiliarii aulici dignitate, auxit, anno MDCCXXXIV. His Principalis indulgentiæ documentis alii acceſſerunt honores, judicio ſodalitatum literariarum in eum porro collocati. Fama HEISTERI, quæ finibus Germaniæ jam minus continebatur; dudum ad exteros evagata, anno MDCCXLVI. ſocietatem eruditam Londinenſem & Florentinam Botanicam adduxit, ut eum ſibi ſodalem adſcriberent. Eodem anno, defuncto Academiæ Helmſtadienſis Seniore, *Hermanno von der* HARDT, in ejuſdem dignitatis locum ſucceſſit, quem per duodecim annos ea exiſtimatione tenuit, ut nemo eſſet, quin Virum & ætate venerabilem, & meritis ornatiſſimum, quavis honoris ſignificatione proſequeretur.

Academicos honores, qui in orbem ire per omnes ſolent, octo & quadraginta annis profeſſorii muneris, compluries geſſit. Faſces Academiæ Altorfii quidem ſemel, Helmſtadii autem ſexies, nempe annis hujus ſæculi XXIII. XXIX. XXXIII. XXXVII. XLIII. & XLIX. tenuit. Aetate poſthac ingraveſcente, urgentibusque aliis negotiis, ejuſdem muneris, ordine redeuntis, bis ei gratia facta eſt rogatu ſuo. Decani Ordinis medici officio in Altorfina Academia quater, in noſtra quindecies, functus eſt, atque in eodem adminiſtrando inſignem numerum Candidatorum laurea Medicinæ decoravit, qui eo honore a magno HEISTERO ornari, magnam honoris ſui acceſſionem reputarunt.

Quantis autem famæ & honorum ornamentis, tantis rei domeſticæ præſidiis abundavit, matrimonio fecundiſſimo & artis uſu uberrimo etiam rei familiaris amplitudinem nactus, ut beatiſſimus haberi potuiſſet, niſi iniquius fatum felicitatem ejus plurimis liberorum mortibus attriuiſſet. Matrimonium anno MDCCXII. die XVII. Maji, Altorfii iniit cum *Eva Maria*, *Henrici* HILDEBRANDI, celeberrimi ICti & tunc temporis Pandectarum Profeſſoris publici, poſtea Anteceſſoris ibidem pri-

primarii, Sereniſſimi Ducis Sulzbacenſis & Reipublicæ Norimbergenſis a conſiliis, totiusque Academiæ Senioris, unica filia. Hanc uxorem recti exempli anno MDCCXLVIIII. mœſtus extulit, conjugium ejus ad ſuavitatem vitæ, & curam rei familiaris, per ſeptem & triginta fere annos, commodiſſimum expertus. Suſcepit autem ex ea decem liberos, *Henricum Laurentium*, *Eliam Fridericum*, *Catharinam Mariam Dorotheam*, *Dorotheam Mariam*, *Sophiam Mariam*, *Eleonoram Carolam Eliſabetham*, *Margarethan Catharinam Iuſtinam*, *Gottlibium Auguſtum*, *Dorotheam Fridericam*, & *Eleonoram Eliſabetham Wilhelminam*. Ex his duo filii in tenera ætate, quatuor filiæ, nondum anniculæ, deceſſerunt. Vnicus, qui reſtabat, filius, *Elias Fridericus*, anno MDCCXV. natus, quo majorem Patri voluptatem recto ingenio præſtantique doctrina creaverat, hoc acerbiore fato ereptus eſt, in maxima omnium exſpectatione, & in ipſis famæ, jam maturæ, primordiis extinctus. Nam pleno gradu ad paternam laudem graſſatus, &, variis artis doctrinæque experimentis editis, ab ipſo Patre Doctoris Medicinæ, & a SERENISSIMO PRINCIPE Conſiliarii, dignitate ornatus, ab Academia item Naturæ Curioſorum ſodalis aſſumtus, cum literario itinere totam fere Germaniam peragraſſet, abſens etiam Profeſſor Medicinæ Ordinarius & Collega Patris eſſet deſignatus, anno MDCCXL. die XI. Nov. Lugduni Batavorum præter omnium opinionem cardialgia periit, parenteſque ſuos in acerbiſſimum luctum conjecit. Majoris etiam filiæ, *Catharinæ Mariæ Dorotheæ*, anno MDCCLVI. Pater ipſe funus extulit. Quæ quidem Max. Rev. Viro, *Arnoldo Ioanni Friderico Hardingio*, Eccleſiæ, quæ Cellis eſt, Sacerdoti præclare merito, anno MDCCXXXV. nuptum collocata, ſed poſtero anno præmaturo mariti obitu viduata, & mox in domum recepta Patris, eundem primo avum fecit, filiam enixa poſthumam, porro etiam re familiari, præſertim poſt matris obitum, naviter adminiſtranda, Patri optatum ſenectutis ſubſi-

dium attulit, cum tamen tenui plerumque valetudine uteretur, tandem anno eo, quem diximus, febri ardente correpta diem obiit. Neptem ex ea natam, *Dorotheam Sophiam Fridericam* HARDINGIAM, Vir Experientiſſimus atque Ampliſſimus, *Guilielmus Fridericus* CAPPELIVS, Medicinæ Doctor & Profeſſor in hac Academia extraordinarius, vivo adhuc Avo ſibi deſponſam, paucis abhinc diebus domum duxit. Præter neptem ſuperſtites Patri duæ filiæ ſunt, *Sophia Maria*, & *Margareta Catharina Iuſtina*, quæ Viris excellenti doctrina & dignitate nuptæ, generis ſui ſtirpe domum paternam fulſerunt. Illa enim, anno MDCCXXI. nata, e matrimonio, brevi illo quidem, cum Illuſtri Experientiſſimoque Viro, *Io. Friderico* CRELLIO, Medicinæ Doct. & Profeſſore publico ordinario, quem anno MDCCXLVII. in ipſa Magiſtratus academici purpura defunctum, cum familia ampliſſima univerſa Academia graviſſime luxit, par liberorum tulit præclaræ indolis, *Mariam Catharinam*, & *Laurentium Florentem Fridericum*, quibus Avus mirifice delectatus eſt. Altera autem, *Margareta Catharina Iuſtina*, initum anno MDCCXLVIII. conjugium Viri Experientiſſimi atque Ampliſſimi, *Io. Guilielmi* WIDMANNI, Doctoris Medici, Reipublicæ Norimbergenſis Phyſici ordinar. & Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Sodalis, eximiis virtutibus omnique laude matronali etiamnum ornat, nec minore ſtirpis ubertate, tres filios duaſque filias enixa, *Io. Laurentium Guilielmum*, *Margaretam Barbaram Iuſtinam*, *Chriſtophorum Iacobum*, *Claram Suſannam* & *Henricum Laurentium*, quorum tamen primus & poſtremus extincti ſunt. His igitur in ſtirpibus reſedit magni HEISTERI progenies, quæ quamquam ipſum nomen Heiſterianum, filiis immaturo fato interceptis, non retinet, tamen in reliqua hereditate optimam poſſeſſionem habet gloriam progenitoris ſui, quam ſi imitari factis & conſervare annitetur, nec Heiſteriano nomine videbitur ſua poſteritas defuiſſe.

Pro-

Proſperitate valetudinis fere continua uſus eſt, & vix uno alteroque morbo tentatus in vita, ſenectutem placidam vigentemque egit, artis ſuæ in propria valetudine curanda adeo non indigens, ut multis ante mortem annis medicamentum non guſtaverit. Præſens autem annus, ut plurimis aliis funeſtus, & vulgatis per homines morbis peſtilens fuit, Senem alias validum improviſo dejecit. Vt tamen ſtantem mori Imperatorem *Veſpaſianus* volebat, ita hic veluti in arena ſua mortuus, & cum alius ſaluti opitulari vellet, ipſe morbum interitumque invenit. Gravior annus ſub initium veris Seni noſtro tuſſim, deſtillationem, raucitatem & inſomniam attulerat. Interea ab ignoto quopiam, qui peregre advenerat, in vicum Regiæ Lutteræ proximum, qui Bornum vocatur, invitatus, ut ſibi male affecto opem manumque medicam præſtaret, cum ſe itineri ſtatim dediſſet, adventu ſuo tam ſe defectum viribus languentemque ſenſit, ut illico lecto decumbere, & inſtitutam curationem deſerere cogeretur. Accitus protinus Helmſtadio, ad opem operamque ægroto Collegæ commodandam, Vir Illuſtris & Experientiſſimus *Philippus Conradus* FABRICIVS, rationem morbi eventumque mortis HEISTERI ipſe tabulis mandavit, quas humaniſſime nobiſcum communicatas hoc loco interſerere conſultum duximus.

Morbus, qui venerandum Academiæ noſtræ Seniorem & totius literati orbis æternum decus, Illuſtrem HEISTERVM, *mortalium conſortio eripuit, erat febris catarrhalis maligna, qua is in vicinia noſtra, quum alius ſaluti conſulere vellet, correptus fuit, antea iam raucedine, tuſſi & agrypnia laborans. Aderat initio ſtatim huic febri, verſus noctem ſemper acerbiori, ſumma proſtratio virium, cum coryza affectioneque capitis vertiginoſa, lingua erat ſicca & muco flavo obducta, ac in ſura dextra erumpebat eryſipelas cum magna veſica, ulcus relinquente. In conſilium vocatus oppoſui huic morbo tam pulveres abſorbentes citratos, bezoardicos fixos & nitratos cum camphora, infuſumque quoddam*

pectorale, quam alia remedia analeptica, temperantia & bechica præstantissima quæque mihi cognita, & alias in simili casu proficua reperta, sed incassum, viribus ætate & tot itineribus & laboribus exhaustis, adeoque efficaciam medicamentorum juvare non valentibus. Quocirca factum fuit, ut respiratione & exscreatione muci sensim difficiliori reddita, die XVIII. Aprilis hora V. pomeridiana hanc vitam, tanta cum gloria & totius generis humani bono transactam, relinqueret, & animam Deo redderet.

✲✲✲✲✲✲✲ ✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲✲

Designatio
Librorum, Schediasmatum & Orationum
D.D. LAVRENTII HEISTERI,
omissis, ob paginarum angustiam, Dissertationibus.

De veritatis inveniendæ difficultate in Physica & Medicina, Programma Orationi aditiali præmissum, Altorfii 1710. 4t.

De hypothesium medicarum fallacia & pernicie, Oratio in aditu Professionis medicæ habita, ibid. 1710. 4t.

Laur. HEISTERI tractatio *de Cataracta, Glaucomate, & Amaurosi*, in qua multæ novæ opiniones & inventa contra vulgatas Medicorum, Chirurgorum, nec non Mathematicorum sententias continentur. cum fig. æn. ibid. 1713. 8v. ann. 1721. ob defectum exemplarium denuo emendatior edita.

Apo-

Apologia & uberior illuſtratio ſyſtematis ſui de Cataracta, contra Woolhvsii cavillationes & objectiones, itemque Pariſienſis eruditorum Diarii iniquam cenſuram. Altorf. 1717. 8v. Vid. *Acta Erudit. ann.* 1717. *p.* 267. *& Biblioth. Hall. Part. I. pag.* 64.

Vindiciæ ſententiæ ſuæ de Cataracta, &c. adverſus ultimas animadverſiones atque objectiones Diarii Pariſienſis eruditorum, ut & *Woolhuſii* ejusque aſſeclarum. Ibid. 1719. 8v. cum indice in tres hos libellos.

Epiſtola Heisteri Actis Erudit. Lipſ. an. 1719. menſe Ian. inſerta eandem controverſiam perſequitur.

Compendium anatomicum, quod Altorfii primum prodiit 1717. 4t. Iterum Altorfii & Norimb. auctius & correctius, cum figuris, 1719. 8v.

Verſio ejus Anglicana an. 1721. in 8v. edita eſt Londini, inſcripta: *A compendium of Anatomy* &c. *translated from the laſt Edition of* D. Laurentius Heiſter.

Eodem anno in germanicam linguam, ſed minus bene, & Auctore nihil ſubminiſtrante, converſum prodiit Vratislaviæ, in 8v. Poſtea etiam aliquoties Norimbergæ, cum tabb. æneis.

Latina editio ſecunda Amſtelodami recuſa eſt an. 1723. in 8v. una cum Oratione Heisteri *de Incrementis Anatomiæ in hoc ſæculo XVIII.*, itemque Programmate *de Inventis anatomicis hujus ſæculi*, Helmſtadii 1720. publicatis.

Gallice Pariſiis an. 1724. bis prodiit a diverſis auctoribus converſum, ſemel quidem ſub indice: *L' abregé anatomique de Mr. Laur. Heiſter.*, &c. *par un Chirurgien de Paris;* & iterum titulo: *L' Anatomie d' Heiſter, avec des Eſſais de Phyſique ſur l' uſage*

des parties du corps humain, par I. B. de la Faculté de Montpeiller, en grand 8. Relationes de his in *Diario erud. Pariſ.* 1724. *menſe Iulio & Auguſto*, leguntur.

Tertium latina editio evulgata eſt Altorfii, an 1727. Latine idem Compendium an. 1730. bis recuſum & Venetiis, ſemel quidem ad alteram editionem Altorfinam expreſſum, una cum Oratione & Programmate commemorato; & iterum juxta tertiam Edit. Altorfinam, in 8v.

Quartum prodiit latine, & auctius quidem, Altorfii, 1732. iterumque 1741.

Chirurgie, in welcher alles, was zur Wundarzney gehöret, nach der neueſten und beſten Art gründlich abgehandelt, und in vielen Kupfer-Tafeln die neu erfundenen und dienlichſten Inſtrumenten, nebſt den bequemſten Handgriffen der Chirurgiſchen Operationen und Bandagen deutlich vorgeſtellet werden, Nürnberg, 1719. 4. Auctior recuſa eſt anno 1724. & 1731.

Inſtitutiones chirurgicæ, &c. *Opus triginta annorum, nunc demum poſt aliquot editiones germanica lingua evulgatas in exterorum gratiam latine publicatum.* Cum tabulis æneis XXXVIII. Amſtelodami, 1739. duobus Voluminibus, 4t.

Secuta eſt editio quarta Chirurgiæ germanice ſcriptæ, præcedentibus longe auctior, cum tabulis æneis XXXVIII. Norimbergæ, 1743. 4t. Iterum ibidem recuſa 1747.

In Hiſpanicam linguam translata Chirurgia prodiit an. 1748., ſic inſcripta: *Inſtituciones chirurgicas, o cirugia completa univerſal, del Doctor Don Lorenzo Heiſter*, &c. *donde ſe tratan con la mayor claridad todas las coſas pertenecientes à eſta ciencia, tanto de las doctrinas antiguas, como de las modernas. Illuſtrada con gran numero de*

de laminas finas, y muy puntuales, que demueſtran al natural todos los mas preciſos inſtrumentos y operaciones chirurgicas &c. *Traducida de la lengua latina por* D. Andreas Garcia Vaſquez, *Cirujano de Familia de ſu Majeſtad, quien la dedica al Rey nueſtro Sennor. Tomo primera, en Madrid, por* Carlos Rey, *Anno de* 1747. *y Tomo ſegundo por D.* Miguel Franciſco Rodriguez, *Anno de* 1748. 4t.

Angli eam ſua lingua ſemel iterumque evulgarunt. Tertia editio hoc indice innotuit: *A General Syſtem of Surgery, containing the doctrine and menagement I. of Wounds, Fractures, Luxations, Tumors and Ulcers of all Kinds. II. Of the ſeveral operations performet on all parts of the Body. III. Of the ſeveral Bandages applied in all operations and diſorders. The whole illuſtrated with thirty eight Copper Plates, exhibiting all the Operations, Inſtruments, Bandages and improvements, according to the modern and moſt approved Practice &c. translated into Engliſh from the latin of Dr. Laurence Heiſter, Profeſſor of Phyſic and Surgery in the Univerſity of Helmſtadt* &c. *the third Edition, London MDCCXLVIII.* in 4t.

Laur. Heisteri *Inſtitutiones chirurgicæ* latinæ, Editio II. prioribus longe emendatiores & auctiores, Tomi II. cum tabulis æneis XL. Amſtelodami, 1750. 4t.

Compendium chirurgicum, ſive Chirurgia parva, germanice, *Laur.* Heisteri *kleine Chirurgie*, cum tab. æneis VIII. inſtrumentorum maxime neceſſariorum, prodiit Norimbergæ, 1747. in 8v.

Oratio *de incrementis Anatomiæ in hoc ſæculo XVIII.* publice dicta, cum Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſionem Helmſtadii ſuſciperet, d. XVIII. Iun. 1720. Guelferbyti. 8v.

De

De inventis anatomicis hujus ſæculi, Programma ad audiendam Orationem aditialem invitans. Guelferbyti 1720. 4t.

Index plantarum, quas hoc anno in hortum medicum Helmſtadienſem intulit. In calce *aliquot nova plantarum genera* conſtituuntur, atque ordinis, quo plantæ in horto diſponendæ ſint, deſcriptio promittitur. Helmſt. 1730. 8v.

Singulis annis ſequentibus 1731. 1732. & 1733. *Continuationem* dedit *Indicis plantarum*, quibus quolibet anno hortum inſtruxit. Cuique indici ſubjunxit *quædam plantarum genera*, ad plantas curatius diſtinguendas.

Compendium Inſtitutionum, ſive fundamentorum Medicinæ, Helmſtadii 1736. in 4t. Editio altera auctior & emendatior. Helmſt. 1745. in 4t.

Compendium Medicinæ practicæ, cui loco præfationis præmiſſa eſt Diſſertatio *de Medicinæ mechanicæ præſtantia*. Amſtelodami, 1743. 8v. Recuſum eſt Venetiis 1748. in 8v. Germanice verſum titulo: *Practiſches Handbuch*, prodiit Lipſiæ 1744. in 8.

Syſtema plantarum generale ex fructificatione, cui annectuntur regulæ de nominibus plantarum rite conſtituendis, a Celeb. Linnæi multum diverſæ. Helmſtadii, 1748. 8v.

Io. Henrici Bvrckhardi Epiſtola ad Leibnitivm, *de Charactere plantarum naturali, quem partes earum genitales ſuppeditant*. Heistervs notas addidit, & præfationem, de Bvrckhardi, *Ioach.* Camerarii & *Ioach.* Ivngii egregiis in rem herbariam meritis, præmiſit. Helmſtadii, 1750. in 4t.

in 4t. & 8v. cum iconibus & deſcriptione duorum novorum generum plantarum, Burckhardiæ & Iungiæ.

Abrahami VATERI *Muſæum anatomicum*, quo artificioſiſſima ejus præparata anatomica, una cum obſervationibus ejusdem anatomicis & chirurgicis enarrantur, tabulisque XII. illuſtrantur. HEISTERVS rogatu Auctoris edidit, & præfationem præmiſit. Helmſtadii 1750. 4t.

Programma, quo iniquum Lipſienſium judicium de nova ſuarum Inſtitutionum chirurgicarum editione Amſtelodamenſi, in Commentariis novis de rebus in ſcientia naturali & Medicina geſtis, refellitur. Helmſt. 1752.

Mediciniſche, chirurgiſche und anatomiſche Wahrnehmungen, Roſtock, 1753. 4t. *Nebſt Kupfern.* Continentur hoc Volumine ſatis ſpiſſo obſervationes & experimenta curationum ad annum usque 1721. facta. Reliqua alteri Volumini deſtinata in MSto reſtant.

Hæ obſervationes e Germanica in Anglicanam linguam translatæ, & ſplendida magnaque charta impreſſæ, prodierunt Londini, 1755. in 4t.

Deſcriptio novi generis plantæ rariſſimæ & ſpecioſiſſimæ Africanæ ex bulboſarum claſſe, cui in honorem atque ſempiternam memoriam Sereniſſimi Principis ac Domini, Domini CAROLI, Brunſuicenſium ac Luneburgenſium Ducis hodie regnantis, tanquam rei herbariæ ſummi promotoris & fautoris munificentiſſimi, *Brunſuigiæ* illuſtre nomen impoſuit. In

qua ſimul multæ Botanicorum quorundam hallucinationes indicantur & emendantur. Cum tribus magnis tabulis æneis hujus plantæ, coloribus naturalibus repræſentatæ. Brunſuigæ, typis Orphanotrophei, 1753. in fol. max.

Germanice prodiit hoc opus eodem loco eademque forma, 1755.

MEMO-

MEMORIA
VIRI

dum viveret

Experientissimi, Amplissimi, Præclarissimi
Doctissimique

M. BONIFACII HEINRICI EHRENBERGERI,

Metaphysices & Matheseos in Casimiriano academico Gymnasio, quod Coburgi floret, Professoris publ. ordinar. Pædagogiarchæ, & Collegii Professor. Senioris, Illustr. Academ. Naturæ Curiosor. Collegæ nomine
Euclidis III.

die XXII. Februar. ann. MDCCLIX.
placida morte defuncti,
ex
Programmate funebri
Directoris & reliquorum Professorum
depromta.

Theologum quemdam & nominis & eruditionis ſanctioris fama quam celebratiſſimum, & paucis abhinc annis defunctum, morti vicinum dixiſſe ferunt, ſe tres potiſſimum ob cauſas quam lubentiſſimo lætiſſimoque animo ex hac rerum terrenarum caducarumque colluvione diſcedere, totidemque commoda, nullo pondere, quamquam prægrandiſſimo, æſtimanda, ex ſuo quam beatiſſimo obitu eſſe deportaturum. *Primum:* Se beata morte ab iſta peccatorum mole, qua, qui Deum ſincere cordateque diligunt, ſua cum maxima animi ægritudine triſtiorique affectu affliguntur, non ita multo poſt iri liberatum. *Deinde:* Fatis ſeſe humanis, iisque noſtra cumprimis ætate periculorum calamitatumque pleniſſimis, ereptum, ad diem iſtum non pervivere, Chriſtianis, quos eccleſia Romano-Catholica ſanctioris ſuæ ſocietatis communione duobus abhinc ſæculis, & quod excurrit, expulit, quovis fere malorum calamitatumque genere, bello funeſtiſſimo exorto, imminentem. *Denique:* Se ſe fragilioris corporis compagibus laxatum tandem aliquando ad illud beatiſſimarum mentium concilium atque felicitatem perventurum eſſe, cujus præſtantiam magnitudinemque ne cogitando quidem quis ſibi animo effinxerit, nedum eloquendo conſequatur.

Sentiat, per me licet, de media potiſſimum cauſſa, quod quisque velit, ſuoque utatur judicio. Qui enim temporum noſtrorum faciem animo perſpectam habet, rerumque noſtrarum præſentium non omnino neſcius eſt, hominumque noſtrorum impiam maximam partem vitam, immemoremque beneficiorum divinorum animum cum iisdem contulerit; nimium quantum etiam cauſæ fuiſſe intelliget celeberrimo huic Theologo, quare in ejusmodi inciderit cogitationem, cœlique noſtri intemperiem vereretur, non niſi gratia divina averruncandam.

Non difficile factu eſt intelligere, qui factum fuerit, ut,

dum animum ad vitam Viri celeberrimi, ex ſua ipſius ſingulari rariorique eruditione, pietate animique integritate ac probitate omni laudis genere quam digniſſimi, deſcribendam appello, in memoriam alius Viri non minori laude ex iisdem mentis ac animi ornamentis digni devenerim. Tanta enim utriusque & eruditionis celebritatis, & animi probitatis, & non fucatæ pietatis, & poſt obitum deſiderii eſt ſimilitudo, quanta maxima eſſe poteſt, neque ulla re differunt, quam diverſo ſtudiorum genere, quorum alter ſanctioris doctrinæ præſtantia excelluit, alter ſublimioris eruditionis mathematicæ laudibus aliis præſtitit. Præſtitit etiam utrique mori, quam longius temporibus intereſſe, non niſi atro carbone annalium monumentis inſerendis, prolisque poſteritati tanquam epochæ inſtar, multo calamitatum genere refertæ, commendandis. *Placita enim erat Domino utriusque anima.* Sapient. IV. v. 14. *At vero juſtus periit; nec eſt vir ponens ſuper cor ſuum; & viri ſanctitatis colliguntur, ut non ſit intelligens: nam propter malum venturum colligitur juſtus. Intrat in pacem, quieſcunt ſuper cubilibus ſuis, ambulans in rectitudine ſua.* Iſ. LVII. v. 1. 2. Quæ ſane cuncta longe fient illuſtriora, dum ad ipſum hujus ſcripturæ generis propoſitum perveniemus, & B. denati EHRENBERGERI vitæ rationes enarrabimus.

Natus eſt Vir celeberrimus una cum ſorore gemella, *Maria Eliſabetha*, Orlamundæ A. R. O. MDCLXXXI. d. XX. Februar. patre *Andrea* EHRENBERGERO, tum temporis Cantore & ſcholæ præceptore, poſtea megalo- & micro-Eutersdorffienſis eccleſiæ miniſtro, tandemque Diœceſeos Calacenſis Adjuncto; matre *Anna Catharina*, nata *Hupelia*, filia germana *Ioannis* HVPELII, centuriæ Vinarienſis inſtructoris. Quorum quidem optimorum honeſtiſſimorumque parentum omnis cura in eo fuit, ut, quam primum quidem fieri poſſet, recens nati gemelli ſacro fonte initiarentur, regenerationisque lavacro peccato-

catorum ſordibus purgati, Chriſtiani cœtus gremio inſererentur, eoque ſibi conſilio exorarunt ſacratioris hujus fœderis teſtes baptismique ſuſceptores, *Ioannem Bonifacium* REVTERVM, Diaconum tum temporis Orlamundenſem, *Ioannem Heinricum* BOETTIGERVM, Senatorem Ohrdruffienſem, (cujus abſentis vicem præſtitit *Chriſtophori Heinrici* LOEBERI, rerum ſacrarum antiſtitis, matrisque B. defuncti fratris conſanguinei filius natu maximus *Chriſtophorus Heinricus* LOEBERVS), & fœminam honeſtiſſimam, *Barbaram Weberam*, WEBERI, paſtoris & Adjuncti megalo-Eutersdorffienſis uxorem perdilectam.

Admodum duro & vitæ & primæ inſtitutionis initio uſus eſt B. EHRENBERGERVS. Præterquam enim, quod primo ætatis tempore non infirmioris ſolum tenuiorisque corporis affectione ac mollitudine fuit, ex eaque re plus una vice morti vicinus, verum etiam, quod optima mater præbebat, tenuiſſimi nutrimenti partem ſibi ſoror gemella vindicavit; vix ac ne vix quidem unius ſemeſtris ſpatium illius particeps eſſe potuit. Infauſti enim in vicinia exorti incendii, quod perdilectorum etiam parentum domicilium opinione citius arripuerat, flammis noſtro EHRENBERGERO una cum ſorore gemella, ſacris bibliis unicoque cochleari non ſine magno vitæ periculo ereptis, conſternata terroreque perculſa mater ſatius eſſe duxit, alimentum maternum illi ſubtrahere, ne, quod prolis exoptatæ vitæ prolongandæ inſervire debuerat, mortem illi acceleraret.

Non ita multo poſt hunc omnium fortunarum interitum, etiamſi pater ipſius ſacro muneri megalo-Eutersdorffienſi, pago inter Orlamundam & Calam ſito, præfectus fuerat, attamen neque ex domicilii incommoditate, neque ex rerum domeſticarum afflictiorum anguſtiis tantum ſuppetebat, quantum ad optimum hunc filium inſtruendum primisque humanitatis principiis informandum ſatis erat. Quoinde factum eſt, ut, jactis

primis

primis Christianæ doctrinæ fundamentis, nostro quotidie non per æstatem solum, verum etiam perfrigida hyemis tempestate jam Calam, jam Orlamundam, dodrantis horæ intervallum a patrio domicilio sitas, commigrandum fuerit, quo ibidem, quibus in scholis publicis ac privatis tenerioris ætatis pueri impertiri solent, primis humanitatis fundamentis, doctoribus *Casparo Dan.* SCHEIZIO, Rectore ludi Calacensis meritissimo, pariter ac *M. Sam.* MÜLLERO, plurimum Reverendo Orlamundæ Diacono, imbueretur; quorum tamen in studio ex eo, quod sibi artium liberalium magistri sæpius commutandi fuerint, non parum sibi moræ ac retardationis allatum fuisse, haud parum sæpe ipse b. Vir conquestus est. Tandem, quum annum jam decimum sextum compleviſſet, dura hæc ac molestiarum plena peregrinatio scholastica finem ea re consequebatur, quod provida parentum cura celeberrimo eum Lyceo Rudolphopolitano tradebat, institutione *M. Michaelis* SCHWIMMERI, Rectoris, & *M. Io. Ernesti* MÜLLERI, Con-Rectoris, omni humanitatis ac politioris doctrinæ genere erudiendum. At enim vero neque hic sine multo labore molestiarumque mole litterarum communiorum studiis vacare potuit. Quem enim admodum adhuc exiguorum profectuum discipulum ultima sibi classis secundæ subsellia vindicabant, medium illum in primanorum ordine collocaverant præceptores. Quemadmodum jam vero omnia, quæ sibi acciderant, in usum suum convertere b. Vir consueverat: ita etiam hicce studiis suis non satis accommodatus locus eo ipso inserviebat, ut meticulosus aliorumque condiscipulorum consortii fugiens perpetuo sese domi ac rerum suarum finibus contineret, quæque in litterarum profectibus deficiebant, indefesso pertinaciorique earum studio, atque auxilio divino, ardentissimis precibus sibi efflagitato, comparare sibi atque compensare allaboraret. Quo in cursu non parum sibi adjumenti attulisse sæpius prædicabat doctissimum ROSIVM, celeberrimum Medicinæ

cinæ Doctorem ac domicilii hospitem humanissimum, subsidio sibi venientem ac litterarum ignorantiæ consulentem. Biennio exacto, quum jam in eo esset, ut emergeret, quemque referre debent juvenes studiosi, debitum illum ac convenientem e magistrorum prælectionibus perciperet fructum, iterum illi felicior hic ac expeditior studiorum scholasticorum cursus, modo aggressus, interrumpebatur. Finem enim eorum illi imperabat optimus parens, nescio, quo consilio ductus, satiusque ducebat, filium hunc perdilectum studiis academicis sublimiorumque scientiarum culturæ accingere. Commigravit hac mente Ienam, sedem illam ac domicilium omnium scientiarum celeberrimam, ann. MDCXCIX. studiosorumque academicorum albo d. XIV. April. insertus est, Pro-Rectore Magnifico, *D. Georg.* SCHVBARTO, Historiarum ac Eloquentiæ Professore, fasces imperii academici tenente.

Sanctioris doctrinæ culturæ animum consecraverat *b.* EHRENBERGERVS, eaque mente ac consilio primum vitæ academicæ annum omnem suam operam disciplinis philosophicis dedit, quibus rite, quodque satis est, perceptis, consequentibus annis totum sacratiorum litterarum cursum pertractandum adjunxit; quarum omnium scientiarum, verum quæ Theologum & præparare & constituere & exornare solent, Doctores ac Professores, eosque longe celeberrimos habuit, in *Logicis* D. *Io. Paulum* HEBENSTREIT & D. *Io. Phil.* TREVNERVM, in *Metaphysicis* & *Ethicis* pariter ac in *Theologia thetica* eundem D. HEBENSTREIT, in *Politicis* & *Theologia exegetica* jam dictum TREVNERVM, in *Ebraicis* D. *Io. Andream* DANZIVM, in *Chaldaicis*, *Syriacis*, *Samaritanis* & *accentuatione*, eaque & prosaica & metrica, *Io. Reinh.* RVSIVM, tum temporis Magistrum, postea S. S. Theol. & LL. OO. Doctorem ac Professorem longe celeberrimum: In Iure Naturæ LVNGERSHVSIVM, id temporis Philosophiæ Adjunctum, postea Pastorem & Theologiæ Doctorem,

in historicis *Io. Iac.* SYRBIVM, eo tempore Philosophiæ Adjunctum, postea logices ac Metaphysices Professorem celebratissimum. Artis disputatricis duces sibi elegit D. *Io. Iac.* MÜLLERVM, Moralium Professorem, & privatos intra parietes BAIERVM seniorem, Philosophiæ adjunctum; in physicis & mathematicis *Georg. Albertum* HAMBERGERVM, Physices ac Mathematum Professorem longe celeberrimum. Mirum quantum fuit, quod sese ex hoc studio mathematico & utilitatis & jucunditatis percipere sensit vir beatus, eamque ob causam, quod sibi reliqui esse intellexit in studii theologici cultura temporis, totum id ad eximii hujus studii mathematici disciplinam conferendum esse duxit.

Post quatuor annorum spatium, ingenii exercitationibus ac studiis academicis Ienæ consumtum, quod venerabilis parens ceperat consilium, nostrum domum revocandi laboribusque sacris accingendi, totum id B. LOEBERVS, sacri cœtus Orlamundensis antistes, commutavit, perfecitque, ut animum ad vitam academicam appelleret, quosque in quovis scientiarum genere non vulgares fecerat profectus, juventuti studiosæ dicaret; cujus de consilio sibi magisterii honores Doctorispue philosophiæ gradum, celeberrimo HAMBERGERO Decano, & D. *Io. Iac.* MÜLLERO Brabeuta, conferri curavit. Habuit tum temporis, quo natura ferebatur humiliori fractiorique animo, qui erigerent illum rebusque ac exercitationibus publicis, quæ futurum academicum doctorem decent atque perficiunt, suscipiendis adderent calcar; quorum numero alter erat beati contubernalis, *Georg. Phil.* BOEHEIM, Heidelbergensis, vir de nostro & industriæ & pietatis exemplo & concinniori expeditiorique studiorum pertractandorum ratione insigniter meritus, quique Pastor primarius & Scholarcha Oehringæ diem supremum obiit, alterve, quem alterum suum Asariam salutare vir beatus consueverat, *Christophorus Augustus* HEVMANNVS,

NVS, S. S. Theologiæ D. & Professor Gœttingensis, vir, cujus nominis ac meritorum excellentissimorum memoriam omnes excipient anni consequentes. Huic celeberrimo viro, quocum arctissimo amicitiæ vinculo ad cineres usque conjunctus fuit, omnia, a Deo, omnium rerum datore cum discessum fuerit, accepta referebat B. EHRENBERGERVS, felicissimoque hoc sibi persæpe prædicabat, factum esse auspicio, ut contigua fuerint sua ipsorum musea, ex eaque re sibi quovis die copiam esse factam, suum HEVMANNVM conveniendi, eumque doctissimum exercitatissimumque S. Scripturæ interpretem in lectione biblica ducem habendi. Quas creberrimas iusuper habere solebat disputationes publicas doctissimus HEVMANNVS, amicum hunc suum sæpius non solum sibi opponentem adscivit, excitavit etiam, ipse ut periculum faceret, ingenii vires conquisitusque eruditionis apparatus quid valerent; cujus amicissimis monitis consiliisque ut morem gereret, ann. MDCCV. disputationem *de Numeri denarii origine* conscripsit, magnoque cum laudis applausu felicissimoque conatu habuit. Quem jam vero sibi & theologicæ & philosophicæ eruditionis auctorem consultoremque obtigisse gloriatus est, eundem & suasorem & ducem peregrinationis in Hollandiam suscipiendæ secutus est. Viam sub auspiciis divinis optimorumque parentum consensu ingressi sunt ann. MDCCV. d. XXX. April. iterque suum per Franconiam, Francofurtum ad Mœnum, Darmstadium, Heidelbergam, Manhemium aliasque Rheno & superiori & inferiori adjacentes urbes celebriores fecerunt, usque dum tandem Hollandiam ipsam & fœderatum Belgium ingressis sibi celebriores urbes, academias, bibliothecas virosque & nominis & eruditionis fama insigniores, aliasque res notatu digniores invisendi copia facta fuerit. Quo per æstatem facto reditum sibi via, qua Hamburgum adeunt, per Saxoniam inferiorem parabant elapsoque Septembri mense salvi & incolumes Jenam & reliquam patriam perveniebant.

Redux factus celeberrimum *Io. Franc.* BVDDEVM, S. S. Theol. Doctorem & Professorem, quem virum de omni re sacra & ecclesiastica insigniter meritum sibi interea Iena arcessiverat, audivit Theologiam moralem & Historiam ecclesiasticam N. Testamenti exponentem. Adjunxit hisce laboribus theologicis Collegium Astronomico-practicum, curiosum & algebraicum differentiale, præeunte sibi Celeb. HAMBERGERO, perpetuisque insuper artis disputatricis exercitationibus, & publicis & privatis in libros symbolicos, præside Celeb. D. TREVNERO, miro ac egregio interfuit studio; quibus omnibus disciplinis satis abunde instructus ipse initium fecit, aliis operam prælectionibus suis philosophicis dandi, Præsidisque munere haud parum sæpe non felici successu perfungendi; qua etiam re concatenatisque laboribus academicis perfecit, ut sibi inspiranti nihilque opinanti ann. MDCCXII. in Facultate philosophica, Adjuncti honores deferrentur, quibus se neque ineptum, neque indignum esse publica disputatione, quam pro loco dicere moris est, *de Studio novitatis in Philosophia*, demonstravit. Anno consequente disputationeque *de novo Laternæ magicæ augmento* habita, suasor illiac impulsor fuit Celeb. Professor HAMBERGERVS, Professionis Mathematum, obitu Celeb. COELERI, Illustr. Casimiriani academici, quod Coburgi floret, Mathematum Professoris, vacantis, competendæ. Ante vero quam *Serenissimi* Illustr. Casimiriani *Nutritores* sententias de hoc munere deferendo composuerant, factum est, ut, quod tum temporis Hilpershusiæ fundabatur Gymnasium academicum, Ernestino-Fridericianum, illius Professor Mathematum & Logices pariter ac alumnorum inspector vocaretur, hujusque muneris, sibi a S. venerabili *Io. Franc.* BVDDEO oblati, capessendi caussa una cum illius Directore vocato, Celeb. *Gottliebio* STOLLIO, Hilpershusiam profectus, non illius solum inaugurationi interesset, verum etiam postero die disputationem *de Matheſi nobilibus digna*, respondente *Io. Phil. Iosten a Iostheim*, Equite Franco haberet. Quo in munere perfungendo mirum sane quantum est, quod & *Serenis-*

simorum

simorum Ducum ac *Principum juvenum*, quorum disciplinæ mathematicæ institutioni præfectus fuerat, clementiæ, Professorum ac Collegarum, muneris sibi rationibus conjunctorum, amicitiæ ac humanitatis, omnium ac singulorum auditorum pietatis, observantiæ ac obsequii, reliquorumque incolarum caritatis æque ac benevolentiæ quocunque tempore persenserit.

Anno MDCCXX. auspiciis nutuque quam clementissimo *Serenissimorum* Illustr. Casimiriani academici *Nutritorum*, Perillustris ac Splendidissimus nostri Gymnasii Scholarchatus Nostrati Professionem Matheseos & Metaphysices una cum Sub-inspectoris alumnorum officio, morte b. *Io. Iust.* Bodenii derelictam detulit, quam venia tandem abdicandi adhuc quam optime administrati muneris ægre impetrata, a *Gottfr.* Ludovico, S. S. Theol. D. & P. P. O. & Gymnasii Directore inauguratus d. XII. Iulii Oratione *de Studii mathematici impedimentis* habita, bono auspicio accessit.

Fuerunt id temporis, qui ex eo, quod nova hæc sparta diminutum non solum ipsi salarium numerabat, laboresque contra ac muneris onera adauxerat, verum etiam b. Viro, qui Hilpershusiæ quinque jam Professores muneris loco præcesserat, ultimum Collegii locum adsignaverat, secius hanc officii commutationem illi interpretabantur; at enim vero, quæ numinis supremi provida rerum humanarum cura est, perfecit illa rerum eventu, Illustr. Gymnasio Ernestino-Fridericiano ann. MDCCXIX. plene exauctorato, ut nihil plane b. Vir reliqui habuerit, quod sibi exprobraret, multo minus vitio vertere posset. Neque, quem Illustr. Casimiriani prætulerat locum, sese non ita multo post demonstravit, fortunarum ipsius ac rerum amplificationi non esse defuturum. Illi enim brevi post tempore alio vocato muneris rationes atque emolumenta non insigniter solum adauxerunt salariique augmento exornarunt *Serenissimi Nutritores*, verum etiam, celeberrimo *D. Alberto Meno* Verpoortenio anno MDCCXXXI. Dantiscum vocato, ce-

leberrimoque *D. Ioanne Conrado* SCHWARZIO, Alumnorum Inſpectore & Profeſſore, in ipſius locum ſurrogato, b. EHRENBERGERVM in celeberrimi SCHWARZII locum ſuccedere indulgentiſſime juſſerunt; cui quidem muneri tam diu magna cum laudis amplitudine præfuit, quoad anno MDCCXLVII. celeberrimo *Ioanne Martino* CHLADENIO, tunc Directore adjuncto, jam S. S. Theol. D. & P. P. O. in Academia Fridericiana Erlangenſi longe celeberrima, in ipſo Pædagogiarchatu ſucceſſit.

Habemus de beati viri præſtantiſſima eruditione, uberrima doctrina, ampliſſimis muneribus pariter ac eorum adminiſtrandorum ratione dexteriori. Sequitur, ut etiam de illius rebus domeſticis mentionem faciamus. Quam primum faſtidire videbatur ſocietatem conjugalem, illam deinde appetiit, minus tamen ſuo ipſius, quam optimi parentis arbitrio, conſilio & ſelectu, ſacroque ſibi connubio ann. MDCCXIV. d. VIII. Novembr. Megalo-Rutersdorffii conjunxit *Sophiam Eliſabetham* BEINHARDTINAM, virginem electiſſimam, filiamque *Io. Luſti* BEINHARDTI, Sereniſſimo Principi Rudolphopolitano a conſiliis ſacris & aulicis adminiſtri, natu maximam. Perbreve temporis ſpatium hoc illi conjugii auſpicatiſſimi conſortio frui contigit. Qua enim optima hæc conjux infirmiori corporis affectione fuit, factum eſt ea, ut jam ann. MDCCXVI. Paſchatos die altero, octavo die poſt filioli partum, purpura alba & epilepſia uterina illi & ſatis humanis eriperetur. Vti fluctus fluctum, ſic etiam malum mala hoc anno excepit. Obitu enim & fideliſſimæ matris & perdilectæ ſororis, natu ſecundæ, eodem anno e vita diſcedentium, expertus eſt, quanta malorum mole mortalium fragiliorumque hominum vita prematur, quotque quantæque ſibi in poſterum etiam hujus modi calamitatum caſuumque triſtiorum varietates forſitan ſint exhauriendæ. Magis itaque neceſſitate paternoque officio adactus, ſuperſtiti filiolo fideliſſima matre proſpiciendi, & arbitrio optimi parentis, quam ſuimet ipſius, altera ſeſe vice ann. MDCCXVII. d. XXV. Maji matrimonio

monio conjunxit cum *Helena Dorothea Roſina*, electiſſima ſanctiſſimaque virgine & filia ſuperſtite *Iulii Nicolai* RANISII, mercatoris Calacenſis honeſtiſſimi, & nepte *Georgii* RANISII, Conſulis Calacenſis ampliſſimi. Vbi ex hac duas filias totidemque filios ſuſceperat, una tamen cum prioris matrimonii filio morte, tenerrima adhuc ætate, extinctos, illi hæc etiam optima conjux anno conjugii octavo, cachexia per biennium laborans, erepta eſt. Tertia itaque vice rebus ſuis domeſticis conſulturus, anno MDCCXXV. d. XIII. Novembr. Hanoviæ matrimonium iniit, cum *Anna Catharina Sophia*, filia natu minima *Io. Guilielmi* RHVMBELII, ærarii principalis Hanovienſis conſiliarii meritiſſimi. Aſt proh dolor! nondum annus effluxerat, cum vinculum hoc feliciſſimum jam diſrumperetur. Anno enim MDCCXXVI. d. XXIV. Septembris, poſtquam optima hæc conjux filiolam pepererat, purpura alba extinguebatur.

Senſerat tunc Vir beatus ipſoque rerum uſu edoctus erat, quicquid jucunditatis habeat ſtatus matrimonialis, acerbitate cum eo nunquam non fere conjuncta longe ſæpius eſſe inferius. Sentiebat vero etiam muneris gravitate admonitus, ſeſe duobus liberis, ex altero & tertio matrimonio ſibi relictis educandis imparem eſſe, minusque expeditum, ex eaque re maximam ſibi ſubeſſe cauſam intellexit, quare novam ſibi rerum ſuarum domeſticarum ſociam quæreret atque adminiſtram. Duxit eo conſilio uxorem anno MDCCXXVII. d. XXV. Novembr. *Mariam Sophiam*, gente *Wolffhardtina* oriundam, viduam *Chiliani*, Doctoris Medicinæ celeberrimi, matronam præſtantiſſimam, vitæque quam deſideratiſſimi mariti maxima nunc cum luctus acerbitate ſuperſtitem. Vnicum tantum ex hac ultima uxore filium procreavit, primo trimeſtri, una cum filiola ex tertia uxore ſuſcepta, denatum. Vnicam itaque tantummodo filiam ſibi ſuperſtitem habuit, primam ex ſecunda uxore quæſitam, *Adelheitam Eliſabetham*, Domino *Ioanni Chriſtiano* LINCKIO, *Sereniſſimorum juventutis Principum* Saxo-Coburgico-Saalfeldenſ. Informatori,

Illuſtr.

Illuſtr. Caſimiriani Academici Moralium Profeſſori celeberrimo, & Bibliothecario anno MDCCXXXVII. in matrimonium collocatam, verum jam anno MDCCLI. placida morte ablatam.

Delati tandem ſumus orationis nexu ad vitæ exitum, quo b. EHRENBERGERVS & nobis & rebus humanis ademtus eſt. Iam illi anno MDCCLV. tempore auctumnali raucitate infeſtato & publicæ & pædagogicæ prælectiones erant intermittendæ; quod tamen malum quum illi neque ſomnum quietiorem, neque ciborum cupiditatem appetentiorem abſtulerat, ea re vires corporis, quod adultiori conſtantiorique ætate natura firmius optimeque affectum habuit, eo usque collegit, ut non vocem ſolum reciperet, verum etiam muneris ſui officiis & prælectionibus ſaltem in Muſeo continuandis ſatis abunde idoneus redderetur; usque dum demum anno MDCCLVI. d. XX. Febr. Perilluſtris ac ſplendidiſſimus Illuſtr. Caſimiriani *Scholarchatus* ſatius conſultiusque eſſe duxit, Virum tot tantisque meritis pariter ac officiis exſplendeſcentem rude meritiſſima, ex eaque re ſine ulla Salarii & emolumentorum diminutione donare, remiſſionemque illi & animi & corporis, tot tantisque curis & laboribus pro ſalute & incolumitate Illuſtr. Caſimiriani nunquam non ſuſceptis, defatigatorum, quam benigniſſime concedere. Hoc in otium collocatus, quicquid & mentis & animi habuit virtutis, totum id in æternæ animæ ſalutis comparatione ſibi ferventiori animi deſiderio expectatæ poſuit, nihilque eorum in præteritis reliquit, quibus, qui ratione utuntur & Spiritus S. conſiliis ſalutiferis obtemperant, veræ ſibi animorum beatitati proſpicere debent. Senſim denique pedetentimque omnibus corporis viribus labefactatis atque exhauſtis, animi vero & mentis corroboratis, roboreque ac virtute fidei ſuffultis, in maraſmum tandem ſenilem implicitus d. XXII. Febr. anno MDCCLIX. hora XI. nocte provectiori, placida quietaque morte, ſine ullo corporis dolore obiit, votorumque pietatis ſuæ damnatus, ad divinum illud ſanctorum animorum concilium cœlitumque beatorum cœtum commigravit, natus annos LXXVIII. dies duos.

De-

Designatio Scriptorum
a beato
EHRENBERGERO
publici juris factorum.

Disputationes Ienæ divulgatæ.

De numeri denarii origine, Respondente Francisco Wilhelmo Stenglero, Heidelbergensi, Ienæ, 1705.
De Polemoscopio prior, 1709.
Posterior eod. anno.
De temperamento Mathematico, 1710.

Adjunctus pro loco commentatus est:

De studio novitatis in Philosophia, 1712.
-- bonorum novatorum requisitis, eod. anno.
Novum & curiosum Laternæ magicæ augmentum, 1713.

Hildburghusiæ.

Disput. de Mathesi nobilibus digna, Respondente Io. Phil. Iosten a Iostheim, Equite Franco, 1714.
Progr. De stella, Magorum duce, 1715.
Disp. historico-mathematica de infelici reformatione Pontificum in mathesi, 1717.

Programmata Coburgi publicata.

Die Vorrede vom Einfluß derer Planeten, bey Recensirung und Completirung des Ioh. Chr. Sturms sogenannten lügenhaften Sternwahrsagerey, 1722.
De recentiori circa Cometas controversia, 1721.
-- pluralitate mundorum, 1721.
-- scala ad matheſin, 1723.
-- vi imaginativa, eod. anno.
-- fluxu & refluxu maris ex sententia Cartesiana difficultatibus nondum liberata, 1724.
-- maris reciprocatione ex sententia P. Honorati Fabri, 1725.
-- cœlo ex luna viso, 1725.

De cœlo ex Venere considerato, 1727.
— — Mercurio ac Sole observato, eod. anno.
— aliquot novis Geometriæ Problematis in campi planitie instituendis, 1729.
— cœlo ex Marte & Iove spectato, 1731.
— Cosmica ex Iove continuata, 1733.
Beschreibung der Experimenten, so mit der Luftpompe können gemacht werden, in Versen, 1734.
De cœlo ex Iovis satellitibus & Saturno viso, 1735.
De studio inclarescendi bono homine indigno, 1736.
De Cainane, Arphaxadum inter & Salam Bibliis Hebraicis omisso, a Luca vero interjecto, eod. anno.
Duo Progr. de Longitudine & loco in mari inveniendo, 1737.
Tria Progr. de nocte, 1738.
De artis pingendi cum scientia amicitia. 1739.
De speculis quibusdam vitreis causticis, eod.
— — ex menisco parandis, eod.
— — majori foco præditis, eod.
De radiorum per lentem vitream in speculum connexum immissorum regressu, eod anno.
De radiorum in speculum connexum convergentium reflexione ac prolongata unione, 1741.
De mediis Solis radios in longam distantiam colligendi, eod.
Ejusd. materiæ continuatio, eod.
De speculo caustico ex menisco ad quemcunque focum desideratum aptando, 1742.
Pr. quatuor de deceptionibus opticis, 1742. & 1743.
Pr. de Camera obscura & Telescopio reciproco, 1743.
Tria Pr. de deceptionibus dioptricis & catoptrico-dioptricis, 1745.
Pr. de fonte Heronis duplici, eod.
De amatrice lumen & scintillas spargente, eod.
Additamenta quædam ad regulas proportionum dupli & practicæ Italicæ, 1746.
De quibusdam novis problematibus geometricis, 1746.
Continuationes quatuor, 1747. & 1748.
De Tabulis striatis, 1747.
Ejusdem supplementum, eod.
De operum divinorum perfectione in redemtione cognoscenda, 1750.

INDEX

INDEX.

Asteriſcus numeris præfixus Appendicis paginas indicat.

A.

Abſceſſus in abdominis cavo 363
— — linguæ, conf. angina
Acetoſella enteroceles remedium 168. 170
Acetoſellæ virtutes 169. deſcriptio ibid.
— — ex proventu copioſo pluviarum & inundationum præſagium 169
— — ſalis virtus in tollendis atramenti maculis 174
Acetum quomodo fit ex vino 133
— — tartarea corpuſcula continet ac ſimul igniculis refertum eſt 134
— — ingeſtum num ſanguinem reliquosque humores coagulet, an diſſolvat 134
— — num vermes contineat 135
Aceti natura examinata 133
— deſtillati vires *242
— vini vires egregiæ 132. 135. 136 noxiæ 137
— — vis reſolvens 411. antinarcotica & alexipharmaca ibid.
— — exhibendi modus 137
Aceti mangonium hujusque noxa 410
Achatinorum globulorum generatio *200
Acidularum Ruhlanarum examen & vires 260
Acidulis de Ubergenſibus diſſertatio *432
Aër purus & impurus quantum conferat ad valetudinem conſervandam & deſtruendam 387
— quomodo concurrit ad lapidum generationem *179
Aeris alcali volatile &c. vid. alcali aëris.
— color *257. quid *260. ſequ. qualis *262. unde *270. ſeqqu.
— qualitates phyſicæ *259
— gravitas & elaſticitas *259
Aeres Hebræorum eſt cedrus Libani *279
Aetati adoleſcenti ſalubres exercitationes *451
Aetiologia chemica (tract.) *449
Aethiopis antimonialis & mineralis vires 30. ſeq. *252. 254

Aetitæ definitio *192. descriptio & differentia ac generatio *193. 194
Aetites silicianus *208. nota b.
Aetito-ammonites-bucardites *195
Aetito-colites *195. nota d.
Aetii ἀνεκδοτω, progr. *451
Aetius illustratus *446. 449
Agarici mineralis character & indoles 304
Agrorum fertilitatem auget marga, sterilitatem illis inducit argilla 304 sequ.
Agrypnia, vid. Pervigilium.
Ague-tree *286
Alberti (Mich.) memoria *409. ejus scripta *424. seqq.
Alcali aëris volatile caussa morborum malignorum 389. ipsius pestis 390
Alcalinum sal fixum in aceto repertum 133
Aldrovandi *Ulyss.* methodus crustaceor. testaceor. *10
Alexipharmaca essentia *249. 251
Alexipharmacum maximum est acetum 135
Alleluja, herba 70
Allii & ceparum copiosus in cibis usus quotidianus resolvit tumorem magnum in dorso manus 215
Alni varia magnitudo in variis regionibus *319
Aloidis plantæ character emendatus 150
Alvi constipationi vomitus superveniens quibus remediis sedandus 210
Alvi cruentæ remedium pulvis rhabarbari 24
— fluxibus omnis generis remedium 70. fluxus remedia *245
— obstructio letalis 208
— strictura tenax 362
Aluminis usus internus taxatur 40
Aluminosi globuli Imperati *214
Alvus cruenta in passione iliaca 384
— — in puerulis 23
Alvum solvit coffeæ potus cum lacte 179. fumus tabaci 188. liquor nitri fixi cum rhabarbaro 212. 213. conf. obstructionum remedium.
Ammonis cornua gravida *195. nota e.
— — — in globulis solidis inclusa *216
Amygdalolithi *221
Analepticum Boerhaavianum 115
Ἀναφωνήσεως (περὶ) progr. *452
Anatomiæ usus in Theologia programmatibus expositus *485. 488. 490. etiam subtilioris, usus *463. practicæ utilitas 1 seq.
— (de) incrementis oratio *488. 501. 502. 503
Anatomica præparata Ruyschii laudantur *473. Rauii ibid.
— — — — sicca incrustatione conservans liquor seu vernix 251. alia compositio 252
Anatomicis inventis (de) *488. 501. seq. 504
— in sectionibus duabus observata mirabilia 362
— præparatis includendis & conservan-

ſervandis maſſa alba, pellucida, duraque ex ſuccino 248. 250
Anatomicorum (de) adminiſtris, vermibus progr. *451
Anatomicum compendium Heiſteri *484. 501. ſeq.
— — muſæum Abr. Vateri ab Heiſtero editum *505
Anatomicus & chirurgicus apparatus Leysdenii laudatur *477
Anatomiſche Wahrnehmungen, conf. *Mediciniſche* &c.
Anevryſma aortæ 16
Angina maligna in plures linguæ abſceſſus degenerans 299. inflammatoriæ cura *249. ſeq.
Anhuiba, arbor *289. 290
Anhuiba-miri *290
Anhuyba-peayba, arbor *289 ſeq.
Anhuypitanga, arbor *289
Anima rationalis ſequioris ſexus, in vehementem motum acta, vehementius corporis œconomiam turbat ac tempore graviditatis magis penſitabunda activiorque eſt 208
— (de) hominis rationali proprium domicilium ſuum generante &c. tract. * 425. de ejus virium differentia ſecundum hominum differentiam tractatus germanicus *425
Animabus (conſideratio medica de) ſecundum differentiam corporis, ejusque ſtatus ſani, vel morboſi tractatus germanicus *425
Animalcula volatilia cum lotio excreta 168
Animalia conchyliorum *6
Animi vires poſt gravem cerebri vulnerationem alacriores & vegetiores 372. ejus vivacitas quo major eſt in puſillis, eo minus ut plurimum eſt corporis robur 206
Aniſi lignum *292. 307
Ankertrol 145
Anodyno-tonica mixtura 40
Anodynus liquor mineralis Hoffmanni, vid. liquor mineralis anodynus Hoffm.
Anonymi methodus cochlearum *130. teſtaceorum *74. ſeqq.
Anthelminticum remedium 122
Anthropologia forenſis *449
Antimonialis æthiopis vires, vid. æthiopis antimonialis vires.
Antimonialium medicamentorum apologia *253
Antimonium fere totum in ſulphur converti poteſt *253. crudi vires ibid. ejus reguli medicinalis vires 29. 30. * 251. ſeq. Sulphur conf. Mercurialis terra. Sulphuris aurati vires in pectoris oppletionibus 325. ejus tinctura liq. minerali anodino Hoffm. nupta, hæmorrhoides referat & diſcutit 22. ex ejus martialis reguli ſcoriis & oleo vitrioli, vitriolum martis dulciſſimum 253
Antipodragicum remedium eſt acetum vini 135
Antiquitatum Romanarum per Africam repertarum memoria oratione expoſita *452
Antiſpasmodicum remedium * 252. ex cinnabari 255

Aortæ anevryſma 16. inflammatio 17. ſuperficiei interioris morboſa compages 17
Apoplexia extinctorum veſicula fellea inflata 105
Apoſtemate clandeſtino ex rupto mors inopinata 125
Aqua eſt corpus electrigerrimum 92. nota *u*. quomodo concurrit ad lapidum generationem *180. ejus color varius unde *268 ſqq.
Aquæ bened. Bat. cum aqu. calcis vivæ mixtæ uſus internus 117
— frigidæ potus effectus mirabilis 212. ejus corpore calente potus, noxæ 168
Arbor americana ampliſſimis foliis &c. fructu pyriformi *393. baccifera laurifolia aromatica &c. *391. camphorifera, vid. camphorifera arbor. canellifera *368. canellif. indica *403. canellif. ex Surinama &c. *ibid. canellif. Taiwanica ibid. ſilv. Japonica fol. minimo ibid.
— ex Florida ficulneo folio *286
— Maderaſpatana *399
— Virg. citriæ vel Limoniæ folio *345. Bishaminis folio baccata &c. *346
Arbores indicæ radicibus ſolum haud profunde penetrant *283. 319
Arborum varia magnitudo in variis regionibus *319. folia vel perennia vel caduca ſecundum varias regiones *320
Archiatris (de) Medicis. cf. Medici Archiatri.
Ardor ventriculi, vid. ventriculi ardor.
Arenularum ortus *185
d'Argenville methodus teſtaceorum *62 ſeqq. conchar. fluviatil. *127 terreſt. *129
Argilla agris ſterilitatem inducit 304 ſeq.
Argillacei globuli prægnantes *217
Argillarum indoles 305
Ariſtolochiæ rotundæ radicis uſus in extirpandis cerebri fungis 370
Ariſtotelis methodus teſtaceorum *6
Armoniaci ſalis virtus in febribus intermittentibus 360. in extirpandis cerebri fungis 370. ejus ſpiritus uſus ad cariem 94
Arteriarum (de) C. H. confiniis progr. *451. flexu progr. *451
Arthritis vaga juvenibus gravior 298
Articulatio maxillæ inferioris, vid. Maxilla inferior.
Aſæ fœtidæ vires in aſthmate ſimplici 21. ejus eſſentiæ vires *237
Aſcites, vid. hydrops.
Aſinini lactis circa uſum monita 202. uſus 12. 203
Aſphaltum in globulis lutoſis repertum *215
Aſthma letale ex podagra irregulari 1. 7. ejus remedium *316. ſimplicis & cachectici remedia 20. ſeqq. *236
Atheromata prægrandia meſenterii 126
Atonia primarum viarum laborantes raro morbos exanthematicos ſuperant 380

Atramenti maculas tollendi remedium 174
Atropæ ſeu ſolani furioſi virium expoſitio indicatur *434
Auditus ex catarrho turbati remedium præſtantiſſimum *235
Avellanarum uſus; quæ ſymptomata produxit *245
Aurantii floris ab illis citri differentia *328

B.

Balſama nativa in omni aquoſo ſolubilia reddenda 254
Barometricæ & meteorologicæ obſervationes Helmſtadienſes *489
Baſaltis, lapis *216
Belemnitæ gravidi *195. nota *a*
Belladonnæ baccæ comeſæ excitarunt ſymptomata graviſſima & fere letalia 216. & Phytolaccæ vires conveniunt quodammodo 217
Belloſti liquor laudatur, deſcribitur & emendatur 98
Benzoin, Benzoinum, Benzoinifera arbor, eſt Lauri ſpecies *345. ejus patria *346. 348. habitus *346. deſcriptio *347. fructus ibid.
— offic. *345. 397
Bergen *Car. Aug a*, conchyliorum claſſes *1. ſeqq.
Betel, Betre arbor *378
Bezoar mineralis hiſtoria *208
Bilis copioſæ vomitus in febri lenta 38
Bitumen in globulis lutoſis repertum *215
Blatta, Germanis *Schwaben* 122
Bois de Canelle *297
Bolarium terrarum indoles 303
Borbonia, Lauri ſpecies *348. patria *349. character ibid. 351. a Lauro carolinienſi diſtinguitur ibid. ſeqq. varietas *350
Botanici horti Helmſtadienſis encomium *490
— ſtudii uſus in medicina *463
Boum lues, vid. lues.
Braunſtein 248
Breynii *Io. Phil.* methodus polythalamiorum *116. ſeq. echinorum *118. ſeq. teſtaceorum *57. ſq.
Bronchiorum ex cavo tubulus membranaceus rejectus 157
Browne *Patric.* teſtaceorum methodus *104 ſeq.
Brunſchwigiæ plantæ deſcriptio *505 ſeq. Heiſteri ſpecies 202
Buonnanni *Ph.* conchylior. methodus *15
Buch-Ampfer, Buchbrod, Buchklee 169
Burckhardi *Io. Henr.* Epiſt. de charactere plantarum naturali *504
Burckhardiæ plantæ deſcriptio *505

C.

Cachexiæ remedia 125. *237. febres intermittentes mox ſequentis cauſſæ & cura 64 ſeqq.
Cadegi indi eſt malabatrum *377

Caffeæ

Caffeæ circa uſum & abuſum adnotata 178
— potus cum lacte ſolvit alvum 179. ſedat cephalalgiam ex ventriculo ortam 179
Cahatte Coronde, cinnamomi ſpec. *403
Calcariæ terræ indoles 303
Calcis vapores noxii 106. vivæ aquæ uſus ſingularis 117. vivæ aquæ cum aqua bened. Batav. mixtæ uſus internus 117
Calculi fellei 14 ægre ſolvebantur ſaliva, nec flammæ admoti ignem concipiebant ibid. eorum examen ibid. ſequ. conf. Chlolelithi.
Calculis renalibus ſociata podagra 4
Calculorum humanorum differentiæ 313. circa diſſolutionem experimenta 312
Calculus ex veſica fellea exſectus 218. ejus ſigna 219
Calihacha eſt cinnamomum *368
Callimus, lapis, ejusque differentiæ *194
Calor ſeu ignis quomodo concurrit ad lapidum generationem *185
Calvariæ de baſi progr. *451
— minerales Kircheri *210
Calycina corolla, vide corolla.
Camphoræ maſticatæ uſus 212. ejus maſſæ ſpecies *359. *366. ex variis vegetabilibus produci poteſt *359 ſeq. ejus vires *240. ejus uſus in aſthmate cachectico 20. ſimplici 31. in hyſtericis 25. in variolis confluentibus *169. ejus remediorum vires primariæ *249. circa ejus uſum in feminis cautelæ 25. *241. ejus & laudani opiati ana granum dimidium ſedavit vigilias 211. ejus arboris character *340
Camphorifera arbor *358. eſt Lauri ſpecies ibid. 361. ejus patria *359. deſcriptio ibid. character *340. *366. mas & femina *365. ejus & cinnamomi differentia ib. deſcriptio Boerhaavii *366. Breynii *360. Burmanni *366. Cleyeri *360. Commelini *362. Grimmii 359. 366. Gronovii *364. Heiſteri *366. Hermanni ibid. Kæmpferi *363. Ludwigii *366. Milleri *365. Rumphii *366. Schæfferi ibid. Sammatrana *359
Camphoriferæ arboris foliorum verruculæ *363. 364
Cancer japonicus in glebis ſiliceis *218
Cancer mammæ a cauſſis internis ortus feliciter quidem extirpatus, ſed in genitalibus rediens 230, conf. carcinoma.
Cancroſæ mammæ extirpationis variæ methodi 227
Cancrorum lapidum vires *241. cum Ipecacuanha miſtorum *245. 255
Canell de Matte, cinnamomi ſpecies *403
Canella *289. 367. 391. alba *392. 404. alba Peruana eſt Winterana *391. Browne *392. ſive caſſia *385

Canel-

Cenellifera arbor, vid. arbor canellifera.
Canens articulate & diſtinctim virgo, ſermonis autem uſu deſtituta 117
Canis rabidi morſus remedium acetum 136
Capitis vulnus graviſſimum cum cerebri portionis jactura ſanatum 364 ſeqq. ejus vulnera unde ſæpius periculoſa 373
Capitonibus (de) ex laborioſo partu * 450
Capperoe Coronde, cinnam. ſpec. * 403
Caput Meduſæ 147
Carbonum a fumo productus ſopor aufertur aceto 136. candentium, quorum vapor minus noxius ſit 106. foſſilium in ſtratis globi reperti piſcibus & herbis prægnantes * 218. conf. prunarum vapor.
Carcinomatis mammæ remedium * 434. occulti generatio, ejusque curandi methodus nova 223. conf. cancer mammarum.
Carcinopus 225
Cardiaca gigantea ejusque character deſcribitur 52 ſeq.
Cardiaca remedia * 248
Cardiacum maximum eſt acetum vini 135
Carduelis, avis, pennis omnibus amiſſis per annum vegeta 339. avis hujus aetas ſumma ibid.
Cariei medetur ſal armoniacum 94
Carioſæ coſtæ ſequelæ 94
Carioſorum dentium remedium 191
Carlina multicaulis vel multiflora deſcribitur 175. ſilveſtris ardoris ventriculi remedium ibid.
Carpolithi * 221
Carrichterus (*Barthol.*) notatur 171. nota *o*.
Cartilagineæ concretiones in vena pulmonali repertæ 16
Carua & *Carau* eſt cinnamomum * 369. 371. 385
Caryophyllorum oleum ſedat dolorem dentium carioſorum 191
Caſcarillæ cort. eſſentiæ vires 26. 28. * 245. 247. ejus vis tonica * 236. laudatur in affectibus quibusdam pectoris 18 ſeq.
Caſſia vulgaris * 368. Lauri ſpecies * 385. ejus patria * 386. character ibid. aromatica lignea & Malabarica * 385. cinnamomea * 368. cinnamomea ſtrictiori folio ignobilior * 403. cinnamomea ſilv. Iavanica * 403 ſeq. cinnamomea Barbadenſium * 391. cinnamomea myrrhæ odore * 404 lignea communis officinar. Dale * 403. lignea laurifolia americana &c. * 404. lignea jamaicenſis * 391. lignea ſ. Malabarica * 371. lignea fuſca aromatica C. B. * 403. Malabaricæ deſcriptio * 386. 389
Caſtorei vires 403
Cataracta oculi 4. diſſertationibus expoſita * 482. 500. ejus ſedes * 479. 482

Catarrhalis infantum morbus truculentus graſſans 157
Catarrhus ſuffocativus inſtans convulſionibus ſolutus 325
Catſpiring Indorum, ſtirps 335
Catte-Coronde, cinnamomi ſpecies *403
Cedri Libani hiſtoria continuanda promittitur *280
Cedro branca *289
Cedrus Libani eſt Aeres Hebræorum *279
Cenchrites *222. eorum generatio *225
Ceparum & allii copioſus in cibis uſus quotidianus reſolvit tumorem magnum in dorſo manus 215
Cephalalgiæ paroxyſmis ex ventriculo ortis medetur coffeæ potus 179
Ceræ flavæ uſus internus proficuus 245. quomodo ea ad hunc actum præparanda 246 ſeqq.
Ceraſorum nucleorum ingeſtio copioſa quæ produxit mala 41. 45
Cerebri (de) incidendi methodo progr. *451. ejus fungus feliciter extirpatus 369. 370. læſio ejusque portionis jactura, ſanata *364. ex humano phoſphori præparatio *486. poſt ejus vulnerationem gravem ſanatam animi vires alacriores & vegetiores 372
Cerebro inhærens oſſis frontis portio feliciter extracta 368
Cereviſia cum lacte nupta prodeſt in dyſenteria 28 ſeq. *247. ſecundariæ cum cumino paratæ uſus in eod. morbo 345
Cervi cornu liquoris ſuccinati vires *234
Cete vigeſimus ſecundus *Th. Bartholini* 144
Chalcedoniorum globulorum generatio *200
Chalybeatum lac cohibet menſium fluxum nimium 211
Chamomillæ vulgaris florum infuſi vires in diarrhœis torminoſis, colicis doloribus, hyſtericis paſſionibus & puerperarum doloribus poſt partum 26. 27. *244. 246
Charletoni *Guil.* methodus conchylior. *12
Chemica expoſitio canſſarum ſani & ægroti hominis (tract.) *449. experimenta quædam 253
China de china, vid. Peruvianus cortex.
Chinati clyſteres 212
Chirurgi Amſtelodamenſes celebres indicantur *451
Chirurgia infuſoria exploſa *153
Chirurgiæ inſtitutiones Heiſteri *484. 502 ſeq.
Chirurgicum compendium Heiſteri *503
Chirurgicus apparatus Leysdenii laudatur *477
Chirurgiſche Wahrnehmungen, cf. *Mediciniſche* &c.
Chlorax, Lauri ſpec. *398 excluditur *399. ejus patria, deſcriptio & character *398
Chloroxylum *398
Cholelithi & arte extracti & per alvum excreti 256. cf. calculi fellei.

Chordapſo (de) morbo progr. *451
Chronicorum morborum &c. vid. morb. chron.
Chymica, vid. chemica.
Cinnabaris virtus exaltata 255
Cinnamomum eſt mas & femina *365. 376. veterum & recentiorum an differat *376. ejus patria *369. 375. character *340. 370. 372. 375. 376. deſcriptio *369. ſeqq. ſpecies *370. ſeqq. 402. varietates *369. 376. 379. ejus & camphoræ arboris differentia *365. 376. ejus & caſſiæ *376. 390. ſive caſſia *385. eſt Lauri ſpecies *367. floridum *389. 403. Japanicum *405. ſilveſtris ſpecies *416. ſilveſtre Americanum Sebae *352. 357. 405. ſeq. ſilveſtre Barbadenſium *391. Peruanum eſt Winterana *391. ſeqq.
Citrei floris ab illis aurantii differentia *328
Clyſteres chinati 212
Coagulationum ſanguinis remedium *241
Coccalia Ariſtotelis *6
Cochlearum methodus *130. terreſtrium & fluviatilium methodus *108. marinarum *109
Cœli color qualis & unde *261. 263. ſeqq.
Cœliacus fluxus, ejus cauſſæ 37. cum diabete complicatus curatus ibid.
Coffea, vid. caffea.
Colicorum dolorum remedium 25. *244. egregium eſt cort. Peruvian. 360. 361
Colli inflammatio ad morbos externos relata *249. ſeq. ejus ſpaſmi aut rhevmatiſmi remedium præſtantiſſimum *235
Colon maxime coarctatum 362. de ejus valvula diſſertatio *484. conf. inteſtinum colon.
Color quid *259. ejus quadruplex ſenſus ibid. variæ ſenſationes unde *260. origo duplex *264. cœrulei origo *265. ſeqq.
Comatoſa in febri tertiana intermittente Peruviani corticis egregia virtus 360
Cometarum (de) influxu progr. *521. de controverſia recentiori circa illas progr. ibid.
Conceptionis ſignorum fallacia 390. 393. ejus ſigna certa 391. 393
Concharum fluviatilium methodus *127. terreſtrium *129
Conchylia & teſtacea diſtinguuntur *52. lapidibus rotundis incluſa *217. eorum claſſes *1. ſeqq. animalia *6. 82. umbilici *6. proventus copioſus 91. de eorum ordinibus methodica ratione conſtituendis *440. 450
Confetti di Tivoli *223
Conſanguineorum contagium 270
Contagium ex ſolis miaſmatis exhalationibus 270. in conſanguineis ibid.
Contuſionum remedium *241
Convolvuli ſpecies *Tembul* *378
Convulſio ſalutaris 324

Convulsiones ante variolarum eruptionem accedentes non semper periculo vacant 157
Convulsionibus solutus catarrhus suffocativus instans 325. hysterici & hypochondriacis medetur acetum 136
Convulsivorum motuum remedium 36. 248
Coralliorum patria *442
Corolla calycina *339
Cor grande 109. ejus conditio in hydrope pectoris reperta 16. ejus palpitatio 5. seqq.
Corneus lapis *226
Cornu Ammonis - Kugeln *216
Cornus mas odorata *297. 301. 302
Coronde est cinnamomum *369. 370
Corpore (de) delicti incerto medici secantis culpa *451
Cortex caryophylloides *404. Peruvianus vid. Peruvianus cortex. Winteranus *391. 392
Corundo - gauhah est cinnam. *374
Costæ cariosæ sequelæ 94
Costarum superiorum & sterni ex morbo elevatio & erosio ingens 358
Criminalem in constitutionem Carolinam medicus commentarius *425
Croci solis productio singularis 255
Crocorum metallicorum vitrificatio facilitanda 255
Crurum prava dispositio cum spina bifida juncta 395. 396
Crystallifera matrix *199. nota a.
Crystallini ventres *189
Crystallinus globulus & venter *198
Crystallinus humor ad videndum non plane necessarius est *482
Crystallorum formatio *182
Crystallus globosa *199. nota a. rupium prismatica *204
Cucurbitularum vires in odontalgia 189
Culitlawan, cortex 199. nota a. *404
Cutis affectuum remedium 125
Cuurdo est cinnamomum *368
Cytisi species 54

D.

Dawel - kurundu, cinnamomi species *386
Dawel Coronde, cinnamomi species *403
Declamatione (de) progr. *452
Degneri *Jo Hartmann.* memoria *427
Delicti de corpore incerto &c. vid. Corpore (de) delicti incerto &c.
Delphinium Platani folio 185
Dentem evulsum largior hæmorrhagia octavo die sequuta 83
Dentes bis regenerati 399 duo incisorii superioris maxillæ in fœtu recens nato observati 274. 278
Dentitione (de) secunda juniorum diss. *450
Dentium cariei causa minus recte observata 178. 180. carioforum remedium 191. vermes ibid. dolor, vid. odontalgia.

Diabetes exponitur 37. ſeq. cum fluxu cœliaco complicatus, curatus 37
Diæteticis (de) regulis longævitati promovendæ & adjuvandæ accommodatis tractatus *425
Diapnoicum remedium *255
Diarrhœa phthiſicis funeſta 75. ejus & dyſenteriæ initio an conveniat ſemper evacuans remedium *246. ejus remedium *316. bilioſæ remedium 27. ſeq. bilioſæ cum febri cura *247. puerperarum remedia 25. 26. *245. torminoſæ remedium 25. *244
Diaſcordium Fracaſtor. cum rhabarbaro toſto mixtum laudatur in dyſenteria 71. 73. 75
Diluvii Moſaici effectus in lapides *227. ſequ.
Diorchis *195. nota d.
Diphyenes ibid.
Diuretica ſenioribus caute & parcius exhibenda 38
Dorſalis fiſtulæ hiſtoria continuata 94
Dreu- & *Dreydiſtel* 177
Dyſenteriæ definitio 341. anni tempus, quo graſſari ſolet ibid. ejus cauſa, tempeſtatis conditio 360. omnis generis remedium 71. ſeqq. ejus initio an ſemper conveniat evacuans *246. cura 342. 344. remedium *245. ſpecificum 340. novum 247. albæ cura 27. ſeq. *247. epidemicæ remedia 360. epidemicæ Neomagi graſſantis hiſtoria medica indicatur *433
Dyſpnœa a cauſſa externa 374

E.

Ebrios ſomno ſepultos excitat acetum 136
Ἔχεπις *194
Echinitæ in ſilicis igniarii cavitate *217
Echinodermatum methodus *120. ſeqq.
Echinorum methodus *118. ſeq. aculeorum methodus *126
Effervescentiæ definitio *186
Ehrenbergeri *Bonifac. Henrici* memoria *507. ſcripta in publicum edita *521
Ehretus *Ge. Dionyſ.* laudatur *279
Electrica machina an curentur morbi *153
Electricæ virtutis perſeverantia in corpore electricitatis derivativæ 158
Electricitas, terræ motuum cauſſa 92
Elixir pectorale Wedelii laudatur in quibusdam pectoris affectibus 18 *235
Embryo vix trimeſtris ſexto menſe abortu excluſus 400
Embryonis ætas non ſolum ex ejus, verum etiam ex placentæ magnitudine cognoſcenda 401
Embyanum Malabar. *399
Emmenagoga remedia gravidis nullum inferunt damnum utero rite conſtituto 393
Emulſio ſaponacea ſuaviſſima 254

Energia (de) naturæ tractatus *426
Enhydros *189. 191
Enorchis *195. nota d.
Enoſtus Kircheri *210
Enteroceles remedium 168. 170
Epidemici morbi, vid. morbi epidemici.
Epidemicus ſtatus, conf. Meteorologico-epidemicus ſtatus.
Epigaſtricus pulſus, vid. pulſus epigaſtricus.
Epilepſia, ſcabie humida excitata, evaneſcens 264. ejus remedia varia 31. 32. ſeq. 36. 249. *250
Ers Arabum, qualis arbor *279
Eryſipelatis remedium 136. *249. ſeq.
Evedexylon Americanum *356. 357
Evonymo (plantæ) affinis &c. *407
Euphorbii genus nondum ſatis definitum 58
Euphorbium cerei effigie ejusque flos deſcribitur 57
Exanthematicis in morbis lumbricorum proventus periculum funeſti exitus auget 207. veſicatoriorum uſus, vid. veſicatoriorum &c. conf. morbos exanthematicos.
Excreſcentiæ uteri, vid. uteri excreſcentiæ.

F.

Febre ex quartana perverſe curata oborta Leucophlegmatia 58
Febres continuæ & acutæ & acutiſſimæ, contagioſæ, petechiis raro, frequentius utraque purpura ſtipatæ 154
Febres intermittentes mox ſequentis cachexiæ, œdematum ſeu hydropis incipientis cauſſæ & cura 64. ſeqq. tertianæ & quartanæ cortice Peruviano non domabiles 155. quartanæ chronicæ ſenibus perniciosæ 68.
Febri quartanæ tumor pedum & abdominis ſuperveniens 382
Febribus in ardentibus & malignis remedium acetum 136. venæ ſectionibus noxæ *256. in intermittentibus ſalis armoniaci vires 360
Febris catarrhalis malignæ epidemicæ hiſtoria 268. 388
— epidemicæ malignæ hiſtoria & cura *255
— hecticæ remedium novum 248
— lentæ admirandum remedium naphtha nitri 384
— (de) petechialis cum cholerico-cauſodea complicatæ caſu notabili diſſert. *432
— purpureæ, albæ, malignæ curatæ caſus ſingularis 354
— quartana iridis noſtratis & raphani ruſticani ſucco ſublata 383
— quotidiana intermittens in febrem quartanam mutata Cort. Peruviano curata 64
— — vehemens febrim acutam mentiens 67
— rheumaticæ purpuratæ cura *248
— tertiana ex ira vehementi in con-

continuam ardentem tranſiens 349. comatoſa, vid. comatoſa febris.
Febrium remedium *286
— claſſi adſcribitur dyſenteria 341. 342
— acutarum exanthematicarum remedium *248
— intermittentium diuturnarum ſequelæ noxiæ 64
Fellea veſicula magna 108. magna, extenſa & vi quaſi inflata in apoplexia extinctis reperta 105. ejus calculus, vid. calculus ex veſica fellea exſectus. ejus hydrops, vid. hydrops bilioſus.
Fellei calculi, vid. calculi fellei.
Feminini ſexus anima rationalis, vid. anima rationalis ſequioris ſexus.
Femur absque externa violentia fractum 398
Ferrariæ plantæ generis character & ſpecies 198
